VITTORIO EMANUELE
ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA HISTORICA REGNI BOHEMIÆ DECADIS I. LIBER IV. HAGIOGRAPHICUS,

SEU

BOHEMIA SANCTA,

Continens

SANCTOS ET BEATOS

BOHEMIÆ, MORAVIÆ, SILESIÆ, LUSATIÆ,

Tam eos,

QUI PUBLICIS FASTIS, AUT IPSO IMMEMORABILIS TEMPORIS DECURSU IN CENSUM DIVORUM VENERUNT;

Quàm eos,

QUI LICET HOC TITULO CAREANT,

Aut

MORTE OB CHRISTI FIDEM FORTITER TOLERATÂ,

Aut

INNOCENTIÂ VITAE IN ANTIQUITATE CLARUERUNT,

Aut

à SCRIPTORIBUS IDONEIS VIRTUTUM & SANCTIMONIAE MERITO COMMENDANTUR.

AUTHORE

BOHUSLAO BALBINO, E SOCIETATE JESU.

Adjecta eſt in fine CORONIS,

Complectens eorum Nomina è Societate Noſtra, qui in his regionibus ultro ſeſe obſequio Peſte infectorum devoverunt, & in hoc heroicæ Charitatis obſequio gloriosè occubuerunt.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch, An. 1682.

Digitized by Google

LAudemus Viros Glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua &c. Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus GENTIS SUÆ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum; & ſunt quorum non eſt memoria, &c. Ex Capite 44. Eccleſiaſtici.

Ὥστε καθ' ἕτερόν τινα τρόπον καὶ λόγον, καὶ βίβλος ζώντων ἡ ἱστορία κληθήσεται, καὶ σάλπιγξ περίτρανος τὰ γραφόμενα, τοὺς πάλαι τεθνεῶτας ἐκ τῶν σημάτων ἐξανιστῶσα, καὶ ὑπ' ὄψιν τιθεῖσα τοῖς βουλομένοις. Id eſt:

Quamobrem ſecundùm quendam tropum, & loquendi modum, Hiſtoria Liber viventium *appellabitur, & Deſcriptiones, circumquaque perſonans* Tuba, *quæ dudum mortuos è ſepulchris excitat, & ſub aſpectum ponit volentibus.* Nicetas Choniates Præfat. in ſuam Hiſtor:

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
AC
CELSISSIMO
PRINCIPI
DOMINO DOMINO
JOANNI
FRIDERICO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPO
PRAGENSI,
LEGATO NATO, S.R.I. PRINCIPI, REGNI BOHEMIÆ
PRIMATI,
SACRI MILITARIS ORDINIS CRUCIGERORUM CUM RUBEA STELLA PER BOHEMIAM, MORAVIAM, SILESIAM, & POLONIAM
GENERALI AC MAGNO
MAGISTRO,
NEC NON
UNIVERSITATIS CAROLO-FERDINANDEÆ PRAGENSIS PERPETUO
CANCELLARIO,
DOMINO BENIGNISSIMO

VITAM & FELICITATEM.

LIbrum Hagiographicum, Sanctorum, & Beatorum totius REGNI BOHEMIÆ geſta, breviter, & ſummatim deſcribentem, ſub Tutela, & præſidio, Nominis Tui, CELSISSIME PRINCEPS, in publicum emitto. Apparebit exinde, ùt ſpero, nunquam *Bohemiæ noſtræ, cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam* (a)

 fuiſſe,

(a) *Levit. 26. 19.*

Digitized by Google

fuiſſe, ſed cœlo gratias cœleſtes ubertim rorante, terrâ avidè occurrente, & recipiente, copioſa Sanctimoniæ ſemina, ad nos cœlo cecidiſſe, & (b) *terrã noſtrã dediſſe fructum ſuum.* At enim, quis illas fruges in *vitam æternam* ſurgentes plantavit? quis floribus illis mite cœlum aperuit? quis illos *aquæ cæleſtis rivos in Bohemiam* deduxit? *plantârunt*, *coluerunt* (ſæpe etiam ſudoribus ſuis) *irrigârunt* Sanctiſſimi Antiſtites, Anteceſſores Tui CELSISSIME PRINCEPS, ut alios taceam, *Ditmari*, *Adalberti*, *Theadagi*, *Severi*, *Andreæ*, *Arneſti*, *Joannes &c.* (c) *quorum dignitas, etiam* (ùt de ſe humillimè loquitur S. Leo Papa) *in indigno hærede non deficit.* Eſt profectò, eſt ſua in Eccleſijs Catholicorum, quaſi hæreditaria ſucceſſio, ubi *uno* (ramo) *avulſo, non deficit alter aureus*, *naſcuntur pro Patribus filij*, (d) mox Patres futuri; (e) *& ſicut hominum genus homines, ſic animarum genus ſunt virtutes*, ait D. Ambroſius. *Perſarum* antiquorum hac in re conſvetudo multum laudatur; quòd abſente, aut etiam mortuo Rege, *thronum Regalem* transeuntes (f) *adorare* ſint ſoliti; hoc & ego exemplo, non modò Te CELSISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS, ſed ipſam *Cathedram Metropolitanam Tuam*, â tot Sanctiſſimis Præſulibus inſeſſam, Munere iſto à me recèns conſcripto, quod ad Te unicè pertinet, devener0r. Leges in hoc *Quarto Libro Anteceſſores Tuos*, vicenis plures, qui jam cœlo recepti in Te nobis vivunt; Leges in *Libro Quinto* Altarium in Parochialibus Eccleſijs *Erectiones & Fundationes* ab omni *Bohemiæ Nobilitate* profectas & perfectas; Leges in *Sexto Libro* Literas publicas *Pontificum*, *Cæſarum*, *Regum*, *ac Principum*, *ad Eccleſiam Tuam* ſpectantes; Leges Titulos Tuos: *Legati nati*, *Primatis Regni*, *Principis Imperij*, *ac Ducis*, *explicatos*; Leges *Succeſſiones Antiſtitum*, ut prudenti Judicio neminem alium, quàm Te REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, cogitare potuerim, cui hoſce TRES MISCELLANEORUM LIBROS inſcriberem; quin poti-

(b) *Pſ. 66. 7.* (c) *S. Leo Serm. 2. in Anniver: Aſſumt. ſuæ.* (d) *Pſ. 44.* (e) *S. Ambr. l. de Noë & Arca C. 4.* (f) *Briſſon: de Regno Perſar.*

Digitized by Google

potiùs accuſari potuerim, ſi Te neglexiſſem: Nam, cùm *cauſæ omnes* eccleſiaſticæ *Archidiœceſeos Tuæ, ad Te in prima inſtantia deferantur*, (g) ſi ego *per ſaltum* ignorantiæ, quod *Tui Juris* eſt, ad alium transferre tentâſſem, profectò LIBER hic meus omnium ſententijs repudiatus, in ærarios referri, & ad piper, & cucullos damnari meritò debuiſſet; Audire itaque mihi videbar ſoleñem illam in ſacris veterum Chriſtianorum vocem, Miniſtris clamantibus: *Sancta Sanctis!* (h) Hactenus *Cauſſæ publicæ*, quæ me in dedicando præſenti opere CELSITUDINEM TUAM reſpicere coëgerunt; quid ſi privata conſecter, & ILLUSTRISSIMÆ TUÆ DOMÛS, & à Te in me collata pridem beneficia (quorum aliquod extare, & â me proficiſci oportuit documentum) coṁemorem? ab ipſa infantia Veſter ſum, cùm à fortiſſimo Heroë & poſtea Duce, ex glorioſa gente Veſtra, in ulnis geſtatus, *aquâ ſanctificante* in Baptiſmo ablutus, *in vitam æternam, & ſortem Filiorum DEI* regeneratus ſum. Tu quoq; meminiſſe potes, PRINCEPS CELSISSIME, ſine Te nullum quibusdam Meis ad lucẽ libris aditum patuiſſe (*Libri* enim quaſi *Liberi* noſtri ſunt) (i) *venerant filij ad partum, & non erat virtus pariendi;* Tuâ ſvavi operâ effectum eſſe gaviſus ſum, ut lucem aſpicerent, ac nè durè in humum caderent, feliciter, & dextre Tuâ PRINCEPS HUMANITATE (k) ſunt levati. Atque in hoc ipſo Libro magnum approbatîonis Tuæ præjudicium CELSISSIME PRINCEPS, jam nuper dediſti, LIBRUM hunc nondum â Typographo manumiſſum, cum dulci quodam arriſu, & lætis oculis percurrendo, ſacris Tuis manibus tractare dignatus. Macte hâc in bonas literas humanitate Tuâ, PRINCEPS OPTIME! ſic omnes humanitate facis Tuos, qui Te unquam novêre! Libet hoc loco exclamare cum Sancto Syneſio: *ô Principes!* ô Dy-

(g) *Goldaſt. l. 4. de Boh. C. 3. & 4.* (h) *Durant. de Ritib. Eccl.* (i) *Iſaiæ 37.* (k) *Mart. Roas S. J. in libr. Singul.*

Dynaſtæ! *Veſtra iſta humanitas, imò & humilitas Veſtra, vos facit Excelſos!* (l) Vos ſi ire altiùs, & creſcere innoxiè, & ſine invidia cupitis, glorioſè decreſcite! Veſtræ humanitatis depreſſio altitudinis Veſtræ menſuram extendit! magnitudinis terminos dilatatis, dum etiam infima, & *humilia*, (m) Divinitatis imitatione *reſpicitis*, & favore Veſtro ſublevatis! quis *Solem* amaret? quis pro magno duceret? quis laudaret? ſi ſurſum tantùm radios effunderet, terris aſpectum negaret? perpetua illius *umbra*, potiùs gravis foret Mundo; at quòd humaniſſimè quotidiè ad nos lucē projiciat, quòd omnibus ſeſe commodum, & benignum oſtendat, quòd Orbem univerſum aſſiduè benefaciendo circumcurſet, quòd naturam omnem exhilaret; quòd benignis influxibus, etiam in imis telluris receſſibus aurum, gemmas, & pretioſa quæq; animare nunquam deſinat, hoc *uno Sol* (n) eſt, *hoc Mundi oculus, vas admirabile, opus Excelſi, Naturæ, & Cæli decus, caloris fons, ſplendor ſine occaſu, ignis inextinctus, Cæli peregrinus, horarum, & temporum diviſor, & Mundi dimenſor nominatur.* (o) Genuinus omnino, & gniſius Divinitatis character eſt benefica humanitas! Veriſſimè ſenior Plinius: (p) *DEUS eſt: mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via! hâc Proceres iêre Romani, hâc nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi Rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubveniens, &c.* Ad hoc exemplum, PRINCEPS CELSISSIME, quidquid in Clypeis Tuis lucet, ad publicam utilitatem Regum, & Regnorū videtur pertinere: QVATUOR (q) Gentilitij Inclytæ ſtirpis Tuæ LEONES, quatuor *Virtutes Cardinales* deſignant (virtutes unicè publico bono neceſſarias) *Aquila*, quæ in medio ſcuti libratur, *Regibus* ſervit (quandoquidem (r) *Conſilijs Iovis intimæ ſunt Aquilæ*) Lineæ Auſtriacæ ſtirpis, tum alteræ illæ Archiepiſcòpales, nihil aliud denotant, quàm

(l) *S. Syneſ. l. de Regno ad Imp. Arcadium.* (m) *Pſ. 197.* (n) *Eccl. 43.* (o) *Secundus Philoſoph.* (p) *Plin. l. 2. hiſt. Nat. C. 8.* (q) *Pier. Hieroglyph. in* Leone. (r) *Pier. ibid. in* Aquila. (s) *Dan. 12.*

Digitized by Google

quàm *Lineas cogitationum, & curarum Tuarum*, Eccleſiæ, Patriæ, Auſtriacæ Domui conſecratas; *Stella rubea cum Cruce*, Hoſpitalitatem, *Stellam bonam* Favoris gratioſi, & victoriam *in hoc ſigno* promittit, quod ſignum *Filij Hominis in Cœlo parebit, & in perpetuas æternitates lucebit.* (s) Atq; hîc ego cum æternitate finem facio, & CELSITUDINEM TUAM tribus hiſce MISCELLANEORUM LIBRIS ſanctè, & piè veneratus, oram ipſam ſacræ veſtis Tuæ cum mille bonis precationibus, & votis deoſculor.

Pragæ in Collegio ad S. Clementem
18. Auguſti, A. CIↃ IↃC LXXXII.

Tuus

CELSISSIME
ET
REVERENDISSIME
PRINCEPS.

Servus & Infimus Cliens

BOHUSLAUS BALBINUS è SOC: JESU.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

VNum mihi in principio hujus Operis admonendus es, Lector benevole, quod meâ & Tuâ plurimum intereſt, Te ſcire: meâ, nè quid à me quod nolui, expectes, ſed re cognitâ, benignè excuſes; Tuâ, nè tibi non eſſe factum ſatis queraris, & in eo faſtidio legendo perſeveres. Sic igitur habeto: nunquam mihi veniſſe in mentem, omnia geſta eorum Divorum, quos hîc nominabo, deſcribere, & quidquid de ijs inveniri potuit, oratione & narratione complecti; excreviſſet profectò præſens Opus, & duo, aut tria juſta volumina impleviſſet, ſi conſilium hoc mihi placuiſſet; at quomodo hæc res in hac parſimonia temporis, ſenili ætati meæ jam ad metam properanti potuiſſet congruere? ego, quod eſt in veteri proverbio (a) (bos laſſus fortiùs figit pedem) expreſſi: nam Divos, & Sanctimoniâ inclytos Viros in hoc Regno nominare, deinde Chronologiam ſtatuere, tandem præcipua tantùm vitæ exempla, aut geſta adferre contentus, neglexi cætera, ac ijs, qui curis exſoluti tempore abundant, diffuſiore ſtylo pertractanda reliqui, ut videlicet in hoc argumento, Si quis eadem fortè conari velit, haberet aliquid operis reſidui. Nihil ego dubito, exoriturum aliquem poſt me, qui ſingulari Volumine, prima, quæ ego hîc duxi lineamenta, ſuis coloribus decenter adornet, & ad perfectum adducat: adferet ille primùm & ex intima Scriptorum antiquitate colliget ſingulorum ex Divis geſta illuſtria à diverſis Authoribus tradita, tum quidquid de ijs in Annalibus Noſtris legitur, congeret; denique hæc omnia Notis tam hiſtoricis, quàm Chronologicis, illuſtrabit; obſcura, aut dubia loca interpretabitur; ſi qua vox barbara, aut in vulgus ignota occurrat, explanabit; ac fortè (ſi majora ipſi ſubſidia ſuppetant) Sanctorum & Beatorum Imagines, præponet, ut quod Raderus noſter in Bavaria ſancta Maximiliano Duce ſumtus ſuppeditante laudatiſſimè præſtitit, æquè laudabili conatu æmuletur, Divóſque ſub aſpectum collocet, ut Divorum ſancta venuſtas, & ſcita Calcographorum, ut ità dicam, fila, legentes illiciant, & noſtrorum hominum Pietatem ad imitationem exſtimulent. Poſſet etiam Ordo Menſium conſtitui, ut ſingulis Menſibus ſinguli aut plures Divi reſpondeant. Sed quid ego iſta velut Dictator, præcipio? agant Poſteri, quod ſuus cuiq; in Sanctos Indigetes Noſtros amor & veneratio dictaverit. Tu Benigne Lector boni laborem hunc meum conſule, & pro benevolentia, & facilitate Tua, ſi quid minus rectè dictum inveneris, excuſa! nihil eſt ex omni parte beatum, neque ipſa de Beatis narratio. iniquus eſt, qui à mortali manu, & ab hominum (qui privilegium errandi habemus) anguſtis ingenijs, immortale aliquid, & quandam in verbis & ſententijs divinitatem (cui nihil demi, nihil etiam addi poſſit) efflagitat! Mihi in hoc Opere pro omni gloria eſt, erítque: in hoc ſancto labore (quod in Divis Patrijs apud nos, quod ſciam, nemo tam copiosè, & cumulatè præſtitit) non omnino indiligenter eſſe verſatum. Horum ſacrorum Nominum objectu, velut amuleto, & Ajacis Clypeo, ſi quis pergat laceſſere, me tuebor! Satiùs multò facturi ſumus omnes, ſi illud carpendi cacoëthes ad imitandas Divorum, quos hîc laudamus Virtutes, quàm ad carpenda Scriptorum vitia, acri ſtudio traducere, & transferre conemur. Memorat Appianꝰ (b) Scipionē African: judicio poſtulatum Romæ apud Cives ſuos, atq; ut putat (c) Plutarchus ſine dubio condemnandum, cùm ab eo defenſionem legitimam expectarent delecti Judices, pro omni reſponſo hanc orationem habuiſſe: hodie Quirites anniverſarium eſt, quo Carthaginenſes vici; itaque hinc in Capitolium (nam tempus eſt) aſcendo ſacrificatum; Vos qui Patriam amatis; ſequimini! & Dijs gratias agite! Ita Populo univerſo, cum ipſis Judicibus pudore victis, ſequente, ſoli accuſatores relicti ſunt in foro. Si parva licet componere magnis, idem mihi faciendum eſſe decrevi, ſi quis contrà nitatur, & multa in hoc opere peccata accuſet, Capitolium & Cœlum, & in eo Divos oſtendam, ad quos, ut Amicos DEI colendos, vertantur. Hæc Prologi Galeati inſtar ſunto. Tu Lector benevole, de quo omnia mihi leta polliceor,

Vale, & Fave!

(a) Hieron. in Epiſt. ad S. Auguſt. (b) Appian. in Syriacis. (c) Plutarch. in Moral. l. de laude ſui.

Digitized by Google

LIBER IV.
MISCELLANEORUM
BOHEMIA
SANCTA;
PARS PRIMA,

Adducuntur

SANCTI ET BEATI,

QUI

IN BOHEMIA, MORAVIA, SILESIA, LUSATIA
aliquando vixerunt,

Aut

Pro CHRISTI Nomine, ejúsque ſanctiſſima FIDE ab Ethnicis, aut Hæreticis ſunt peremti.

CATALOGUS
Sanctorum, & Beatorum Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & Luſatiæ, qui *in hac Libri IV. Miſcellaneorum Parte I.* nominantur.

CLASSIS I.

Sancti & Beati, quos Sedes Apoſtolica in Divorum numerum retulit, aut S. Sedis permiſſione, ut Sancti & Beati coluntur.

SS. Cyrillus & Methodius, §. I.
S. Iwanus Eremita Patronus Bohemiæ, §. II.
S. Ludmilla Martyr, Patrona Reg: Boh: §. VII.
S. Wenceslaus Bohemiæ Dux, Martyr, Patronus Bohemiæ, §. VIII.
S. Vitus Martyr, Patronus Reg: Boh. §. X.
S. Sigiſmundus Martyr, Patronus Regni Boh: §. XI.
S. Wolfgangus Ratisbonenſis Epiſc: §. XII.
S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus & Martyr, Patr: Regni, §. XIV.

A Quin-

Digitized by Google

Quinque SS. Martyres S. Adalberti fratres uterini, §. XV.

Quinque SS. Martyres S. Adalberti Fratres Ordinis, §. XVI.

S. Henricus Imperator, Boh: defenſor. §. XIX.

S. Procopius Abbas, Bohemiæ Patr: §. XXI.

S. Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Patron: Boh: §. XXVI.

S. Leopoldus Auſtriæ Marchio, §. XXVII.

SS. Angela, & Euphraſia Virgines, hæc etiam Martyr, §. XXVIII.

S. Otto Bambergenſis Epiſcopus, §. XXIX.

S. Hedwigis Dux Sileſiæ. §. XLII.

S. Agnes Ordinis S. Claræ, Regis filia, §. XLIV.

S. Eliſabeth Vidua, Thuringiæ Princeps, §. XLVII.

S. Hyacinthus Ord: Prædicat: §. XLVIII.

B. Capiſtranus Ord: Minor: §. CXII.

B. Jacobus de Marchia, Ord: Minor: §. CXIII.

S. Caſimirus Wladislai Regis noſtri Frater. §. CXV.

CLASSIS II.

Eorum, qui etſi à Sede Apoſtolica in Sanctorum vel Beatorum cenſum relati non ſint, ab immemorabili tempore, ut Sancti vel Beati coluntur, vel ab idoneis Scriptoribus his titulis ornantur.

B. Borzivojus primus Boh. Dux Chriſtian: §. III.

B. Wratislaus Dux Bohemiæ, B. Borzivogij Filius, §. IV.

B. Przibislawa S. Wenceslai Soror. §. V.

B. Podiwinus Aulæ S. Wenceslai Præfect: §. IV.

B. Milada vel Maria Virgo Sanctimonialis prima Antiſtita ad S. Georgium Ord. S. Benedicti, §. XIII.

S. Gaudentius S. Adalberti Frater Archiepiſcopus Gneſnenſis, Ord. S. Benedicti, §. XVIII.

S. Guntherus Ord. S. Benedicti, §. XX.

S. Severus Pragenſis Epiſcopus ſextus, §. XXII.

B. Culmatius Eremita ad Monaſterium Stockenſe in Boh. Guilielmita, §. XXIV.

B. Gerwicus Eremita ad Waldſaſſium, §. XXV.

B. Henricus Zdik, Olomucenſis Epiſcopus, Ord: Præmonſtr: §. XXX.

B. Amabilia Veſtalis, Ord: S. Benedicti Clatoviæ, §. XXXI.

B. Eliſabeth Wladislai I. Regis filia Ord: Præm: §. XXXII.

B. Brzetislaus Henricus Dux Bohemiæ, Epiſcopus Pragenſis, Ord: Præmonſtr. §. XXXIII.

B. Adalbertus Wladislai II. Regis filius, Archiepiſcop: Salisburgen: Ord. Præm: §. XXXIV.

B. Agnes Ord. S. Benedicti & B. Hedwigis Ord. Præm: filiæ Regis, §. XXXV.

Agnetes duæ Ord. Præmonſtratenſis in Parthenone Doxanenſi, §. XXXVI.

B. Hroznata Ord. Præmonſtratenſis, Confeſſor & Martyr. §. XXXVII.

B. Woyslawa, Beatrix, Bohuslawa & Judith, Ord. Præmonſtrat: §. XXXVIII.

B. Andreas Epiſc: Pragenſis. §. XXXIX.

Adela vel Abda Conjux Regis Ottogari, Ordin: Ciſtercienſis, §. XL.

B. Abdela vel Adela vel Abda Ottogari I. filia, Ord. Ciſtercienſis, §. XLI.

Henricus Probus Dux Sileſiæ, & B. Anna ejus Conjux. §. XLIII.

B. Caſtulus Præpoſitus Siloënſis, Ord: Præmon: §. XLV.

B. Gerlacus Abbas Milovicenſis, Ordin: Præm: §. XLVI.

B. Ceslaus Germanus S. Hiacynthi Ord: Præd: §. XLIX.

B. Henricus Moravus, & B. Hermannus Ordin. Præd. §. L.

B. Bertholdus Ord. S. Franciſci, §. LI.

B. Margareta Wladislai II. Filia, Ord. Præm: §. LII.

B. Zdislawa Ord: Prædic: §. LIII.

B. Cunegundis Ord S. Benedicti. §. LIV.

B. Euphemia Ordin. Prædicat: §. LV.

B. Conradus Ord: Prædicat: §. LVI.

B. Joannes Schwenckfeldius Ordin. Prædicat: §. LVII.

B. Arneſtus Archiepiſcopus Pragen: §. LVIII.

S. Joannes Nepomucenus, Canonicus Eccl. Prag: §. LIX.

S. Hieronymus Prag. Ord: Camaldulenſium, §. CXI.

B. Joannes à Miſna Ord. Minor. §. CXVI.

CLAS-

CLASSIS III.

Eorum nomina, qui licet neque à Sede Apoſtolica Sancti vel Beati declarati ſint, neque ut Sancti colantur, odio tamen Sanctæ fidei vel ab Ethnicis, vel ab hæreticis ſunt interfecti.

Cæſi à Drahomira Chriſtiani, potiſſimùm Sacerdotes, §. VI.
Proſtivojus Apoſtolicus Sacerdos odio Religionis necatus, §. XVII.
Sacerdotes Chriſtiani à Judæis crudeliſſimè peremti, §. XXIII.
Zbynko ab Haſenburg Archi: Prag. veneno ab hæreticis ſublatus, §. LX.
Petrus Lazurus Abbas, quòd theſauros Eccleſiæ prodere nollet, occiſus, §. LXI.
Plurimi Catholici ab hæreticis poſt An. 1420. excarnificati, & occiſi. §. LXII.
Undecim Viri Conſulares Pragæ ob Catholicam fidem necati ab hæreticis. §. LXIII.
Carthuſiani Pragenſes ab hæreticis injurijs affecti, ad extremum peremti, §. LXIV.
Cœnobia Prædicatorum Clatoviæ & Piſecæ exciſa omnibus interemtis, §. LXV.
Pragæ Cœnobia pleraque exciſa cum Religioſis omnibus. §. LXVI.
Auſta Sezymæa ob fidem Catholicam funditus deleta, §. LXVII.
Plurima Cœnobia Pragæ, alibique cum incolis deleta. §. LXVIII.
Servitæ ſexaginta quatuor Pragæ ab hæreticis occiſi, §. LXIX.
Tria rurſus Cœnobia Ord. S. Benedicti & Ciſtercienſe duplex deletum, §. LXX.
Gredicenſe Cœnobium Ord: Ciſterc: & Brzewnovienſe Ord. S. Bened: exciditur, §. LXXI.
Jacobus Rector Univerſitatis Prag. & quatuor Aulæregienſes, hi injiciuntur in rogum, ille in exilium deportatur, §. LXXII.
Plurimorum Monachorum & Sacerdotum cædes à Ziſka, §. LXXIII.
Prachaticium Urbs Catholica deletur, §. LXXIV.
Spineæ Coronę Cœnobium Ciſter: vaſtatur occiſis Monachis. Wodniani Sacerdotes exuruntur, §. LXXV.
Cœnobia in tractu Reginohradecenſi cum ſacris incolis flammis abolentur, §. LXXVI.
Plurima alia Cœnobia delentur, §. LXXVII.
Beraunna Civitas excinditur, §. LXXVIII.
Welehradi in Moravia Abbas cum ſuis crematur. Item ad Stradow Minores, §. LXXIX.
Commotovium ob religionem deletur. §. LXXX.
Cœnobij Raudnicenſis Canonici à Ziſka perimuntur. §. LXXXI.
Broda Catholica Civitas cum Civibus deletur. §. LXXXII.
Cautzimij Ciſtercienſes, Colini & Chrudimij Prædicat: flammis cremantur, §. LXXXIII.
Czaslaviæ Minores, Nymburgi Prædicatores, Cuttenbergę Catholici ab hæretic: occiduntur, & membris mutilantur. §. LXXXIV.
Rurſus Sacerdotes, item Sedlecenſes Religioſi ob Religionem necati, §. LXXXV.
Excidia quàm plurima Cœnobiorum, & ſacrorum hominum cædes, §. LXXXVI.
Jaromiriū cū Civibus & Religio: §. LXXXVII.
Ad Tuſtam cædes Religioſorum plurimæ. §. LXXXVIII.
Doxanenſe Ord. Præmonſtr. Teplicenſe Ord. S. Benedicti, Oſſecenſe Ciſtercienſium Cœnobia delentur. §. LXXXIX.
Bilinæ, & ad Brixiam Catholicorum lanienæ, §. XC.
Plura iterum Cœnobia diverſorum Ordinum deleta, §. XCI.
Teutobroda deletur, Sobieslaviæ Sacerdotes Catholici flammis conſumti, §. XCII.
Müglicium in Moravia deletur, tum quædam alia Cœnobia ibidem, §: XCIII.
In Moravia cædes Catholicorum ab hæreticis patratæ. §. XCIV.
Czernin odio fidei necatus, Turnovij totus Conventus Ord: Prædicatorum, §. XCV.
Plurimi in Cœnobijs denuo occiſi. §. XCVI.
Przibislavia deleta. Lucenſe Cœnobium exciſum; in Bohemia cædes Catholicorum. §. XCVII.
Nymburgi duo Sacerdotes occiſi, §. XCVIII.
Litomiſslium cum Catholicis deletum, & quædam vicina Cœnobia, §. XCIX.
Slanæ Urbis, tum plurimarum Catholicarum Urbium excidia. §. C.
Henricus Colman, & Trezka odio Religionis excarnificati. §. CI.
Ozelka Parochus exuritur; aliæ quoque Catholicorum cædes, §. CII.

Duxovium prorſus exciſum, tum aliæ Catholicorum Arces & Oppida. §. CIII.
Auſta cũ Civibus internecione deletur, §. CIV.
Quædam Sileſiorũ Catholicorũ cædes. §. CV.
Ungari, Moravi, Sileſij, Luſatij Catholici multi necati, præcipuè Lubanæ, §. CVI.
Rurſus Catholicorum cædes plurimæ in Bohemia, Sileſia, Luſatia. §. CVII.
Franckſteinenſes Martyres in Sileſia Ord: Præd: §. CVIII.
Novocellenſe Cœnobium exciditur, §. CIX.
Guba Catholica Civitas deletur, §. CX.
Pragæ Senatus ob religionem Catholicam necatur. §. CXIV.
B. Joannes à Miſna Ord. Min. Strict. Obſervan: §. CXVI.
Chriſtiani duo Pueri à Judęis necati. §. CXVII.
Edmundus Campianus S. J. §. CXVIII.
Chriſtophorus Spotecus, S. J. §. CXIX.
Adamus Markowsky Eques Polonus ob Relig: Glacij occiſus. §. CXX.
Quatuordecim Cœnobitæ ad Nives ab hæreticis necati. §. CXXI.
Joannes Ogilbæus S. J. §. CXXII.
Joannes Erneſtus Schoſſerus, ob Religionem Catholicam Auſtæ trucidatus, §. CXXIII.
Melchior Grodecius S. J. §. CXXIV.
Joannes Sarcander in Moravia ab hæreticis excarnificatus, §. CXXV.
Carolus Spinola S. J. §. CXXVI.
Vitus Weiſman, ejusdem Soc. §. CXXVII.
Camillus de Gram, Ord. S. Benedicti ab hæreticis occiſus, §. CXXVIII.
P. Mathias Burnatius S. J. ab hæreticis occiſus, §. CXXIX.
P. Hieremias Fiſcher S. J. ab hæreticis occiſus, §. CXXX.
Joannes Meagh Sacerdos, S. J. Martinus Ignatius, & Wenceslaus Trnozka Laici S. J. ab hæreticis occiſi, §. CXXXI.
P. Laurentius Paſſoke, & P. Mathæus Cramerus S. J. ab hæreticis occiſi. §. CXXXII.
Matthæus Chriſtianus puerulus à Judæo peremtus, §. CXXXIII.
P. Georgius Königius S. J. à Turcis occiſus. §. CXXXIV.

De hac tertia Claſſe, *ſcilicet de* Bohemis Catholicis, *Nobilitate, ac Civibus, quos* Hæretici *Religionis odio* An. *1420. & ſequentibus crudeliſſimè peremerunt, & quorum cædes in hac Prima Libri IV. Parte ſuis temporibus, ac locis deſcribentur,* Teſtimonium *omni exceptione majus, & irrefragabile habemus.*

Pius II. Papa in Literis Apoſtolicis, ad omnes Chriſti Fideles adverſus Georgium Boh. Regem ſcribens: *In inclyto illo*, inquit, *Bohemiæ Regno Hæretici magnos motus excitarunt &c. Proceres tamen, & Nobiles in ipſo Regno, & Marchionatu Moraviæ, & Civitates pleræque, ſanctiſſimè in fide permanſerunt, ita ut quamvis armata hæreſis Fidelibus vim facere ſtatuiſſet, atque adverſus eos arma moviſſet, nunquam tamen ab Evangelij veritate Sanctorúmque Patrum doctrina, & Romanæ Eccleſiæ obedientia divelli potuerint, potiùs occumbere, ac omnibus tormentorum generibus affici, quàm illorum inſaniæ conſentire voluiſſent, ita ut multos Martyres noſtra ætas in Bohemia viderit. &c. Datum Romæ in Conſiſtorio publico apud S. Petrum. XVII. Calend. Julij 1463.* Acta Publica, & Codex M. S. literar. public. mihi fol. 171.

Similia ante Pontificatum *de Bohemis* ſcripſerat idem Pius (præfat. ad hiſt. Boh.) *Viri fortes! qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro teſtamento Chriſti fortiter pertulêre, nunc cum Rege ſuo in cœlo regnant, quorum multa millia Bohemia tulit &c. nec Provincia eſt, quæ tempore noſtro plures Chriſti Martyres, quàm Bohemia produxerit, &c.*

Digitized by Google

FACULTAS
REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS
BOHEMIÆ.

Cùm Librum IV. Miſcellaneorum Hi ſtoricorum Regni Bohemiæ, qui Vi tas, Sanctorum, & Beatorum, nec non eorum, qui cum opinione Sanctimo niæ vixerunt, & in eodem Regno obi erunt, à P. BOHUSLAO BALBINO SOCIETATIS JESU conſcriptum, tres ejuſdem Socie tatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognove rint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate acce ptâ, à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENE RALI, Facultatem concedo, ut Liber Typis mande tur. In quorum fidem haſce literas manu meâ ſubſcri ptas, & Sigillo officij munitas dedi. Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 3. Julij, Anno 1681.

(L. S.)

WENCESLAUS SATTENWOLFF.

fuiſſe, ſed cœlo gratias cœleſtes ubertim rorante, terrâ avidè occurrente, & recipiente, copioſa Sanctimoniæ ſemina, ad nos cœlo cecidiſſe, & (b) *terrā noſtrā dediſſe fructum ſuum.* At enim, quis illas fruges in *vitam æternam* ſurgentes plantavit? quis floribus illis mite cœlum aperuit? quis illos *aquæ cœleſtis rivos in Bohemiam* deduxit? *plantârunt, coluerunt* (ſæpe etiam ſudoribus ſuis) *irrigârunt* Sanctiſſimi Antiſtites, Anteceſſores Tui CELSISSIME PRINCEPS, ut alios taceam, *Ditmari, Adalberti, Theadagi, Severi, Andreæ, Arneſti, Joannes &c.* (c) *quorum dignitas, etiam* (ùt de ſe humillimè loquitur S. Leo Papa) *in indigno hærede non deficit.* Eſt profectò, eſt ſua in Eccleſijs Catholicorum, quaſi hæreditaria ſucceſſio, ubi *uno* (ramo) *avulſo, non deficit alter aureus, naſcuntur pro Patribus filij,* (d) mox Patres futuri; (e) *& ſicut hominum genus homines, ſic animarum genus ſunt virtutes,* ait D. Ambroſius. *Perſarum* antiquorum hac in re conſvetudo multum laudatur; quòd abſente, aut etiam mortuo Rege, *thronum Regalem* transeuntes (f) *adorare* ſint ſoliti; hoc & ego exemplo, non modò Te CELSISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS, ſed ipſam *Cathedram Metropolitanam Tuam,* â tot Sanctiſſimis Præſulibus inſeſſam, Munere iſto à me recèns conſcripto, quod ad Te unicè pertinet, devenero. Leges in hoc *Quarto Libro Anteceſſores Tuos,* vicenis plures, qui jam cœlo recepti in Te nobis vivunt; Leges in *Libro Quinto* Altarium in Parochialibus Eccleſijs *Erectiones & Fundationes* ab omni *Bohemiæ Nobilitate* profectas & perfectas; Leges in *Sexto Libro* Literas publicas *Pontificum, Cæſarum, Regum, ac Principum, ad Eccleſiam Tuam* ſpectantes; Leges Titulos Tuos: *Legati nati, Primatis Regni, Principis Imperij, ac Ducis, explicatos;* Leges *Succeſſiones Antiſtitum,* ut prudenti Judicio neminem alium, quàm Te REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, cogitare potuerim, cui hoſce TRES MISCELLANEORUM LIBROS inſcriberem; quin poti-

(b) *Pſ. 66. 7.* (c) *S. Leo Serm. 2. in Anniver: Aſſumt. ſuæ.* (d) *Pſ. 44.* (e) *S. Ambr. l. de Noë & Arca C. 4.*
(f) *Briſſon: de Regno Perſar.*

potiùs accuſari potuerim, ſi Te neglexiſſem: Nam, cùm *cauſæ omnes* eccleſiaſticæ *Archidiœceſeos Tuæ, ad Te in prima inſtantia deferantur*, (g) ſi ego *per ſaltum* ignorantiæ, quod *Tui Juris* eſt, ad alium transferre tentâſſem, profectò LIBER hic meus omnium ſententijs repudiatus, in ærarios referri, & ad piper, & cucullos damnari meritò debuiſſet; Audire itaque mihi videbar ſoleñem illam in ſacris veterum Chriſtianorum vocem, Miniſtris clamantibus: *Sancta Sanctis!* (h) Hactenus *Cauſſæ publicæ*, quæ me in dedicando præſenti opere CELSITUDINEM TUAM reſpicere coëgerunt; quid ſi privata conſecter, & ILLUSTRISSIMÆ TUÆ DOMÛS, & à Te in me collata pridem beneficia (quorum aliquod extare, & â me proficiſci oportuit documentum) coṁemorem? ab ipſa infantia Veſter ſum, cùm â fortiſſimo Heroë & poſtea Duce, ex glorioſa gente Veſtra, in ulnis geſtatus, *aquâ ſanctificante* in Baptiſmo ablutus, *in vitam æternam, & ſortem Filiorum DEI* regeneratus ſum. Tu quoq; meminiſſe potes, PRINCEPS CELSISSIME, ſine Te nullum quibusdam Meis ad lucẽ libris aditum patuiſſe (*Libri* enim quaſi *Liberi* noſtri ſunt) (i) *venerant filij ad partum, & non erat virtus pariendi;* Tuâ ſvavi operâ effectum eſſe gaviſus ſum, ut lucem aſpicerent, ac nè durè in humum caderent, feliciter, & dextre Tuâ PRINCEPS HUMANITATE (k) ſunt levati. Atque in hoc ipſo Libro magnum approbatîonis Tuæ præjudicium CELSISSIME PRINCEPS, jam nuper dediſti, LIBRUM hunc nondum â Typographo manumiſſum, cum dulci quodam arriſu, & lætis oculis percurrendo, ſacris Tuis manibus tractare dignatus. Macte hâc in bonas literas humanitate Tuâ, PRINCEPS OPTIME! ſic omnes humanitate facis Tuos, qui Te unquam novêre! Libet hoc loco exclamare cum Sancto Syneſio: *ô Principes!* ô Dy-

(g) *Goldaſt. l. 4. de Boh. C. 3. & 4.* (h) *Durant. de Ritib. Eccl.* (i) *Iſaiæ 37.* (k) *Mart. Roas S.J. in libr. Singul.*

Dynaſtæ! *Veſtra iſta humanitas, imò & humilitas Veſtra, vos facit Excelſos!* (l) Vos ſi ire altiùs, & creſcere innoxiè, & ſine invidia cupitis, gloriosè decreſcite! Veſtræ humanitatis depreſſio altitudinis Veſtræ menſuram extendit! magnitudinis terminos dilatatis, dum etiam infima, & *humilia*, (m) Divinitatis imitatione *reſpicitis*, & favore Veſtro ſublevatis! quis *Solem* amaret? quis pro magno duceret? quis laudaret? ſi ſurſum tantùm radios effunderet, terris aſpectum negaret? perpetua illius *umbra*, potiùs gravis foret Mundo; at quòd humaniſſimè quotidie ad nos lucē projiciat, quòd omnibus ſeſe commodum, & benignum oſtendat, quòd Orbem univerſum aſſiduè benefaciendo circumcurſet, quòd naturam omnem exhilaret; quòd benignis influxibus, etiam in imis telluris receſſibus aurum, gemmas, & pretioſa quæq; animare nunquam deſinat, hoc *uno Sol* (n) eſt, *hoc Mundi oculus, vas admirabile, opus Excelſi, Naturæ, & Cæli decus, caloris fons, ſplendor ſine occaſu, ignis inextinctus, Cæli peregrinus, horarum, & temporum diviſor, & Mundi dimenſor nominatur.* (o) Genuinus omnino, & gniſius Divinitatis character eſt benefica humanitas! Veriſſimè ſenior Plinius: (p) *DEUS eſt: mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via! hâc Proceres iêre Romani, hâc nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi Rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubveniens, &c.* Ad hoc exemplum, PRINCEPS CELSISSIME, quidquid in Clypeis Tuis lucet, ad publicam utilitatem Regum, & Regnorū videtur pertinere: QVATUOR (q) Gentilitij Inclytæ ſtirpis Tuæ LEONES, quatuor *Virtutes Cardinales* deſignant (virtutes unicè publico bono neceſſarias) *Aquila*, quæ in medio ſcuti libratur, *Regibus* ſervit (quandoquidem (r) *Conſilijs Iovis intima ſunt Aquilæ*) Lineæ Auſtriacæ ſtirpis, tum alteræ illæ Archiepiſcòpales, nihil aliud denotant,

quàm

(l) *S. Syneſ. l. de Regno ad Imp. Arcadium.* (m) *Pſ. 197.* (n) *Eccl. 43.* (o) *Secundus Philoſoph.* (p) *Plin. l. 2. hiſt. Nat. C. 8.* (q) *Pier. Hieroglyph. in* Leone. (r) *Pier. ibid. in* Aquila. (s) *Dan. 12.*

Digitized by Google

quàm *Lineas cogitationum, & curarum Tuarum*, Eccleſiæ, Patriæ, Auſtriacæ Domui conſecratas; *Stella rubea cum Cruce*, Hoſpitalitatem, *Stellam bonam* Favoris gratioſi, & victoriam *in hoc ſign*... promittit, quod ſignum *Filij Hominis in Cœlo parebit*, *& in perpetua*... *æternitates lucebit.* (s) Atq; hîc ego cum æternitate finem facio, & CELSITUDINEM TUAM tribus hiſce... MISCELLANEORUM LIBRIS ſanctè, & piè veneratus oram ipſam ſacræ veſtis Tuæ cum mille bonis precationibus, & votis deoſculor.

Pragæ in Collegio ad S. Clementem
18. Auguſti, A. cIↃ IↃC LXXXII.

Tuus

CELSISSIME
ET
REVERENDISSIME
PRINCEPS.

Servus & Infimus Cliens

BOHUSLAUS BALBINUS è SOC: JESU

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

VNum mihi in principio hujus Operis admonendus es, Lector benevole, quod meâ & Tuâ plurimum intereſt, Te ſcire: meâ, nè quid à me quod nolui, expectes, ſed re cognitâ, benignè excuſes; Tuâ, nè tibi non eſſe factum ſatis queraris, & in eo faſtidio legendo perſeveres. Sic igitur habeto: nunquam mihi veniſſe in mentem, omnia geſta eorum Divorum, quos hic nominabo, deſcribere, & quidquid de ijs inveniri potuit, oratione & narratione complecti; excreviſſet profectò præſens Opus, & duo, aut tria juſta volumina impleviſſet, ſi conſilium hoc mihi placuiſſet; at quomodo hæc res in hac parſimonia temporis, ſenili ætati meæ jam ad metam properanti potuiſſet congruere? ego, quod eſt in veteri proverbio (a) (bos laſſus fortiùs figit pedem) expreſſi: nam Divos, & Sanctimoniâ inclytos Viros in hoc Regno nominare, deinde Chronologiam ſtatuere, tandem præcipua tantùm vitæ exempla, aut geſta adferre contentus, neglexi cætera, ac ijs, qui curis exſoluti tempore abundant, diffuſiore ſtylo pertractanda reliqui, ut videlicet in hoc argumento, Si quis eadem fortè conari velit, haberet aliquid operis reſidui. Nihil ego dubito, exoriturum aliquem poſt me, qui ſingulari Volumine, prima, quæ ego hic duxi lineamenta, ſuis coloribus decenter adornet, & ad perfectum adducat: adferet ille primùm & ex intima Scriptorum antiquitate colliget ſingulorum ex Divis geſta illuſtria à diverſis Authoribus tradita, tum quidquid de ijs in Annalibus Noſtris legitur, congeret; denique hæc omnia Notis tam hiſtoricis, quàm Chronologicis, illuſtrabit; obſcura, aut dubia loca interpretabitur; ſi qua vox barbara, aut in vulgus ignota occurrat, explanabit; ac fortè (ſi majora ipſi ſubſidia ſuppetant) Sanctorum & Beatorum Imagines, præponet, ut quod Raderus noſter in Bavaria ſancta Maximiliano Duce ſumtus ſuppeditante laudatiſſimè præſtitit, æquè laudabili conatu æmuletur, Divósque ſub aſpectum collocet, ut Divorum ſancta venuſtas, & ſcita Calcographorum, ut ità dicam, fila, legentes illiciant, & noſtrorum hominum Pietatem ad imitationem exſtimulent. Poſſet etiam Ordo Menſium conſtitui, ut ſingulis Menſibus ſinguli aut plures Divi reſpondeant. Sed quid ego iſta velut Dictator, præcipio? agant Poſteri, quod ſuus cuiq; in Sanctos Indigetes Noſtros amor & veneratio dictaverit. Tu Benigne Lector boni laborem hunc meum conſule, & pro benevolentia, & facilitate Tua, ſi quid minus rectè dictum inveneris, excuſa! nihil eſt ex omni parte beatum, neque ipſa de Beatis narratio. iniquus eſt, qui à mortali manu, & ab hominum (qui privilegium errandi habemus) anguſtis ingenijs, immortale aliquid, & quandam in verbis & ſententijs divinitatem (cui nihil demi, nihil etiam addi poſſit) efflagitat! Mihi in hoc Opere pro omni gloria eſt, eritque: in hoc ſancto labore (quod in Divis Patrijs apud nos, quod ſciam, nemo tam copioſè, & cumulatè præſtitit) non omnino indiligenter eſſe verſatum. Horum ſacrorum Nominum objectu, velut amuleto, & Ajacis Clypeo, ſi quis pergat laceſſere, me tuebor! Satiùs multò facturi ſumus omnes, ſi illud carpendi cacoëthes ad imitandas Divorum, quos hic laudamus Virtutes, quàm ad carpenda Scriptorum vitia, acri ſtudio traducere, & transferre conemur. Memorat Appian⁹ (b) Scipionē African: judicio poſtulatum Romæ apud Cives ſuos, atq; ut putat (c) Plutarchus ſine dubio condemnandum, cùm ab eo defenſionem legitimam expectarent delecti Judices, pro omni reſponſo hanc orationem habuiſſe: hodie Quirites anniverſarium eſt, quo Carthaginenſes vici; itaque hinc in Capitolium (nam tempus eſt) aſcendo ſacrificatum; Vos qui Patriam amatis; ſequimini! & Dijs gratias agite! Ita Populo univerſo, cum ipſis Judicibus pudore victis, ſequente, ſoli accuſatores relicti ſunt in foro. Si parva licet componere magnis, idem mihi faciendum eſſe decrevi, ſi quis contrà nitatur, & multa in hoc opere peccata accuſet, Capitolium & Cœlum, & in eo Divos oſtendam, ad quos, ut Amicos DEI colendos, vertantur. Hæc Prologi Galeati inſtar ſunto. Tu Lector benevole, de quo omnia mihi læta polliceor,

Vale, & Fave!

(a) Hieron. in Epiſt. ad S. Auguſt. (b) Appian. in Syriacis. (c) Plutarch. in Moral. l. de laude ſui.

Digitized by Google

LIBER IV.
MISCELLANEORUM
BOHEMIA
SANCTA;

PARS PRIMA,

Adducuntur
SANCTI ET BEATI,
QUI
IN BOHEMIA, MORAVIA, SILESIA, LUSATIA
aliquando vixerunt,
Aut
Pro CHRISTI Nomine, ejúsque ſanctiſſima FIDE ab Ethnicis,
aut Hæreticis ſunt peremti.

CATALOGUS
Sanctorum, & Beatorum Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ,
& Luſatiæ, qui *in hac Libri IV. Miſcellaneorum Parte I.* nominantur.

CLASSIS I.

Sancti & Beati, quos Sedes Apoſtolica in Divorum numerum retulit, aut S. Sedis permiſſione, ut Sancti & Beati coluntur.

SS. Cyrillus & Methodius, §. I.
S. Iwanus Eremita Patronus Bohemiæ, §. II.
S. Ludmilla Martyr, Patrona Reg: Boh: §. VII.
S. Wenceslaus Bohemiæ Dux, Martyr, Patronus Bohemiæ, §. VIII.
S. Vitus Martyr, Patronus Reg: Boh. §. X.
S. Sigiſmundus Martyr, Patronus Regni Boh: §. XI.
S. Wolfgangus Ratisbonenſis Epiſc: §. XII.
S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus & Martyr, Patr: Regni, §. XIV.

 Quin-

Digitized by Google

Quinque SS. Martyres S. Adalberti fratres uterini, §. XV.
Quinque SS. Martyres S. Adalberti Fratres Ordinis, §. XVI.
S. Henricus Imperator, Boh: defenſor. §. XIX.
S. Procopius Abbas, Bohemiæ Patr: §. XXI.
S. Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Patron: Boh: §. XXVI.
S. Leopoldus Auſtriæ Marchio, §. XXVII.
SS. Angela, & Euphraſia Virgines, hæc etiam Martyr, §. XXVIII.
S. Otto Bambergenſis Epiſcopus, §. XXIX.
S. Hedwigis Dux Sileſiæ. §. XLII.
S. Agnes Ordinis S. Claræ, Regis filia, §. XLIV.
S. Eliſabeth Vidua, Thuringiæ Princeps, §. XLVII.
S. Hyacinthus Ord: Prædicat: §. XLVIII.
B. Capiſtranus Ord: Minor: §. CXII.
B. Jacobus de Marchia, Ord: Minor: §. CXIII.
S. Caſimirus Wladislai Regis noſtri Frater. §. CXV.

CLASSIS II.

Eorum, qui etſi à Sede Apoſtolica in Sanctorum vel Beatorum cenſum relati non ſint, ab immemorabili tempore, ut Sancti vel Beati coluntur, vel ab idoneis Scriptoribus his titulis ornantur.

B. Borzivojus primus Boh. Dux Chriſtian: §. III.
B. Wratislaus Dux Bohemiæ, B. Borzivogij Filius, §. IV.
B. Przibislawa S. Wenceslai Soror. §. V.
B. Podiwinus Aulæ S. Wenceslai Præfect: §. IV.
B. Milada vel Maria Virgo Sanctimonialis prima Antiſtita ad S. Georgium Ord. S. Benedicti, §. XIII.
S. Gaudentius S. Adalberti Frater Archiepiſcopus Gneſnenſis, Ord. S. Benedicti, §. XVIII.
S. Guntherus Ord. S. Benedicti, §. XX.
S. Severus Pragenſis Epiſcopus ſextus, §. XXII.
B. Culmatius Eremita ad Monaſterium Stockenſe in Boh. Guilielmita, §. XXIV.
B. Gerwicus Eremita ad Waldſaſſium, §. XXV.
B. Henricus Zdik, Olomucenſis Epiſcopus, Ord: Præmonſtr: §. XXX.
B. Amabilia Veſtalis, Ord: S. Benedicti Clatoviæ, §. XXXI.
B. Eliſabeth Wladislai I. Regis filia Ord: Præm: §. XXXII.
B. Brzetislaus Henricus Dux Bohemiæ, Epiſcopus Pragenſis, Ord: Præmonſtr. §. XXXIII.
B. Adalbertus Wladislai II. Regis filius, Archiepiſcop: Salisburgen: Ord. Præm: §. XXXIV.
B. Agnes Ord. S. Benedicti & B. Hedwigis Ord. Præm: filiæ Regis, §. XXXV.
Agnetes duæ Ord. Præmonſtratenſis in Parthenone Doxanenſi, §. XXXVI.
B. Hroznata Ord. Præmonſtratenſis, Confeſſor & Martyr. §. XXXVII.
B. Woyslawa, Beatrix, Bohuslawa & Judith, Ord. Præmonſtrat: §. XXXVIII.
B. Andreas Epiſc: Pragenſis. §. XXXIX.
Adela vel Abda Conjux Regis Ottogari, Ordin: Ciſtercienſis, §. XL.
B. Abdela vel Adela vel Abda Ottogari I. filia, Ord. Ciſtercienſis, §. XLI.
Henricus Probus Dux Sileſiæ, & B. Anna ejus Conjux. §. XLIII.
B. Caſtulus Præpoſitus Siloënſis, Ord: Præmon: §. XLV.
B. Gerlacus Abbas Milovicenſis, Ordin: Præm: §. XLVI.
B. Ceslaus Germanus S. Hiacynthi Ord: Præd: §. XLIX.
B. Henricus Moravus, & B. Hermannus Ordin. Præd. §. L.
B. Bertholdus Ord. S. Franciſci, §. LI.
B. Margareta Wladislai II. Filia, Ord. Præm: §. LII.
B. Zdislawa Ord: Prædic: §. LIII.
B. Cunegundis Ord S. Benedicti. §. LIV.
B. Euphemia Ordin. Prædicat: §. LV.
B. Conradus Ord: Prædicat: §. LVI.
B. Joannes Schwenckfeldius Ordin. Prædicat: §. LVII.
B. Arneſtus Archiepiſcopus Pragen: §. LVIII.
S. Joannes Nepomucenus, Canonicus Eccl. Prag: §. LIX.
S. Hieronymus Prag. Ord: Camaldulenſium, §. CXI.
B. Joannes à Miſna Ord. Minor. §. CXVI.

CLAS-

CLASSIS III.

Eorum nomina, qui licet neque à Sede Apoſtolica Sancti vel Beati declarati ſint, neque ut Sancti colantur, odio tamen Sanctæ fidei vel ab Ethnicis, vel ab hæreticis ſunt interfecti.

Cæſi à Drahomira Chriſtiani, potiſſimùm Sacerdotes, §. VI.
Proſtivojus Apoſtolicus Sacerdos odio Religionis necatus. §. XVII.
Sacerdotes Chriſtiani à Judæis crudeliſſimè peremti, §. XXIII.
Zbynko ab Haſenburg Archi: Prag. veneno ab hæreticis ſublatus, §. LX.
Petrus Lazurus Abbas, quòd theſauros Eccleſiæ prodere nollet, occiſus, §. LXI.
Plurimi Catholici ab hæreticis poſt An. 1420. excarnificati, & occiſi. §. LXII.
Undecim Viri Conſulares Pragæ ob Catholicam fidem necati ab hæreticis. §. LXIII.
Carthuſiani Pragenſes ab hæreticis injurijs affecti, ad extremum peremti, §. LXIV.
Cœnobia Prædicatorum Clatoviæ & Piſecæ exciſa omnibus interemtis, §. LXV.
Pragæ Cœnobia pleraque exciſa cum Religioſis omnibus. §. LXVI.
Auſta Sezymæa ob fidem Catholicam funditus deleta, §. LXVII.
Plurima Cœnobia Pragæ, alibíque cum incolis deleta. §. LXVIII.
Servitæ ſexaginta quatuor Pragæ ab hæreticis occiſi, §. LXIX.
Tria rurſus Cœnobia Ord. S. Benedicti & Ciſterciense duplex deletum, §. LXX.
Gredicenſe Cœnobium Ord: Ciſterc: & Brzewnovienſe Ord. S. Bened: exciditur, §. LXXI.
Jacobus Rector Univerſitatis Prag. & quatuor Aulæregienſes, hi injiciuntur in rogum, ille in exilium deportatur, §. LXXII.
Plurimorum Monachorum & Sacerdotum cædes à Ziſka, §. LXXIII.
Prachaticium Urbs Catholica deletur, §. LXXIV.
Spineæ Coronę Cœnobium Ciſter: vaſtatur occiſis Monachis. Wodniani Sacerdotes exuruntur, §. LXXV.
Cœnobia in tractu Reginohradecenſi cum ſacris incolis flammis abolentur, §. LXXVI.
Plurima alia Cœnobia delentur, §. LXXVII.
Berauna Civitas excinditur, §. LXXVIII.
Welehradi in Moravia Abbas cum ſuis crematur. Item ad Stradow Minores, §. LXXIX.
Commotovium ob religionem deletur. §. LXXX.
Cœnobij Raudnicenſis Canonici à Ziſka petimuntur. §. LXXXI.
Broda Catholica Civitas cum Civibus deletur. §. LXXXII.
Cautzimij Ciſtercienſes, Colini & Chrudimij Prædicat: flammis cremantur, §. LXXXIII.
Czaslaviæ Minores, Nymburgi Prædicatores, Cuttenbergę Catholici ab hæretic: occiduntur, & membris mutilantur. §. LXXXIV.
Rurſus Sacerdotes, item Sedlecenſes Religioſi ob Religionem necati, §. LXXXV.
Excidia quàm plurima Cœnobiorum, & ſacrorum hominum cædes, §. LXXXVI.
Jaromiriũ cũ Civibus & Religio: §. LXXXVII.
Ad Tuſtam cædes Religioſorum plurimæ. §. LXXXVIII.
Doxanenſe Ord. Præmonſtr. Teplicenſe Ord. S. Benedicti, Oſſecenſe Ciſtercienſium Cœnobia delentur. §. LXXXIX.
Bilinæ, & ad Brixiam Catholicorum laniena, §. XC.
Plura iterum Cœnobia diverſorum Ordinum deleta, §. XCI.
Teutobroda deletur, Sobieslaviæ Sacerdotes Catholici flammis conſumti, §. XCII.
Müglicium in Moravia deletur, tum quædam alia Cœnobia ibidem, §. XCIII.
In Moravia cædes Catholicorum ab hæreticis patratæ. §. XCIV.
Czernin odio fidei necatus, Turnovij totus Conventus Ord: Prædicatorum, §. XCV.
Plurimi in Cœnobijs denuo occiſi. §. XCVI.
Przibislavia deleta. Lucenſe Cœnobium exciſum; in Bohemia cædes Catholicorum. §. XCVII.
Nymburgi duo Sacerdotes occiſi, §. XCVIII.
Litomiſſlium cum Catholicis deletum, & quædam vicina Cœnobia, §. XCIX.
Slanæ Urbis, tum plurimarum Catholicarum Urbium excidia. §. C.
Henricus Colman, & Trezka odio Religionis excarnificati. §. CI.
Ozelka Parochus exuritur; aliæ quoque Catholicorum cædes, §. CII.

Duxovium prorſus exciſum, tum aliæ Catholicorum Arces & Oppida. §. CIII.
Auſta cũ Civibus internecione deletur, §. CIV.
Quædam Sileſiorũ Catholicorũ cædes. §. CV.
Ungari, Moravi, Sileſij, Luſatij Catholici multi necati, præcipuè Lubanæ, §. CVI.
Rurſus Catholicorum cædes plurimæ in Bohemia, Sileſia, Luſatia. §. CVII.
Franckſteinenſes Martyres in Sileſia Ord: Præd: §. CVIII.
Novocellenſe Cœnobium exciditur, §. CIX.
Guba Catholica Civitas deletur, §. CX.
Pragæ Senatus ob religionem Catholicam necatur. §. CXIV.
B. Joannes à Miſna Ord. Min. Strict. Obſervan: (§. CXVI.
Chriſtiani duo Pueri à Judæis necati. §. CXVII.
Edmundus Campianus S. J. §. CXVIII.
Chriſtophorus Spotecus, S. J. §. CXIX.
Adamus Markowsky Eques Polonus ob Relig: Glacij occiſus. §. CXX.
Quatuordecim Cœnobitæ ad Nives ab hæreticis necati. §. CXXI.
Joannes Ogilbæus S. J. §. CXXII.
Joannes Erneſtus Schofferus, ob Religionem Catholicam Auſtæ trucidatus, §. CXXIII.
Melchior Grodecius S. J. §. CXXIV.
Joannes Sarcander in Moravia ab hæreticis excarnificatus, §. CXXV.
Carolus Spinola S. J. §. CXXVI.
Vitus Weiſman, ejusdem Soc. §. CXXVII.
Camillus de Gram, Ord. S. Benedicti ab hæreticis occiſus, §. CXXVIII.
P. Mathias Burnatius S. J. ab hæreticis occiſus, §. CXXIX.
P. Hieremias Fiſcher S. J. ab hæreticis occiſus, §. CXXX.
Joannes Meagh Sacerdos, S. J. Martinus Ignatius, & Wenceslaus Trnozka Laici S. J. ab hæreticis occiſi, §. CXXXI.
P. Laurentius Paſſoke, & P. Mathæus Cramerus S. J. ab hæreticis occiſi. §. CXXXII.
Matthæus Chriſtianus puerulus à Judæo peremtus, §. CXXXIII.
P. Georgius Konigius S. J. à Turcis occiſus. §. (CXXXIV.

De hac tertia Claſſe, *ſcilicet de* Bohemis Catholicis, *Nobilitate, ac Civibus, quos* Hæretici *Religionis odio* An. *1420. & ſequentibus crudeliſſimè peremerunt, & quorum cædes in hac Prima Libri IV. Parte ſuis temporibus, ac locis deſcribentur*, Teſtimonium *omni exceptione majus, & irrefragabile habemus.*

Pius II. Papa in Literis Apoſtolicis, ad omnes Chriſti Fideles adverſus Georgium Boh. Regem ſcribens: *In inclyto illo*, inquit, *Bohemiæ Regno Hæretici magnos motus excitarunt &c. Proceres tamen, & Nobiles in ipſo Regno, & Marchionatu Moraviæ, & Civitates pleræque, ſanctiſſimè in fide permanſerunt, ita ut quamvis armata hæreſis Fidelibus vim facere ſtatuiſſet, atque adverſus eos arma moviſſet, nunquam tamen ab Evangelij veritate Sanctorúmque Patrum doctrina, & Romanæ Eccleſiæ obedientia divelli potuerint, potiùs occumbere, ac omnibus tormentorum generibus affici, quàm illorum inſaniæ conſentire voluiſſent, ita ut multos Martyres noſtra ætas in Bohemia viderit. &c. Datum Romæ in Conſiſtorio publico apud S. Petrum. XVII. Calend. Julij 1463.* Acta Publica, & Codex M. S. literar. public. mihi fol. 171.

Similia ante Pontificatum *de Bohemis* ſcripſerat idem Pius (præfat. ad hiſt. Boh.) *Viri fortes! qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro teſtamento Chriſti fortiter pertulêre, nunc cum Rege ſuo in cœlo regnant, quorum multa millia Bohemia tulit &c. nec Provincia eſt, quæ tempore noſtro plures Chriſti Martyres, quàm Bohemia produxerit, &c.*

FACUL-

Digitized by Google

FACULTAS

REVERENDI PATRIS

PROVINCIALIS
BOHEMIÆ.

Cùm Librum IV. Miſcellaneorum Hiſtoricorum Regni Bohemiæ, qui Vitas, Sanctorum, & Beatorum, nec non eorum, qui cum opinione Sanctimoniæ vixerunt, & in eodem Regno obierunt, à P. BOHUSLAO BALBINO SOCIETATIS JESU conſcriptum, tres ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate acceptâ, à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA SOCIETATIS JESU PRÆPOSITO GENERALI, Facultatem concedo, ut Liber Typis mandetur. In quorum fidem haſce literas manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo officij munitas dedi. Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 3. Julij, Anno 1681.

(L. S.)

WENCESLAUS SATTENWOLFF.

Digitized by Google

LIBER IV.
MISCELLANEORUM HAGIOGRAPHICUS.
PARS PRIMA.
§. PRIMUS.
SS. Cyrillus, & Methodius Slavicarum gentium, & in ijs Bohemorum Apoſtoli.

CONSTANTINUS (Romæ poſtea CYRILLUS appellatus) Theſſalonicæ clariſſimâ Græciæ Urbe natus eſt; Fratrem habuit *Methodium* vel *Methudium*, moribus & vitâ prorſus germanum, iiſdémque virtutis, & doctrinæ ſtudijs conjunctiſſimum. Emenſo liberalium artium, ac præcipuè *Philoſophiæ* (in qua habitâre quodammodo videbantur, ideóque *Philoſophi* per excellentiam ſuâ ætate ſunt vocati) emenſo, inquam, *Philoſophiæ* curriculo, ad diviniorem Philoſophiam animum adjecêre; itaque relicto poſt tergum humano genere, Cœnobio ſeſe *Conſtantinopoli* Fratres includunt, ſub *D. Baſilij* diſciplina, vitam Angelicam à Divinis laudibus exorſi; *Methodius* in illa ſolitudine præterea, pingendi artem, quam adamârat à puero, tantâ ſedulitate excoluit, ut in Imperatoria urbe, quò Artificum illuſtrium nomina omnia confluebant, ſummos inter Pictores haberetur. Abdiderant ſeſe in nobiliſſimum otium, ſed divinitas eos in Solem, & pulverem jam tum educere ſtatuerat: habitabant id temporis ad *Conſtantinopolim* in *Aſiæ*, & *Europæ* finibus Barbaræ nationes quàm plurimæ (*Barbaras* appello, quòd unde omnis vera humanitas petenda eſt, DEI veri notitiâ carerent) itaque vultus quidem hominum, mores habebant ferarum: omnia libidine, crudelitate, & ſangvine confundere, nihil vetitum eſſe putare, jus omne in dextris & armis, & violentia ponere, eóq; excrevit potentia, ut ſæpius *Conſtantinopolim* ipſam juſto

Patria horum Sanctorum.

Bolland. ad 9. Martij. & xi. Febr. in vita S. Theodoræ Imperatr:

Ordo Religioſus.

Methodius Pictor.

Bolland. l. c. xi. Febr. Anaſtaſ. Bibliothec: in vita Nicol. 1. Pont.

Digitized by Google

Occaſio & cauſſa Chriſti D. fidem Bulgaris prædicandi

juſto Exercitu terruerint, & obſeſſam tenuerint. *Imperatores Orientis* tam vicinæ peſti propulſandæ remedia necquicquam quærentes, tandem in eam, viris maximis in conſilium vocatis, venêre ſententiam: ſi Chriſti fidem *Barbari* ſuſciperent, mitiores ſinè dubio, & ex hoſtibus amicos Imperij futuros. Imperabant in Oriente eo tempore *S. Theodora* Mater cum filio *Michaële*; ad eam rem perficiendam *Fratres Theſſalonicenſes* aptiſſimi ſunt viſi; nulla mora: communicato cum ijs conſilio, protinus ad *Slavorum* linguam diſcendam, ſtudio Chriſtiani nominis proferendi, apud *Gazares*, *& Cherſoneſios* adjecerunt animum, brevíque eo labore devorato, commendatione *S. Imperatricis Theodoræ* muniti, An. C. 848. ad *Bulgaros* primùm proficiſcuntur.

Bogores picturâ ultimi judicij ad Chriſtũ adductus.

Bogores Bulgarorum Rex advenas libenter accepit, cúmque artis pictoriæ amantior eſſet, hoc maximè telo petitus eſt; rogaverat, pingerent Imaginem, quæ terrificum aliquid, & quod maximè horribile videretur, repræſentaret: pinxit Judicium extremum *Methodius*, tanto, támque horrido ex pereuntium elementorum, ac totius generis humani clade, ſpectaculo, ut *Bogores* percelleretur, maximè poſtquam per eam cauſſam *Chriſtum Judicem*, & unà Chriſti Religionem miranti Regi, *Cyrillus* explicuit, tantúmque in Regis animo timor ille invaluit, ut Baptiſmum poſtularet, universâ Nobilitate, ac populo, Regis exemplum ſequente. *Bulgarici* Regni converſionem ad Chriſtum aliæ *Slavorum Provinciæ* imitari voluerunt, quas *Bollandus* enumerat.

Legatio Moravorũ pro S. Cyrillo.

Cùm apud *Gazares Cyrillus, & Methodius* verſarentur, *Svvatoplucus Moraviæ Rex*, vicini Regni *Bulgariæ* exemplo, ſplendidam Legationem ad *Michaëlem Imperatorem* adornat, rogátque, ut *eximium illum Doctorem Conſtantinum* ad ſe pro poteſtate mitteret; impetratum eſt, quod tanto ambitu precum quærebatur; venit *Cyrillus* fratre comite, & intra quatuor annos cum dimidio, *Moraviæ* ampliſſimo Regno percurſo, totam propè illam regionem adduxit ad Chriſtum, & *Sedi Apoſtolicæ* (cui tum *Nicolaus I. Pontifex* præerat) ſubjecit. Accidit per id tempus, ut *Borzivogius Bohemiæ Princeps* in Moraviam in Procerum ſuorum comitatu ad Regem *Svvatoplucum* veniret; nihil habuêre antiquius *SS. Præſules* in Aula tum Regis verſantes, quàm *Juvenem Bohemiæ Principem*, à quo ſalus totius populi penderet, Chriſto adjungere; prædicato igitur Evangelio, & Religionis Chriſtianæ veritate probatâ, promiſſo inſuper DEI nomine Regno, quod *Borzivogij* poſteritas à *Moravis* translatum, per ſæcula obtineret, aliíſque Divinis, & humanis fælicitatibus, initiatum Chriſtianis ſacris *Borzivojum* cum tricenis Aulicis in *pervigilio S. Joannis Baptiſtæ* ſacris aquis abluêre. De Anno non æquè conſtat; pleríſque An. 894. cum *Hagecio* ponentibus, quod fieri non potuiſſe alibi probavi; circa An. 855. geſta res eſt *Nicolai Papæ* Pontificatu, qui *Cyrillum Archiepiſcopi Welehradenſis* (quæ tum Regni Metropolis erat) titulis, & inſignibus exornavit pro merito; acceſ-

In Epitom:

sêre

ſere deinde *Bohemiam SS. Apoſtoli, & Slaviboro* Comite, totâque domo *Comitum Mielnicenſium*, ante omnes *Ludmillâ Principis* conjuge Chriſtiano ritu ſalutaribus aquis ablutâ, Eccleſias conſecrârunt, literis Slavicis inventis Scholas aperuerunt, totam denique Religionem ordinârunt. Anno 867. *Romam Cyrillus & Methodius* profecti ſunt; cauſſæ profectionis erant obtrectationes *Præſulum Germanorum*, quibus inſtitutio *Metropolitanæ Eccleſiæ, & ſex* novorum *Præſulum* non placebat, tum accuſationes cæteræ adverſùs homines exteros, qui *Slavonicè* ſacra peragerent, aliáque hujusmodi, quæ etiam mortuo *Cyrillo in Methodium* fuerunt conjecta. Attulerant *SS. Apoſtoli*, cùm in has oras venirent, *S. Clementis Papæ* corpus *Cherſonæ* acceptum, eóque circumlato *Bohemiæ* Eccleſias honorârunt; donum hoc dignum viſum eſt, quod Apoſtolicæ ſedi offerrent: Urbem ingreſſis 13. Novembris, *Nicolao* Pontifice è vita excedente, *Adrianum* An. 868. *Roma Pontificem* accepit, qui ſacro munere lætus, *Cyrillum & Methodium* benignè audivit, defenſionem probavit, inſuper *Slavicæ* gentis Apoſtolatum contulit, nominatim *Cyrillo Metropolitani* dignitatem confirmavit; tum corpus *S. Clementis* in Inſula, & Eccleſia nomini ejus pridem *Romæ* dicata, reverenter juſſit deponi. An poſtea *Cyrillus in Bohemiam* redierit, dicere non habeo; ſed breviſſimo pòſt tempore, Archi-Epiſcopalem dignitatem exuiſſe, & *Adriano* annuente, transtuliſſe in fratrem, Monachalíque habitu *S. Benedicti* recto ac ſimplici, ad *S. Clementis* corpus reliquam brevem exegiſſe vitam Benedictinorum monimenta aſtruunt fidem. Paulò pòſt, quantum conjicere licet A. 869. 9. Martij, finem vivendi fecit *Cyrillus*, *Methodio* apud nos Apoſtolicis laboribus inſudante, qui comperto fratrem obijſſe, *Romam* protinus recurrit, & juxta id, quod inter Matrem, & ipſos convenerat (videlicet, *ut mortui fratris corpus ſuperſtes frater Conſtantinopolim ad Cœnobium deferret*) *Cyrilli* corpus aſportare in *Græciam Româ* conniſus eſt, ſed retractus, & *Cyrilli* ſacrum corpus in Eccleſia *S. Clementis* relinquere coactus, ad *Bohemos* ſuos revolavit. Recruduêre rurſùs *Germanorum Præſulum* accuſationes, quæ *Methodium* Romam iteratò petere coëgerunt; ibi habito Concilio, innocentiâ Viri compertâ abſolutus, etiam illud, quod narrat *Baronius*, ab *Joanne VIII.* impetravit, ut *Slavicâ linguâ in Sacris uti liceret*. A Pontifice denique magno cum honore dimiſſus eſt, ac *Moraviæ* Regi diligenter commendatus, univerſis Præſulibus ejus Regni, *Methodio* parêre juſſis; multa deinde paſſus, cùm maximas, quibus premebatur, anguſtias, eidem *Pontifici* indicâſſet, conſolatorias ab illo literas meruit accipere, quibus ad fortiter agendum ſummopere eſt animatus. Poſt annos aliquot ingraveſcente ætate, ex *Bohemia* in quam pridem ſceleribus, & contumaciâ novi Regis *Svvatoboij* offenſus immigrârat, omnibus ritè compoſitis, *Romam* aliquando reverſus, ibi ſanctiſſimo fine vitam concluſit, cujus cineres fratris æquè Sancti cineribus commixtos,

Bohemia converſa ad Chriſtũ.

S. Clementis corpus Romam allatum.

Mors S. Cyrilli.

S. Methodius accuſat. à Rõ: Ponti: abſolvitur.

Ricciol. in Chronol. Reformata T. IV. tit. 2.

tos, hodiéque Eccleſia illa *S. Clementis*, poſtea *S. Adalberti*, tandem illato *S. Bartholomæi Apoſtoli* corpore, *S. Bartholomæi in Inſula Tiberina* nuncupata, religioſiſſimè ſervat. Atque utinam exoriatur aliquis, qui Sanctiſſimas haſce Apoſtolorum noſtræ gentis exuvias, *Româ* alioquin Sanctorum corporibus nimiùm abundante, & divite, impetret, eíſque *Bohemiam*, ſine dubio cœleſti dono conſecrandam exhilaret! Edidit *S. Cyrillus Apologos* elegantiſſimos Græcè, quæ Scripturæ vetuſtiſſimo genere Slavicè in Bibliothecis noſtris antiquis leguntur, & in Latinam linguam hoc ſæculo ſunt translatæ; *Methodius* inventor fuit *Slavicarum literarum*, ſeu characterum (quo nomine ab ejus ævi *Scriptoribus Germanis* accuſatur, ùt alibi diximus) uterque Univerſitatem quandam ſtudiorum *Budecij Pragâ* non procul, fundârunt; *Latinis literis* excultum præterea fuiſſe *Cyrillum*, ac vetus, novúmque Teſtamentum, pluráque alia ex Græco, Latinóque ſermone in *Slavorum* linguam transtuliſſe, *Chriſtannus* eſt author.

S. Cyrilli libellus apologorum ſacrorum. *Bolland. ad XI. Martij.*

S. Methodij lucubrationes.

Chriſtann. nepos S. Wenceslai in vita S. Ludm:

Ad maximam, ejuſdem *S. Cyrilli* gloriam ſpectat quod ſequitur, ídque Vir omni exceptione major *Anaſtaſius Bibliothecarius* commemorat; unde *S. Apoſtoli*, Religionis Zelus, veritatis amor & defenſio, animi fortitudo, ac præcipuè altitudo ſcientiæ, & firmitas elucet. Omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ periti ſciunt, quantas turbas *Photius*, dum *S. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum* ſophiſticis artibus oppugnat, conciverit; audiamus *Anaſtaſium: ante aliquot annos Photius duarum unumquemque hominem animarum conſiſtere prædicabat, qui cùm à Conſtantino Philoſopho* (is eſt S. Cyrillus noſter) *magnæ Sanctitatis Viro, fortiſſimo ejus amico, increpatus eſſet, dicente: Cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas interfeciſti? reſpondit: non ſtudio quenquam lædendi talia dicta propoſui, ſed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore quælibet hæreſis per ſyllogiſmos Philoſophorum exorta pateſceret, qui ſcilicet Viros exterioris Sapientiæ repuliſſet? verùm ignoravi, me ſub hujus fomite propoſitionis tot animas fore læſurum. Ad quod Cyrillus: O ſapientia mundi, quæ infatuatur, & deſtruitur! jactaſti ſagittas in multitudinem copioſæ turbæ, & ignoraſti quemlibet ex his omnibus vulnerandum? Certè omnibus liquet, quia ſicut oculi, quantumlibet ſint magni, & aperti, ſi fumus palearum interjacuerit, videre ultra non poſſunt; ita oculi Sapientiæ tuæ quantumlibet ſint ampli & patuli, avaritiæ tamen, & invidiæ fumo penitùs obcæcati, tramitem juſtitiæ videre non poſſunt. Ac per id verùm eſt, quod dicis, neminem ictu tuo putaſſe eſſe lædendum, cùm ſic obcæcatum ſenſum prædictis adverſum Patriarcham paſſionibus habens, nec quid e miſeris, prævidiſti.* Refert iſta ex *Anaſtaſio Bollandus*, conjectátque id colloquium & reprehenſionem *Photij à S. Cyrillo* Anno Chr. 848. aut ſequenti contigiſſe.

Anaſt. præfat. in Conc: 7. Univerſ. Conſtantinopol.

Sapientia & fortitudo S. Cyrilli.

Vana excuſatio Photij

Invidia Photij adverſus S. Ignatiū.

Bolland. ad 9. Martij.

Hæc de Sanctiſſimis noſtræ Gentis *Apoſtolis*; in quorum geſtis explicandis

candis multas chronologicas hallucinationes in diverſis Scriptoribus invenimus, nos ex *Baronio*, *Bollando*, antiquis Eccleſiarum monimentis, divini officij vetuſtis Lectionibus, tandem ex idoneis Scriptoribus hæc excerpſimus.

Notæ.

Facere non poſſum hoc loco, quin obiter *Lectores* meos admoneam: me ita Vitas haſce *Divorum* concinnâſſe, ut ingentem poſt me Silvam & argumentum ſcribendi relinquam, ſi qui ſuerint, qui *Vitas SS. & Beatorum Coronæ Bohemiæ* (videlicet Bohemorum, Moravorum, Sileſiorum, Luſatiorum) tractare voluerint; conficiet ingens volumen, aut volumina potiùs, quiſquis id ſibi propoſuerit; ego, ut *Magiſtri Pictorum* ſolent, prima lineamenta duxi, ornatum addant poſteri; mihi in hac ætate ſenectâ ſatis eſſe poteſt, *Divos vel nominaſſe*, cùm ante me objectum eſſe ſciam *Bohemis*, *Moravis*, *Sileſis*, *Luſatijs*, *carere illos Sanctis & Beatis*; ceſſabit igitur hæc ſeu accuſatio, ſeu obtrectatio, ſeu querela, ſatíſque patebit, quænam gens potiùs, quàm noſtra, penuriâ & paucitate Sanctorum laboret.

Mens Authoris in opere præſti.

Quod *SS. Cyrilli* (ſeu Conſtantini) *& Methodij* geſta attinet, ſciant *Lectores* ita illa eſſe confuſa, ut quod uni tribuitur, ab alijs alteri tribuatur. *Cyrillum Slavicos* characteres excogitaſſe tradunt Veteres Scriptores, idem ab alijs æque vetuſtis Scriptoribus (ut in Epitome dixi) adſcribitur *Methodio*; communia hiſce *Sanctis Fratribus* omnia fuiſſe videntur: *Borziwojum Principem Bohemiæ S. Cyrilli* prædicatione ad Chriſti fidem amplectendam adductum in Annalibus legimus, pro *S. Cyrillo* (ídque probabilius videtur) *S. Methodium* nominant alij, *Hagecius S. Cyrillum* Baſilicam B. Virginis Teinenſem conſecraſſe ſcribit, quod à *S. Methodio* factum Chronologia ipſa videtur evincere, & in hanc partem *Dubravius*, *& Bollandus* inclinant. Chronologia intuenda ſemper eſt hiſtoriam condentibus, eámque velut *Ariadnæ* filum, aut perpendiculum ſemper tenere, & habere ad manum convenit, nè quid pravè exſtruatur; hæc certa ſunt quæ ſequuntur: *SS. Apoſtolos ex Bulgaria in Moraviam* expetitos & impetratos *Welehradum* adveniſſe poſt A. C. 856. Moravis quatuor annis & dimidio Chriſtum prædicaſſe (quo tempore *Borziwoius Princeps* cum Aulæ Proceribus Chriſto nomen dedit, & *Welehradi* ſacris ablutus eſt aquis) poſthæc in *Bohemiam* tranſijſſe, & magnam Populi Partem præſertim in ditione *Comitum Mielnicenſium* cum ipſo *Slaviboro* & conjuge *Lidoslava*, & filio *Hauſek* ac cæteris, Chriſto initiaſſe; An: 868. *S. Clementis* corpus detuliſſe *Romam*, quam 13. Novembris ingreſſi ſint. Anno ſequenti 869. 9. Martij Romæ *S. Cyrillus* è vivis exceſſit; accurrit illico *Romam*, qui ad nos nuper redierat *S. Methodius*, & corpus SS. Fratris ſui in Græciam aſportare volens, prohibitus eſt, atque in *Bohemiam & Moraviam* regreſſus, Apoſtolicos labores continuavit (quod ex Epiſtola *Joannis VIII.* Pontificis conſtat) longè ultra Annum 882. Tandem ordinatâ univerſâ

Vita S. Ludmillæ M.S. Bollãd. xi. Martij. Dubr. l. c. Pont. in Bo: Pia. Hagek in Ann: Boh. Coſmas in hiſt. Boh. Æn. Sil. C. 13. hiſt. Boh. Dubrav. l. 2. hiſt. Boh. Bolland. ad 9. Martij.

Chronologia SS. Cyrilli & Methodij.

Digitized by Google

Baron. in Annot. ad Martyrolo: Rom. Reliquiæ eorum. *Octav. Pancirol. in Theſauris abſconditis Almæ Urbis. Boll. l. cit. Epitom. l. 1. C. 4. 5.*

verſâ Eccleſiarum noſtrarum Oeconomiâ, ætate & laboribus fractus *Romam* conceſſit, ibique moriens ad Fratrem appoſitus eſt: de quo *Baronius*: *iidem Sancti* (Cyrillus & Methodius) *Romæ morientes, miraculis clari ſepulti ſunt, quorum ſacras Reliquias nuper ſub altari in ejusdem Eccleſiæ* (S. Clementis) *Sacello pervetuſto repertas accepi.* Subſcribit Baronio *Pancirollus*, aítq; in Eccleſia *S. Clementis* horum Sanctorum corpora aſſervari. De eorum Canoniſmo vide *Bollandum*; primum in orbe toto eorum honori Templum *Boleslaviæ Veteris* ſtatuit *Wratislaus Bohemiæ Princeps Borzivogij* filius, non multis poſt *S. Methodij* obitum interjectis annis ante An. C. 916. ut in *Epitome* docuimus, Chronologiâ id poſcente.

§. II.
S. Ivanus Eremita.

Auctarii l. hiſt. S. Montis.

CONſecravit Patriam noſtram *Ivvanus*, *Geſtimuli Dalmatarum Regis*, *à Lothario* ejus nominis I. Imperatore A. 845. in prælio occiſi, primogenitus, qui contemtis omnibus mundi illecebris paternum Regnum fugere, ac in ſolitudinem aliquam ſeſe abdere *Chriſto* uni famulaturus conſtituit; cùm de fuga conſtitiſſet, *Fratres* fraterno amore fugientem ſecuti aſſeqvuntur; ille ad DEI opem verſus, impetravit, nè poſſet agnoſci; cœleſtis deinde Genius aſpectabilis tranſire *Danubium* juſſit, & in *Bohemiam* deduxit: quadraginta duos annos in *Bohemia* verſatus varia antra incoluit; noviſſimum fuit (quod in *Petra* dicimus) ubi annos 14. permanſit: primo biennio moleſtos in eo antro ſenſit dæmones, ut locum mutare cogeretur; abeunti (locus hodiéque oſtenditur) *S. Joannes Baptiſta* occurrit, *&* *Cruce* datâ, jubet intrepidè iter relegere; fecit, & *Legionem* illam *Tartaream* cum cruce penetrans fugat, uníque Dæmoni imperioſiùs reſiſtenti *crucem* in os impingit, & injicit, qui illam continuò evomens grandi foramine & hiatu relicto evolavit. Hinc jam quies, & diurna ſinè interpellatoribus, nocturnáq; oratio; nec defuit Divina Providentia, quæ jam pridem cultori ſuo nutritiam addidit *cervam*, cujus *lacte* quotidie paſceretur *Ivanus*. hanc *Borzivogius Bohemiæ Princeps S. Ludmillæ conjux*, in venatu deprehenſam, & ad *Ivani* ſpecum fugientem confecit; ejus tumultûs cauſsâ antro egreſſus ſenex, blando *Borzivoij* ſermone delinitus, vitam ſuam omnem aperit, & invitatus, aſello etiam miſſo, die ſequenti *Tetinum ad Principes* venit, quos in Religione & virtutum, & cœli amore mirificè confirmatos reliquit. Inſtante verò jam mortis tempore *S. Ludmilla* per viſum cælitus admonita, *Paulum Sacerdotem* ſuum ad *Ivanum* cum omni ſacrorum apparatu ablegat, qui noxis ejus auditis, *SS. Eucharistiâ* refectum comparavit ad mortem; poſt triduum abiit in cœlum ſenio, ac magìs Sanctimonia vitæ venerabilis; ſi *Hagecius*, *&* *Pontanus*

S. Iwanus Angelo ducente in Bohemiam venit.

Cerva S. Ivani cóficitur

Mors Ivani.

Digitized by Google

canus non fallunt circa Ann: C. 910. Sacellum ſuper Viri Sancti tumulum *S. Crucis*, DEI Matris, & *S. Joannis Baptiſtæ* honori condidêre *Principes*, eúmq; locum Sacerdotibus commisêre; poſtea *Hazembergicæ* ſtirpis illic viciniæ dominantis beneficâ liberalitate, Cœnobium excitatum eſt, & *D. Benedicti* familiæ donatum; de quibus vide *Auctarium* noſtrum *hiſtoriæ S. Montis*, & *R.P. Fridericum Bridelium* in vita *S. Ivvani*, quæ nomine *Archi-Epiſcopi Pragenſis Matthæi* fuerat evulgata. At quod ibi additur, *Neklano in Bohemia* imperante in *Bohemiam Ivvanum* adveniſſe, defendi ægerrimè poteſt; forſitan *Hoſtiviti* Ducis nomen ſupponi oporteret. *Tumulum S. Ivvani Cæſar Matthias* ornavit, auguſtam Eccleſiam *Leopoldus I. Imperator* ſuperſtruxit. Vitam *S. Ivvani* ſcripſêre *Pontanus*, *Salius*, *Chanovvsky*, *Bridelius*, quorum poſtremi tres è *Societate JESU* Sacerdotes. *ſub A. 1020.*

§. III.
Beatus Borzivoius primus Ducum Bohemiæ Chriſtianus.

B*Orzivojus Hoſtiviti Pragenſis Ducis filius*, inter An. C. 830. & 840. veroſimiliter editus in lucem eſt; ſuſcepto poſt mortem Patris regno, *Borzivoius juvenis* (ùt diſertè tradit *Chriſtannus*) ad amicum Regem Slavorum *Svvatoplucum* nomine, in triginta Procerum ſuorum comitatu profectus, bonâ fortunâ apud Regem *SS. Cyrillum & Methodium* invenit, à quibus Chriſtianis ſacris inſtitutus, & pridie *S. Joannis Baptiſtæ* initiatus eſt cum ſuis, rediénsque domum *Paulum Keicham* Sacerdotem Chriſtianum in Bohemiam adduxit. Primus hic Pragenſium Principum fuit, qui Chriſto nomen dederit, ùt in his *Miſcellaneis* noſtris poſtea probabimus. Graves inde perpeſſus calamitates, etiam *Principatu* dejectus ob Religionem exulavit: cùm præſidia humana deeſſent, ad Divina, & præcipuè ad DEI Matrem *MARIAM* confugit, Baſilicam ejus nomini conditurum voto promittens; cujus cœleſti auxilio, ſuperatis à Clientum parva manu ab genero ſuo *Comite Slaviboro* hoſtibus, reſtitutus, *Baſilicam Tinenſem* Pragæ ante Curiam ſuam condidit DEI Matris in Cœlos Aſſumtæ honori, quam alter è *SS.* Apoſtolis *Slavorum* conſecravit; exilium hoc, tum alia ad *Borzivojum* ſpectantia diligentiſſimè deſcripſit *Chriſtannus* primus Bohemiæ Scriptor (quem nuper vulgavimus) *Boleslai Sævi Bohemiæ Ducis filius*, *Borzivoij* pronepos. Vitam egit Sanctiſſimam *Borzivoius*, Pontifici propiorem, quàm Principi, uni Religioni proferendæ intentus; poſt hæc *Spitihnæo* filio in ſolio Principis locato, circa An. D. 905. ipſe una cum conjuge Sanctiſſima *Ludmilla* (de qua paulò pòſt) humano genere, & Principatûs titulo poſt tergum relicto, in *Tetinenſem* ſolitudinem ſeceſſit, multóſque per annos DEO

Vide Epitomen noſtr: Chriſtan: in vit. S. Lud.

Paulus Keicha primus in Boh. Sacerdos.

Borzivojus exul voto ad Dei Matrem edito Regnum recepit.

Borzivoius in ſolitudine ſeceſſit.

Digitized by Google

uni, totis ſenſibus deditus, grandi ætate (ſeptuageſimum ſeptimum attigiſſe *Weleslavinus* affirmat) elatus eſt. Virtutes tanti Principis, & vita Chriſtianis inſtitutis ſanctiſſimè acta, meruêre, ut eum *Beati* titulo antiquitas honoraret, conditus eſt in *S. Georgij Eccleſia* in Arce S. Wenceslai Pragæ quódq; memorabile, & firmius ad fidem ſanctitatis faciendam: Corpus *Borzivoij* in Ara ipsâ intra *Altare*, quod eſt in Eccleſiæ medio condidêre religioſiſſimi Majores noſtri, qui fuit ritus Veterum, quempiam *Beatorum & Sanctorum* numero aggregandi, *Canonizationem* hodie vocant, ùt ex *Cardinale Baronio* pridem oſtendi. *Dubravius* in hiſtoria Bohemiæ, *Borzivoium in Baſilica* ſua *Teinenſi* conditum ſignificat, ſed ſubſcriptorem non habet: nam cæteri rerum Bohemicarum Scriptores, *Borzivoium* in nova ab ſe honori *S. Archangeli Michaëlis* conſtructa Eccleſia *Tetini* ſub arce, ibidem *Tetini* mortuum & humatum eſſe affirmant; unde ſucceſſu temporum ſacra ejus oſſa levata, & quod decebat maximè, in eandem *Eccleſiam*, ubi *S. Ludmilla Conjunx* ſepulchrum invenerat, ſunt illata. Ita *Paprocius*, *Crugerius*, *Peſſina*, ac cæteri.

Mors & tumulus. *In Ep. hiſt. rer. Boh. l. 4.* Pro ſancto habitus à Majoribus noſtris. *Papr. in Borziv. Crug: in ſylla: SS. Peſſina in Phoſph. radio 3.*

§. IV.

B. Wratislaus Dux Bohemiæ, B. Borzivoij Filius.

UTinam perinde ùt vitia, ſic virtutes, & ſanctimonia contagione vulgarentur! habent tamen grande ad virtutem momentum exempla, monitus Parentum, & præcipuè educatio, quæ mihi velut quædam forma, & modulus videtur, in quam vita puerorum infunditur, & conformatur. *Wratislaus* Parentibus Sanctiſſimis *Borzivoio, & S. Ludmillâ* Martyre genitus, vitæ quoque eximiam coluit Sanctitâtem, ob eámque cauſſam ab antiquitate in ipſo tumulo *Beati* nomen invênit, omnibus Principatûs ſui titulis pretioſius; regnavit annis decem, quibus omnibus imperium ſuum pietate conſtabilivit; *S. Georgio Martyri* deditiſſimus, Eccleſiam inſignem ejus nomine condidit, in eáque velut *Fundator* eſt humatus. Unum objicitur: quòd *Drahomiram* (quam poſtea dehiſcente imâ tellure Orcus ſibi vivam rapuit) conjugem viperinam acceperit; ſed eum pridem excuſavit Nepos *Wratislai Chriſtannus*, qui ſcripſit, eam dum nuptura duceretur, promiſiſſe *Chriſti* fidem, quam poſtea contemſerit; Ex hac viperina Matre genitus eſt Sanctiſſimus Filius, velut ex ſenticeto roſa, *D. Wenceslaus.* Obijt *Pragæ Wratislaus* ætatis ſuæ 33. Anno Chriſti 916. alijs decennio pòſt, 926. quod fieri vix, ac nè vix quidem potuit: cùm enim, ùt dixi, ex *Chriſtanno*, anno ætatis ſuæ 33. deceſſerit, ac *Divus Wenceslaus* juxta eoſdem ipſos An: 907. ſit editus in lucem, neceſſariò conſeqvitur (quod probabile non eſt) anno 13. vel 14. ætatis, filium Wenceslaum genuiſſe. *Weleslav:* in Geneal. *Hagek* in Annal. *Paprocius* in Ducibus Boh: *Pontan:* in Boh. Pia. §. V.

Wratislaus conditor Eccleſiæ Georgianæ.

Defenditur ob Conjugem Drahomiram.

Chronologiæ ratio.

Digitized by Google

§. V.
B. Przibislavva Vidua, S. Wenceslai Martyris Soror.

PRzibislava S. Ludmillæ neptis, germaniorem ſe *Wenceslao* ſemper eſſe maluit, quàm Boleslao, neque Matrem ſecuta (quas plerumque filiæ imitantur) aviam *Ludmillam* expreſſit virtutibus, eâque de cauſſa ab omni retro antiquitate *Beatæ* vel *Sanctæ* titulo honoratur; de hac antiquitatis in C*hriſtanno* præconium legimus: *Venerabilis Matrona ſoror beati Martyris PrZibislavva, ab ipſis cunabulis* Chri*ſto Domino fuerat edocta* (ſinè dubio in ſinu Aviæ Ludmillæ educata) *ſervire DEO ſecundùm documenta Evangelica ſinè querela. Poſtquam enim eam Dominus à Jure maritali ſolverat* (nota conjugium) *totam ſe mancipaverat DEO ſamulandam, æſtuanti ſitiens animo velamine ſacro contegi, die, noctúque inſtanter orationibus, jejunijs, vigiliíſque perſiſtens &c.* pergit idem C*hriſtannus* commemorare viſionem, quam habuit *PrZibislavva* apparente ei *Fratre S. Wenceslao*, ac manifeſtante, ubi *auricula* ejus à capite abſecta lateret, quæ *S. Martyris* capiti unita divinitus ſic adhæſit, ut nè veſtigium quidem vulneris appareret. In eadem *Vita* idem C*hriſtannus* de *PrZibislavva* loquens: *Soror S. VVenceslai PrZibislavva quantum oculus humanus poteſt præjudicare ſub ſacro habitu ſanctiſſimè vivens &c.* ſignificare videtur hoc loco Chriſtannus B. *PrZibislavam* religioſum habitum, *velúmque* in viduitate geſsiſſe. Cui autem primùm deſponſata fuerit, altiſsimum eſt apud omnes ſilentium: *Jablonnæ Dominum* habuiſſe in conjugio conſtat ex eo, quòd *Jablonnæ* tumulata ſit (ùt affirmat C*rugerius*) poſtea *PrZibislavva Pragam* translata, in P*odivini* tumulum eſt illata, ùt ipſe ſepulchri titulus hodiéque teſtatur, A. 1367. ùt narrat B*eneſſius*. Manuſcriptus Codex pervetuſtus B. P*rZibislavam* in pago *Jablon* ſub monte *Krutina* primò ſepultam, cùm luminibus cœleſtibus & Angelorum cantibus frequentiſsimè illuſtraretur locus, Chriſtianum quendam potentem, C*hotislaum* nomine in *S.* P*rZibislavæ* (Sanctam diſertè vocat, eámque aſſerit ante & poſt obitum miraculis claruiſſe) in ejus, inquam, honorem Eccleſiam ſuper tumulum condidiſſe, quæ *Sancta* P*rZibislavæ Eccleſia* ab omni retro antiquitate fuerit appellata; poſt multum verò tempus An. 1367. C*arolo IV*. apud Nos imperante, qui Divorum ſacris Corporibus *Eccleſiam* P*ragenſem* ornare cupiebat maximè, ſummo honore populi elevatum eſſe *Jablonnâ* ſacrum Corpus & in *S. Viti* Eccleſiam non procul Fratris Sanctiſsimi tumulo compoſitum, unà cum B. *Martyre* P*odivino*, ut etiam Aulæ ſuæ Præfectum S. Dux *VVenceslaus* apud ſe haberet.

Przibislavę ſanctitas.

Ejus viſio.

Chriſtann: in Vita S. Wenceslai.

Beneſſ. l. 4. Chronicor:

M. S. De Titulo Sanctæ aut Beatæ.

Beneſſ. in Chron.

Notula, quam Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus DD. Epiſcopus Suffraganeus *Joannes Ignatius Dlauhovesky* dum hæc legeret, manu ſuâ adſcripſit:

Utrum-

Digitized by Google

Utrumque corpus & B. Przibislavæ, & B. Podivvini inventum, elevatum eſt, dum fundamenta novæ additæ Eccleſiæ ad S. Vitum ponerentur A. 1673. quod mihi peccatori videre, & utrumque tractare licuit, multóque populo & Clero oſculante non ſine lacrymis, & magna teneritudine.

Ita teſtor Joannes Ignatius Epiſcopus Milevitanus, Præpoſitus Pragenſis, *tum Senior* Canonicus, *& ſexto jam tunc Anno* Bohemicus *Eccleſiaſtes in S. Metropolit:* Pragenſi.

§. VI.
Cæſi à Drahomira Chriſtiani Pragenſes Martyres potiſſimùm Sacerdotes.

An cæſi in acie Martyribus accenſeri poſſint.

DIu dubitavi, utrúmne *Cives Pragenſes à Drahomira* cæſos Martyribus accenſerem, quòd pugnantes (quanquam pro Religione) ceciderint. *Euſebius Nirembergius* è Societate JESU, Vir Sanctimonia & libris omnigenâ eruditione refertis clarus, non dubitavit in *Stromatis* aſſerere, eos etiam, qui pro religione pugnant, & cadunt, *Martyrij lauream* manere; ſed etſi id alicui forſitan novum, & non probatum ſatis videri poſsit, certum tamen eſt in re noſtra, quàm plurimos à *Drahomiræ* Satellitibus ex Chriſtianis cæſos, qui nihil repugnaverint, ut conjuges Chriſtianorum, puerulos, & virgines; *Dubravius l. 5. hiſtor.* Bohemicæ docet à *Drahomira*, & ejus miniſtris *Sacerdotes* præcipuè fuiſſe necatos, quod eorum operâ potiſsimùm *dæmonum* malorum cultus vileſceret; hos igitur eâ cauſsâ cæſos, nemo è SS. Martyrum numero expunget. Anno 919. 3. Aprilis datum, *Drahomirâ* jubente, cædium initium, *Palbogio* Prætore Pragenſi nequiſsimo homine, & idolis ad inſaniam dedito, & Dominæ ſuæ ſimillimo, ſub noctem ex inſidijs Chriſtianos aggrediente; ſed quia Chriſtianis maturè datum indicium, occurrêre armati, & forum (licèt ægre) 400. *Palbogianis* cæſis, non paucioribus amiſsis ex ſuis, tenuêre. Cautiùs 10. Aprilis *Palbogius* ordinavit inſidias, & nocte mediâ Chriſtianos aggreſſus, trecentos occidit, cùm coire ad defenſionem non poſſent. Inceſsit omnibus lætitijs *Drahomira*, & facto dæmonibus Sacro, aliam eámque decretoriam ſibi promittens victoriam, eodem Anno deleturam ſe omne Chriſtianum nomen juravit. 18. Auguſti *Palbojum* quantas maximas, & quàm inſtructiſsimas poſſet Ethnicorum copias educere in forum Pragenſe juſsit, & cædes facere; *Chriſtiani* etſi numero inferiores, DEI auxilio invocato congregati, poſt cruentiſsimum prælium vicêre; quingenti Ethnicorum occiſi, *Palbojus* ipſe domum fugiens trucidatus, & in cloacam abjectus eſt; deſijt tandem deſperatione *Drahomira* ſævire, ſed in *Eccleſias Pragenſes* iram vertit, & flammas injecit. Ob tantum Chriſtianum ſangvinem Venerabilis P. *Albertus Chanovvsky* S. J. dicebat:

Cædes Catholicorum Pragæ.

Dubrav. l. 4. & 5. hiſt. Boh. Hagek ad A. 909. in Ann. Boh. Vita P. Alberti Chanovvsky S. J.

Digitized by Google

bat: ſeſe tenerrimâ pietate perfundi, quoties forum hoc *Pragenſe* rigatum ſangvine Chriſtianorum tranſiret; prælia hæc depicta in vetere Curia Pragenſi (**Stará Rychta** vocant) hodiéque gratiosè ſpectantur. Agunt de his *Dubravius*, & *Hagecius* pluribus Annalium locis.

Pragenſe forum Antiquæ Urbis rigatũ Martyrum ſangvine.

§. VII.

S. Ludmilla Vidua, & Martyr, Dux & Patrona Regni Bohemiæ.

L*Udmilla Slavibori Comitis de Mielnik* tum adhuc pagani, & *Lidoslavæ* filia *Mielnicij* nata eſt; *Borzivoio Bohemorum Principi* nupta, *S. Methodium* Magiſtrum Fidei Chriſtianæ accepit, qui eam *Mielnicij* cum patre, & fratribus ſacris aquis abluit. Ex eo tempore nil niſi pura, & illimis ſanctitas vita *Ludmillæ* fuit: deflere quotidie priorem ſuam idololatriam; orare ad verum DEUM de genibus diu, noctúque, ad multam diem in Eccleſijs perſiſtere; pauperum curam gerere, à quibus *Mater* appellaretur; virtutes omnes, præcipuè quæ Matronas decent, exercere, & colere. confractis dæmonum ſimulacris (quæ varijs metallis conſtabant) quidpiam *æri Corinthio* ſimile cùm profluxiſſet, varia inde Templis (præcipuè *Mielnicenſi & Boleslavienſi*) donaria miſit, ex quibus eſſe *Imaginem Divæ Virginis* Boleslavienſis, non vanè ſuſpicantur peritiſſimi Antiquitatis Viri. Pertæſa deinde res humanas *Wratislao* filio commendatâ Bohemiæ gente, unà cum conjuge & *Paulo* Sacerdote ſene in *Tetinenſem* ſolitudinem ſeſe abdidit, DEO uni ſerviens, & inhærens; ſubinde *Wratislao* ex *Drahomira* naſcitur *Wenceslaus*, quem adhuc à matre rubentem unà cum nutrice *Chriſtiana Tetinum* ad ſe ferri impetravit, & annis ferè decem (mortuo nuper *Borzivoio* conjuge) vidua ſecum habuit, quotidie ad omnem pietatem conformans, dum denique ad *Scholas Budecenſes* erudiendus à Patre mitteretur; nova deinde rerum in Principatu mutatio ex morte *Wratislai Principis*: is moriens *Ludmillæ* Matri *Bohemiam*, & rem Chriſtianam commendârat; hoc iniquiſſimè ferens *Drahomira* fœmineâ impotentiâ, dolens maximè idola ſua contemni, & *Ludmillæ* ſtudio fidem Chriſtianam longè, latéque propagari, ſocrum decrevit interficere. Inſtante Exitij die, quem Divinitus prænoverat *Ludmilla*, vocatis clientulis mercedem perſolvit, & quod ſupererat, in pauperes ſuâ manu diſtribuit. Remotis deinde arbitris, confeſſione apud *Paulum* peractâ, audito Sacro, acceptóque Euchariſtiæ viatico, vitæ ſuæ finem impensè DEO commendat, cùm ecce duo à *Drahomira* miſſi Proceres Ethnici *Tuman*, & *Kuman à Ludmilla* pridie convivio excepti, nocte intempeſtâ in cubile irrumpunt, & orantem eliſis faucibus velo capitis ſuffocant, non tamen ſiccâ morte; ſiquidem alliſo ab ijs ad ſaxum capite, ſaxum illud ſangvine perfudit *Lud-*

S. Ludmil: virtutes.

Idola confringit, & ex metallo dona mittit Eccleſijs.

S. Wenceſlaũ educat.

Occiditur inſid:js Drahomiræ.

Votum S. Ludmillæ mors cruenta.

Digitized by Google

milla (quod hodiéque oſtenditur) id nimirum unicè *Ludmilla* habebat in votis, & à percuſſoribus moriens petietat, ut ſangvinem pro *Chriſto crucifixo* è membris elicerent percuſſores. Sepulta eſt *Tetini* primùm *Ludmilla*, deinde poſt aliquot annos incorruptum ejus corpus à *S. Wenceslao* nepote *Pragam* translatum in ſepulchris Majorum in *Eccleſia S. Georgij* conditum eſt; quod miraculis multis, & varijs Divinitas illuſtravit; pulcrum illud de *velo in Coſma, & Hagecio* legitur, pridem à me in *Originibus Guttenſteinijs* narratum; & de fragrantia miri odoris, quæ, ùt habet *Chriſtannus*, cunctorum aromatum, florúmque odoramenta vinceret.

Coſmas in Annal. Bo: Hagek ad A. 1100.

Hag: in An: Boh: A. 922.

Mirum & illud *Tetini* ad *S. Catharinæ* Eccleſiam, ubi primitus *S. Ludmillæ Martyris* corpus humatum fuit, quod ſe indubiâ fide comperiſſe, & pluribus exemplis confirmari poſſe tradit *Wenceslaus Hagecius* antiquiſſimi Capituli Boleslavienſis *Præpoſitus*: ex eo tempore, quòd *S. Ludmilla Tetini* ſit condita, *Tellurem* illam Cœmiterij, nullius omnino quantumvis pij & Chriſtiani hominis, nè infantis quidem, cadaver tolerare, quin altero mox die eijciat, & inopertum relinquat, ideóque ad *S. Michaëlem* non ad *S. Catharinam Tetinenſes* humari; probatum id ſæpius, & à ſe cognitum cùm ſexennio Eccleſijs illis præfuerit. Hæc ille; quòd venerationi *S. Ludmillæ* cœlitus datum, & humum SS. Martyris corpore quodammodo præconſecratam, cætera corpora dedignari putandum eſt, ídque cum *Hagecio* omnis retro ſenſit antiquitas. Idem ex pervetuſto Pragenſis Eccleſiæ Breviario confirmatur (lect. 6. in Translatione S. Ludmillæ) *Cœmeterium B. Ludmillæ jam in Eccleſiam converſum nullius exinde hominis ſepulturam admittit, quin alterâ mox die cadaver à terra ejectum reperiatur.* Scripsêre *S. Ludmillæ* vitam permulti; primus, idémque antiquiſſimus *Chriſtannus* Divæ pronepos; *Legendæ veteres*, ùt vocant, plenæ ſunt ejus virtutibus, & miraculis: *Nicolaus Salius* domo Pragenſis è Soc: JESU vitam Latinè edidit, quam retulit *Joannes Bonifacius* S.I. *Hiſpanus* in hiſtoria Virginali, & *Surius* deſcripſit; conſulantur *Hagek, Chanovvsky, Pontanus &c.* omnium accuratiſſimè *S. Ludmillæ* vitam noſtrâ memoriâ deſcripſit *Georgius Ferus S. J.* Quæ nos hîc attulimus, pleraque ex *Lectionibus vetuſtis Breviarij Pragenſis* excerpta ſunt. Paſſa eſt *S. Ludmilla* An. C. 927. (*Weleslavinus*, aliíque probabiliùs ponunt An. 920.) Sabbatho 16. Cal. Octobris; unde evaneſcit illa Patriæ hiſtoriæ curioſi admiratio: quî fieri potuerit, ut *S. Ludmillâ* vivente, & ad clavum ſedente (poſt filij *Wratislai* mortem ſcilicet) *Drahomira* in Chriſtianos Tyrannidem exercere potuerit? facilis reſponſio: cùm enim 916. *Wratislaum Principem* obijſſe & *Ludmillam* An. 820. cæſam eſſe ponamus, habebit prope quatuor annos imperij *Ludmilla*; reliqui Anni uſquè ad *S. Wenceslai* regimen *Drahomiræ Tyrannidi* dabuntur. Adde quod *S. Ludmillam*, etſi à filio *Wratislao* oblatum haberet imperium, ceſſiſſe ſolio, & in *Drahomiram* dominatio-

Miraculum Tetinenſe.

Chronologia imperij & mortis S. Ludmillæ.

nem

Digitized by Google

nem tranſtuliſſe *Chriſtannus* (in vita S. Ludmillæ) ſignificet. Tandem dicere poſſumus, etiam *vivente S. Ludmillâ Drahomiram* ſævijſſe, cùm & Mulier (qui ſexus ſæpe omnia ſibi licere putat) & impotens animi, avidáque regnandi Cacodæmonem ſpiraret, ac penè ob idola ſua rabiret; hoc quod ultimò dixi habet Officium Sacerdotale Pragenſis Eccleſiæ, *VVratislaus*, inquit, *moriens*, *Ludmillæ omnem Regni adminiſtrationem commiſit; quod Drahomira indignè ferens*, &c. *Lect: IV. in feſt: S. Lud:*

§. VIII.

S. Wenceslaus Bohemiæ Dux, Virgo, Martyr, & Regni Bohemiæ Patronus.

WENCESLAUS Bohemiæ Dux, *VVratislai* Bohemiæ Ducis primogenitus, *Drahomirâ* Matre gentili natus An. 908. *Paulo Keicha* Sacerdoti *S. Methodij* diſcipulo educandus traditur, conſopitum ille puerulum genibus ante lectulum flexis quotidie Divino Numini offerre ſolebat; ergo pij Sacerdotis, & præcipuâ aviæ *Ludmillæ* Sanctiſſimæ fæminæ curâ, omni virtutum genere eſſloreſcere cœpit, ſic ut *Budecium* ad ſtudia literarum miſſus etiamnum puer cœleſtibus viſis (quorum aliqua refert coævus Scriptor *Chriſtannus*) dignaretur à DEO. Peculium puerile ſuum omne *Budecij* erogabat in *Miſſas*, & (quæ tum merces pretioſiſſima) in vinum, & panem *SS. Euchariſtiæ* à Sacerdotibus conficiendæ, cui myſterio ipſe miniſtrare quotidie geſtiebat; affectus hic in *Euchariſtiam* in omne reliquæ vitæ tempus perſeveravit in *VVenceslao*, ut poſtea Princeps, quidquid ad *Miſſam* pertineret, ſuis manibus appararet: nam & agrum tritici feracem, & vineam habebat (quam hodiéque ab eo donatam, *Eccleſia Vetero-Boleslavienſis* ſervat, & colit) ſacrificijs deſtinatam, ubi *VVenceslaus Princeps* Euchariſtiæ colonus & ſerebat, & metebat, ſuíſque humeris deportabat in horreum, & conterebat, & molebat, & pinſebat; vinum verò paſtinatum à ſe botris lectis exprimebat, quo in labore nullum admittebat ſocium; viſitur adhuc *Vetero-Boleslaviæ* in Eccleſia *SS. Coſmæ, & Damiani*, *S. VVenceslai* culinula, in qua *SS. Princeps* & hoſtias oblatas coquebat, & reliqua in apparatum Miſſarum omnem conficiebat. Sed *Budecium* redeamus: dum Wenceslaus puer in ſtudijs verſatur, *Mater Drahomira* per nefariam *S. Ludmillæ* necem, ac priùs per voluntariam ceſſionem & Imperij renunciationem, Regni adminiſtrationem aſſequitur, Ethnicíſque impune ad cædes Chriſtianorum concitatis, Religionem Chriſtianam propè extinxit. Pertæſi tyrannici, & impij Regiminis *Bohemiæ Proceres*, quorum caput *Podivinus* poſtea *Aulæ VVenceslai Præfectus*, *VVenceslaum* ſilentio *Budecio Pragam* evocant, & (quod, ſi religionem, & rempublicam ſalvam eſſe vellent, neceſſarium erat) excuſſo

S. Wenceslaus à puero cœleſtibus viſis honoratus.

SS. Euchariſtiæ à puero cultor.

Strans: in Rep. Boh. C. 8. §. 12. A. 922.

Digitized by Google

Matrem gentilem detur bat Principatu.

Drahomiræ jugo Principem quatuordecim annos natum conſalutant; rem, ùt geſta eſt, idem *Chriſtannus* commemorat. *VVenceslaus* pietate magìs, quàm Imperio *Bohemiam* regens, orphanis, viduis, egenis, tantâ charitate ſubveniebat, ut proprijs humeris ligna indigentibus noctu comportaret. Jucundum, an triſte magìs (certè Wenceslao lætum) narrat exemplum *Chriſtannus*, cùm in ea comportatione lignorum deprehenſus nocte *SS. Princeps*, neque agnitus ab Oeconomo domûs ſuæ graviter vapulavit, ac ſilentio rem

Virtutes S. Wenceslai

transmiſit. Pauperibus humandis frequenter aderat, captivos præcipuè Ethnicorum pueros redimebat, carceribus detentos noctè intempeſtâ viſitabat, pecunijs, & conſilio ſolabatur. Miti animo Princeps vehementer dolebat, quempiam, etſi reum, morti adjudicari. Nocte nudis pedibus ſuper nivem, & glaciem circuibat Eccleſias, ut etiam cruenta, & ſequentem *Podivinum* calefacientia veſtigia remanerent. *Angelos* habuit ſui corporis cuſtodes: cùm enim ad ſingulare certamen adversùs *Radislaum Ducem Curimenſem* eo fine accederet, ut ſuorum ſaluti proſpiceret, viſi ſunt *Angeli* arma miniſtrâſſe, & adverſario dixiſſe: *Ne feri!* perterritus hoſtis venerabundus procidens veniam exoravit, & victorem *Pragam* ſecutus Chriſtiano ritu ſacris aquis ablutus eſt. Cùm in *Germaniam* profectus eſſet, *Imperator* conſpectis duobus Angelis, aureâ cruce ad ſe accedentem ornantibus, è ſolio proſiliens, brachijs excepit, Regijs inſignibus, ac titulis decoravit (quos tamen *S. Viri* modeſtia recuſavit) eíque *S. Viti* brachium *fatale Imperij pignus* (quod ſe ad Wenceslaum ultro converterat, velle ſe à *VVenceslao* auferri indicans)

Beatiſſimæ Virg: & SS. Patronorū ſtudioſiſſimus.

donavit. *S. Michaëlis, Coſmæ, & Damiani, S. Petri Apoſtoli*, ac præcipuè *D. Virginis* ſtudioſiſſimus fuit: quoties ad *Curiam ſolennem* (ùt Veteres vocabant) aut ad prælium cum exercitu properabat, *MARIÆ effigiem*, orientalium Regum exemplo, præferri ſibi jubebat in haſtili, creditúrque effigiem *Vetero-Boleslavienſem*, eâ in *S. VVenceslai* pompâ ſæpius prælatam fuiſſe. His virtutibus florentem, & cœlibem vitam agentem impius frater *Boleslaus Drahomiræ* matris hortatu convivio *Boleslaviæ* exceptum, & poſtea noctu ad

Cædes S. Wenceslai

Eccleſiæ, per proditionem clauſæ, januam orantem, paratæ ſibi mortis præſcium, adhibitis ſceleris comitibus, interfecit, An. Chriſti 938. 28. Septembris.

Ricciol. in Chronolog. reform. To. IV. tit. 2.

Sangvis per parietes aſperſus adhuc conſpicitur, & DEO vindice *Matrem* impiam Tellus abſorbuit, interfectores varijs modis miſerè perierunt. In *Eccleſia Boleslavienſi* ſtatim à morte plurimis, maximíſque coruſcavit miraculis, quæ poſtea, *Pragam* ad Eccleſiam *S. Viti* quam fundarat, corpore devecto, ſecuta ſunt, & leguntur in vita, ipſáque Translatio miraculum fuit. Suâ ætate patrata ad tumulum *Beneſſius Canonicus Pragenſis* recenſet; quibus

Sanctis adſcriptus brevì poſt mortem.

ritè cognitis Divorum numero ritè adſcriptus eſt; certè *Joannes Papa* in literis, quibus *Epiſcopatum Pragenſem* recèns fundatum confirmat, *Sanctum, & Martyrem VVenceslaum* appellat, annis à morte ejus paulò ampliùs tricenis.

nis. Auream S. *Wenceslai* capiti coronam aliquoties noſtri Principes, ac Reges impoſuêre, *Sobieslaus* Dux, *Joannes & Carolus* Reges; ætate *Caroli IV.* Proceres *Bohemiæ*, & major Regni Nobilitas pretioſiſſimo opere clypeolis aureis (quæ ſingulorum ſtemmata referebant) ejus ſepulchrum contexêre.

Corona aurea, & Clypeoli aurei.

Romæ in Vaticano apud *S. Petrum* ſtat elegans Altare marmoreum *S. Wenceslai* (cùm nullus propè alius *Regum Sanctorum* altare in ea *Baſilica* habeat) ab *Joanne Epiſcopo* Olomucenſi ædificatum, & dotatum; die feſto *S. Wenceslai* in præſentia Cardinalium omnium colebatur, quibus duo ſcuta ùt vocant, ſingulis, pauperibus verò panis & vinum diſtribuebatur. *Lampades duas, argenteam* alteram, alteram viliorem, ſed cum fundatione æterni ignis appendi curavit ætate noſtrâ *Jaroslaus* primus ex ſua ſtirpe *Comes de Martinitz*. *Sacrarium gemmeum* exſtruxit *Pragæ Carolus Imperator*, quod opus A. 1366. in pervigilio *S. Martyris* abſolvit. *Tumbam* ex puriſſimo auro idem auguſtiſſimus Cæſar *Carolus* aureo Principi *Wenceslao* paravit, in qua cùm 50. & ampliùs Annis jacuiſſet, *Sigiſmundus Caroli* filius, cauſſatus belli neceſſitatem, & extremum religionis periculum, confringi juſſit, atque inde Numos aureos procudit ad Militum ſtipendia, nullo, ut Scriptores obſervant, operæ pretio, fortunâ abhinc adverſâ uſus in omnibus bellis. Scripsêre *S. Wenceslai* vitam plurimi, & extat in *Surio*; *Joannes Epiſcopus* Olomucenſis diligentiùs cæteris, *Chriſtannus de Scala* primus fuit, qui ejus vitam vulgavit; Nos quoque vitam ejus ſcripſimus breviſsimam, quam *Clementi IX.* Papæ *Matthæus Archiepiſcopus* Pragenſis dedicavit. Illud in ſolatium afflictæ Patriæ dictum eſto: eam eſſe univerſæ Nationis, ac totius Bohemæ gentis in Divum hunc, dulcem, ſolidam, & continuam Pietatem, ut ad ſummam nihil deeſſe ampliùs videatur: illius opem univerſa *Bohemia* pervetuſto illo hymno (quem *Erneſtum I. Archiepiſcopum*, non *Joannem I.* concinnaſſe *Cuthenus* affirmat) quotidie implorat! illius nomine quàm plurima Templa conſecrat! ad illius ſacrum Tumulum, etiam in ſumma Regni egeſtate, quidquid pretioſum habet, affigit! illius SS. & Virgineum corpus, omnium ætatum & Ordinum frequentiſsimis ſupplicationibus honorat! neque unquam frequentiùs ullum in *Bohemia* nomen quàm *Wenceslaus & Joannes* auditur. Deniq; nî adjuvet ille, tantùm non perimus. Expreſsit hunc totius *Bohemiæ* dulcem ſenſum ante annos trecentos propè, carmine, nobiliſsimus ex Gente noſtra Poëta *Bohuslaus Lobkovicz* ex Procerum familia, quod in Sanctiſsimi Martyris gloriam, & *Lobkovicianæ* ſtirpis honorem adjicio:

Fundatio Altaris S. Wenceslai.

Aureum S. Wenceslai ſepulchrũ. *Chanovsky in veſtigio Boh. Piæ C. 3. Hagek. Dubrav. &c.*

Vitæ Scriptores.

Affectus noſtræ gentis.

S. Wáclawe / ꝛc. *Cuth. in Notis ad Æneam Sylviũ in Erneſto.*

A. 1400.

BOHUSLAI HASSENSTEINII DE LOBKOWICZ AD SANCTUM WENCESLAUM.

Elegiâ I. inter opera Bohuslai Lobkovic:

QVid facis, ô Columen noſtrum, Patriæq; labantis?
Quid facis ætherei lumen, honórque laris?

An

An Te forſan habent lethea oblivia ripæ,
Excidimúsque animo nos tua turba, tuo?
Æquoris in medio cur nos Pater optime *feſſos*
Deſeris, aſſuetum præſidiúmque negas?
Aſpicis? ut tendat picei frenator Averni
Mille tuo populo retia, mille plagas,
Aſpice quàm latè ventoſa ſuperbia *regnet?*
Deſpicit ut faſtu cætera cuncta truci?
Invidiâ *livent proceres cum paupere vulgo,*
Tinctáque vipereo ſpicula felle gerunt;
Detinet ira ferox *plebem*, vindictáque *votum eſt*
Omnibus, & magni creditur eſſe viri.
Vivitur ex ſpolijs, nulla eſt concordia Fratrum,
Nummus *honoratos, egregiósque facit.*
In miſeros paſſim juvenes, miſerásque puellas,
Tela pharetratus flammea jactat amor.
Dicere delicias dominæ, geſtare corollas,
Dedecus annoſus non putat eſſe ſenex.
Segnities *multis, atque otia ſola probantur,*
Et gravior ſtygijs eſt labor omnis aquis.
Pluribus eſt venter curæ, Bacchóque, *cibóque*
Diſtendi, vitæ præmia ſumma putant,
Cretáq; quicquid habet, quicquid Chios *aſpera vini.*
Sufficit illorum vix ſatiare gulam.
Relligio nulla eſt, ſuperi cœlúmque putantur
Fabula, nec pueri jam Phlegethonta timent.
Hos inter fluctus ſemper jactamur, & undas,
Auráque, neſcio quò, lintea noſtra vehit.
Nos inter ſcopulos agimur moderamine nullo,
Nec Typhis nobis, nec Palinurus adeſt.
Sed tu lentus abes, nec noſtra pericula curas,
Qui ſpes es noſtri, perfugiúmque chori,
Saucia ſunt nobis Erebæis membra ſagittis,
Vulnera nec medicâ noſtra foventur ope.
Te quondam in niveo (ſi vera eſt fama) Caballo
Externas Acies, Dive, fugâſſe ferunt.
Terrenas acies, terrenáque caſtra fugare
Si potes, hos hoſtes nunc quoque pelle, precor!
Detege *Tartarei fraudem ſerpentis, & aſtum,*
Detege *conatus, inſidiáſque ſuas!*

Deſcriptio temporum ſub Wladiſlao Rege in Boh.

Preces ad D. Wenceſlaum.

Te

Te pietas moveat, te denique vota tuorum,
Te flectant humiles, Dux venerande, *preces!*
Da veram pacem, tranquilláq; tempora nobis,
Sit tuba, ſint litui, ſint fera bella procul!
Sit procul omne animi vitium, peſtíſque recedat
Corporis, & mentem ſi qua venena tenent!
Fac curent patriam Proceres, majórque poteſtas,
Rex, qui Pannonici nunc colit arva ſoli.
Pareat imperio populus, mandata Senatûs
Obſervent, nulli noxius eſſe velit,
Vanáque relligio, peregrináque ſacra faceſſant,
Agnoſcat Latius Paſtor ovile ſuum.
Ceſſent letiferi motus, ceſſéntque tumultus,
Per quos jam patriæ corruit omne decus;
Sic tua te ſoboles cunctis venerabitur annis,
Et dicet Patrem *tempus in omne pium.*

§. IX.

B. Podivinus Vir Nobilis, & vitâ Sanctus, S. Wenceslai Martyris Achates; Chriſtiani complures, eorúmque liberi infantes ob Fidei cauſſam trucidati, & Sacerdotes in exilium acti præcipites.

Podivvinum cum S. Martyre *Wenceslao* inter primos cæſum in *Annalibus Bohemicis* affirmat *Hagecius;* at veteres alia omnia tradunt, convenítque inter eos: diu poſt cædem *S. Wenceslai* captum, in optima cauſſa interijſſe; rem, ùt geſta eſt, ex *Chriſtanno, & Joanne Olomucenſi Epiſcopo* commemorabo: *SS. VVenceslao* Duce peremto, tota ejus familia, omnésque Aulici, partim cæſi, partim in *Albim* injecti, & merſi ſunt; qui periculum evadere potuerant, in alias terras abiêre; inter hoſce *Miles* (quæ vox apud veteres Nobilitatem indicat) *Podivinus* (alijs Podivven) *comparticeps & conſors* (ùt loquitur Chriſtannus) *univerſorum operum, quæ dudum à S. VVenceslao gerebantur*, in Germaniam abijt exulatum, diúq; exilium toleravit; tandem pacem Patriæ redditam jam eſſe ratus, in Patriam redijt, domíque ſuæ ſeſe occultans, hærebat; cúmque aliquando *S. VVenceslai* indigniſſimam cædem animo volveret (ùt erat ingenij ferocioris) exardeſcens, arrepto gladio, ad *Domum* cujuſdam, qui *Boleslao* necis author fuerat, cujus manibus præcipuè *S. Martyrem* interfectum eſſe ſciebat, properans, eundem expro-

Circa A.D. 932.

Chriſtan. in Vita S. Wenceslai.

Podivinus ſummus apud S. Wenceslaum.

B. Wenceſlai Ducis ſui cædem ulciſcitur.

Capitur Podiwinus.

probratâ priùs cæde *SS. Regis*, occidit; Veteris B*oleſlaviæ* rem eſſe geſtam, oſtendit, quod ſequitur: *Podivinus* perpetratâ ſicarij cæde, ſperans evadere ſe poſſe, in vicinam ſilvam contendit; ſed *Boleſlaus* continuò facinore cognito cum Apparitoribus ſilvam circumdedit, illicóque comprehenſus *Podivinus*, laqueo in arbore ſublimis necatus eſt. Quæ ſequuntur, ex ipſo C*hriſtanno* exſcribo: *Grande aliquid dicturus ſum, ſed ora plurimorum ſcientium luce clariùs hæc prædicant: pependit ibi tribus annis, non avis, non beſtia, non ipſa humanæ carnis aſſumtio, & putredo in corpus ejus prævaluit, ſed more viventis, ungves, & barba excrevit, & capilli ejus uſquè ad ſummam caniciem albi effecti ſunt. Tandem tædio victus Fratricida* (Boleſlaus) *quia miraculum* D E U S *ubivis gentium declarabat, in eodem loco eum humo cooperiri fecit. Sed nec ità opera DEI abſcondi potuerunt, quin ad manifeſtanda populis Sancti ſui merita, lumen cæleſte noctu à tranſeuntibus frequentiſſimè ſuper ſepulchrum ejus accenſum videretur. Tamdiu hoc actum eſt, donec undecunque advenientes, donaria offerre inciperent, & ſupra Tumbam ſepulti devotionis ſuæ munera darent, & vitæ ſuæ commoda* D E O, *& occiſo illi committerent. Poſt multum temporis, ſublatum eſt corpus, & translatum cum devotione Clericorum, Virorum, mulierúmque devotarum, & poſitum in Cœmiterio S. Viti, ità, ut S. VVenceslaus in Eccleſia quidem, & Miles illi foris poſitus, ſolâ maceriâ dividantur. Et hanc illi gloriam fides recta acquiſivit, in qua dum advixit, Domino ſuo fideliter deſervivit: nam cùm eſſet univerſorum diſpenſator inter tecta S. VVenceslai degentium, cunctos penè vernaculos, extremos uſque ad cocos ità inſtruxerat, quòd penè nullus Curtenſium* (Aulicorum) *foret, qui Pſalmographiam, hymnos canere, vel ſtylo exarare ignoraret, vel aliquid ad Eccleſiaſticum ritum pertinens addiſceret. Univerſos, ceu gnatos proprios amplectens, à cunctis ùt* Pater, *honorabatur. Si quando verò illi Eleemoſyna injuncta fuiſſet, in diſpendendis decem nummis, ipſe pro fidelitate Domini ſui addebat quinque; quando videbantur in triginta, vel eò amplius alimenta pauperes diſtribui, quindecim ille addebat ad numerum. Quapropter & à Deo ſecundùm promiſſa ejus, Evangelicum audire meruit: Euge ſerve bone, quia in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam;* & *cum* Domino *carnali in gaudia omnipotentis* Chriſti *meruit intrare manentia ſinè fine, lucernæq; ardentes in Baſilica Sanctorum (uterque ubi quieſcit) nocte viſæ ſunt, vocéſque pſallentium Angelorum à pluribus inibi auditæ ſunt frequenter.*

Nota: Sanctum appellat Podivinum Chriſtannus Boleſlai ipſius fratricidæ filius ante 700. ann:

Virtutes B. Podivini.

Miracula in B. Podivini morte.

Beneſſ. Canon. Prag. l. 4. Chron.

Hactenus C*hriſtannus*, quem deſcribere voluit, quòd alium ſciam neminem, qui diligentiùs & cum authoritate majore (quippe eorum temporum proximus) facta *Podivini*, ac mortem notaverit. Ex quibus Viri Sanctitas, & quantum ei D. Wenceslaus tribuerit, intelligere licet; ſimul illud, *Podivinum*, velut *Beatum* jam illâ ætate cultum fuiſſe, ideóq; prope ſepulchrum S. Wenceslai conditum, cui poſtea *Beatam Przibislavam S. Wenceslai ſoro-*

Digitized by Google

ſororem Canonici adjecêre, ut vel ex ſocia Sanctiſſima Matrona noſcatur ab ijs, qui de *Podivino* nihil legerunt. Traditum eſt ab antiquitate & illud: dùm infælici arbori alligatus eſſet *Podivinus*, omnes *Boleslavienſis* ſilvæ arbores, certatim ei honorem habuiſſe, & inclinâſſe vertices; in qua cultûs ſignificatione hodiéque, ùt videmus, perſeverant. *Coſmam* quoque vetuſtiſſimum Scriptorem audiamus: An. 1124. *Meinhardus Pragenſis Epiſcopus reperit oſſa B.* Podivini (ità diſertè ſcribit, qui tum vivebat *Coſmas*) *Boleslaviæ poſt Ducem ſuum S. Wenceslaum occiſi, eáque condit humi in Capella, quæ eſt ſub terra inter Altare S. Nicolai Epiſcopi, & tumulum Epiſcopi Jaromiri.* At dum Eccleſia Pragenſis conderetur, eadem ſacra oſſa alium in locum ſunt translata. *Coſmas l. 3. hiſt. Boh.* *Translatio S.Corporis*

Annno 1367. ait Beneſſius Canonicus Pragenſis, *Beatæ PrZibislavæ, & B. Podivini corpora ſepulta ſunt in Eccleſia Pragenſi, ſed extra Sacellum B. Martyris* Wenceslai. Vide quæ, cùm de B. *Przibislava* ageremus, dicta ſunt.

Neque inhumana feritas Drahomiræ, & Satellitum ejus *Podivini* cæde conquievit, ſed plurimos alios, cæſo *Wenceslao* adjecit Chriſtianos, ut SS. Martyr magno comitatu Cœlos intraret; Chriſtannum eorum temporum proximum audiamus: *Iidem S. Martyris necatores, ei, quem uſquè ad mortem perſecuti ſunt, nec mortuo parcere cupientes, curſu rapido Civitatem Pragenſem adeunt, & omnes amicos ejus* (ſcilicet S. Wenceslai) *quos bonos bono adhæſiſſe credimus, diverſâ, & crudeli morte perimunt, & infantes eorum vivos in profundo fluvij Wltaviæ demerſerunt: quos quia participes fuerunt paſſionis, credimus & effectos eſſe gloriæ, & eorum numerum, & nomina, licet nos indigni præ multitudine eorum neſciamus, tamen* DEUM *ſcire, & elegiſſe verè credimus.* De Clericis verò hæc habet idem Scriptor: *Adunaverat autem Vir Beatus, dum adhuc viveret, Clericorum non minimam multitudinem, & ſervorum* Dei, *quos perſecutores S. Martyris adeò perſecuti ſunt, ut vix in Patria aliquis eorum remaneret, ut verè in hoc impletum cerneremus, quod de Domino ſpecialiùs prædictum cognoſcimus: percute paſtorem, & diſpergentur oves Gregis.* *Chriſtan. l. cit.* Martyres plurimi cũ S. Wences: Notandum

§. X.

S. Vitus Martyr Patronus Regni Bohemiæ.

V*Itus* admodum puer, inſcio Patre, baptizatus eſt: quod cùm ille reſciviſſet, nihil prætermiſit, quo filium à Chriſtiana pietate removeret, qua in voluntate permanentem *Valeriano* Judici verberibus caſtigandum tradidit. Sed nihilominus in ſententia perſiſtens, Patri redditus eſt. Dum verò eum pater graviùs punire cogitat, *Vitus* Angeli monitu, comitibus *Modeſto*, atque *Creſcentiâ* ejus educatoribus, migrat in alienas terras. Ibi eam ſanctitatis laudem adeptus eſt, ut ejus famâ ad *Diocletianum* perlatâ, ipſum *Ex lectionibus Breviarij Romani.*

Digitized by Google

ipſum Imperator accerſeret, ut filiam ſuam à dæmone vexatam liberaret. Quâ liberatâ, cùm ei ampliſſimis præmijs ingratus Imperator, ut Deos coleret, perſvadere non potuiſſet, unà cum *Modeſto & Creſcentia* vinculis conſtrictum, mittit in carcerem. Quos ubi conſtantiores eſſe comperit, demitti iubet in ingens vas liquato plumbo, ferventi reſinâ, ac pice plenum, in quo, cùm, trium Hebræorum puerorũ more, divinos hymnos canerent, inde erepti leoni objiciuntur, qui proſternens ſe eorum pedes lambebat. Quare irâ inflammatus *Imperator*, quòd multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in cataſta ſterni jubet, & ità cædi eorum membra, atque oſſa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magníque terræ motus fuêre, quibus templa Deorum corruerunt, & multi oppreſſi ſunt. Eorum reliquias *Florentia* nobilis fœmina ungventis condîtas honorificè ſepelivit: *Brachium S. Viti* S. *Wenceſlaus* Dux, primus intulit *Bohemiæ* ab *Henrico Aucupe* Ottonis Magni Patre *Merſeburgi* acceptum, cœleſti miraculo admonitus; nam, ùt ſcribit *Joannes Epiſ:* cùm aperto ſcrinio reliquiarum ſacrarum, quæreret joco *Henricus*: quis ex ijs cum *Wenceſlao* proficiſci vellet? *Brachium* S. *Viti VVenceſlao* ſponte annuit, & ſe aſportari velle indicavit; cujus Sancti honori Eccleſiam poſtea *Metropolitanam* fundavit idem Sanctiſſimus Martyr *Wenceſlaus*. Oſſa S. Viti *Carolus* Rex noſter A: 1356. Ticino, ſeu Papiâ, impetrata, eâdem in æde Pragenſi locavit. Extat Tractatus *Caroli* auguſtâ manu ſcriptus, quo probat S. Viti corpus non *Florentiæ*, alibíve, ſed *Papiæ à Regibus Longobardorum* illatum, jacuiſſe, cui ego (tam curioſo iſtiuſmodi rerum Imperatori) plus nimirum fidei tribuendum eſſe exiſtimo, quã conjecturis ſæpe ex jactatione nationum ortum habentibus; quanquam diſputare, & dubitare de *S. Viti* noſtri corpore nemo prudens poteſt, cùm & ex *Corbejano Cœnobio brachium, & ex Ticinenſi urbe* ipſa corpus habeamus. Cæterum Lectores ignorare non poſſunt vetera de Sanctorum corporibus Urbium, & Eccleſiarum certamina, ùt de *S. Benedicti* corpore, de *S. Dionyſio Areopagita*, quod in *Gallia*, & ſimul *Ratisbonæ* quieſcere jactatur, de *S. Adalberto Pragæ & Gneſnæ*, aliíſque permultis. De *S. Viti* corpore ſub *Pipino Rege* Francorum furtim à *Fulrado Abbate Gallo* Româ ablato, & ex latebris primùm An. 836. prolato, & in Cœnobium novæ *Corbejæ* per *Abbatem Warinum* deportato, ac multis miraculis illuſtrato, longa eſt in *Chronico Corbejenſi* (quod *Henricus Meibomius* edidit) narratio. Ego nihil auſim definire; conſulantur, qui iſta ex profeſſo tractabunt; interim legatur ſuprà laudata *Caroli IV.* tractatio, præſertim *Epiſtola* ejuſdem ad Archiepiſcopum, Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, cujus exordium eſt: *Oriens ex alto*, quam Peſſina in ſuo Phoſphoro, & ante eum P*ontanus in Bohemia Pia* recitavit; quâ Epiſtolâ *Carolus IV.* docuit, Inclytum *Lombardorum Regem Aſtulphum* nomine, ab Annis 800. circiter (longè ſcilicet ante *Corbejæ* fundationem) corpus & caput S. *Viti*

Mors S. Martyris Viti.

S. Viti Brachium impetrat S. Wenceslaus cum miraculo.

Joann. Epiſco: Olom. in vita S. Wenceslai.

Beneſſ: Can: Prag. l. 4. Chron.

S. Viti corpus à Carolo IV. Pragã allatum.

Silv. in Parallelis Alfonſinis L. 2. N. 4.

De Sanctorum corporibus certamina.

Digitized by Google

Viti attuliſſe *Ticinum*, ídque teſtimonijs, & ſigillis Epiſcopi, Abbatum, & Civitatis *Papienſis* confirmat. Paſſus eſt Martyr ſanctiſſimus in Lucania A. C. 303. 15. Julij. *S. Viti Martyris* oſſa fatalia eſſe Imperio Romano-germanico, & quò ſacrum ejus corpus transfertur, eò transferri Imperia docuit, & probavit exemplis Illuſtriſſimus *Cardinalis Baronius*. *Ricciol. in Chron. Ref. T. IV. tit. 2.* *In An: Eccl:*

§. XI.

S. Sigiſmundus Martyr Patronus Regni Bohemiæ.

SIgiſmundus Burgundiæ Rex, quam à *B. Avito Viennenſi* Epiſcopo pietatem hauſerat, egregiè excoluit. Charitate in pauperes, vitæ abſtinentiâ, demiſſione animi, omni denique virtutum genere, ſed præſertim religione in DEUM, veneratione in *Sanctos*, illuſtris fuit. Inter cæteros, *Thebæos Martyres*, corúmque Ducem *Mauritium* mirificè coluit, quorum *Agaunenſe* templum, ubi eorum ſacra Corpora ſervabantur, & Monaſterium injuriâ temporum penè deſertum, non modò reſtituit, ſed magnificentiùs etiam exſtructum, Monachorúmque numero auctum ampliſſimis reditibus locupletavit. Ad horum Martyrum tumulum cùm frequenter accederet, illud rogare in primis conſveverat, ut in eorum Societatem ipſis exorantibus à DEO reciperetur. Hoc ipſo in templo, dum preces funderet, monitus ab *Angelo* divinitus eſt, ut quod cœleſtium chori ipſo audiente mox erant facturi, monachos ad pſalmos alternis verſiculis decantandos hortaretur. Denique *Syagrij* filij necem, quam novercæ dolo, atque impulſu illi intulerat, hoc eodem in loco ad Sanctorum Martyrum tumulum provolutus, uberrimè deflevit, veniámque à Domino ipſis deprecatoribus impetravit. Interim cùm in *Burgundiam Franci* irrupiſſent, *Sigiſmundus* unà cum *Gondemaro* fratre illis occurrit. Fuſus ab hoſtibus, cùm ad *Agaunenſe* Monaſterium, quaſi in portum confugiſſet, prodentibus ſuis, in *Clodomiri* poteſtatem venit. Abductus ejusdem juſſu in Gallias, atque in carcerem primò conjectus, mox etiam in puteum unà cum uxore & liberis præceps eſt datus. Sacri corporis reliquiæ poſt triennium ad *Agaunenſe* templum delatæ ſunt, quas *Carolus IV.* Romanorum Imperator, & *Bohemiæ* Rex, qui tota Europâ Sanctorum Corporum reliquias quærebat, ſagaciter, cùm locus ſepulchri ignoraretur, manuſcripto Codice veteri prolato, invênit *Agauni & Pragam* die S. Auguſtini An. 1365. ſummâ omnium ordinum frequentiâ, & pietate intulit, quod continuò innumeris cœpit clarere miraculis, *de quibus*, ùt ait, *Beneſſius de Weitmil*, *ſpecialis tractatus in Eccleſia Pragenſi ſervatur*. Conſtat ex Scriptoribus ejus temporis *Filium* Anno Ch. 1368. in quarto *Caroli* connubio à S. Martyre impetratum eſſe, ideóque *Sigiſmundi* nomen accepiſſe, ídque Cæ-

Ex Lectio: Brev: Bohemici.

S. Sigiſmundi cœleſtes Virtutes.

Cædes S. Sigiſmundi.

Vide Epit: noſtram. Translatio Pragam. *Beneſſ. l. 4. Chron.* *Epit. l. 3. c. 21.*

Digitized by Google

Id. Beneſſi: ad A. 1371. ſar Pater probavit donarijs, nam confeſtim *Sanctiſſimi Martyris ſepulchrum* auro, & argento contexit, & in filij baptiſmate mille aureos Ungaricos pro ornando tumulo, *Canonicis Pragenſibus* decem argenti marcas donavit. De *M.S: Martyrolog. Ec: Prag.* miraculis *S. Sigiſmundi* compendioſa eſt, & authoritatis pleniſſima ex Martyrologio Eccleſiæ Pragenſis narratio, *5. Calendas Octobris depoſitio in Eccle-* Miracula S. Sigiſmun: Corona aurea. *ſia Pragenſi Sanctiſſimi Martyris Sigiſmundi Regis Burgundiæ, cujus corpus Invictiſſimus* Princeps *Carolus IV. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex de Agauno, aliàs de Octodoro Diœceſis Occimenſis ad Eccleſiam* Pragenſem *tranſtulit, & in ſepulchro decorato auro, & argento honorificè recondidit ſub An. D. 1365. ubi Divinâ favente clementiâ per Martyris ſui glori-* *Notandum* *oſa merita, debilibus, cæcis, ſurdis, mutis, claudis, infirmis, & dæmonijs obſeſſis, mira, & inenarrabilia ſanitatum præſtantur beneficia.* Hactenus Marty- *Beneſſ. ad A. 1371.* rologium. Memorabile illud, quod *Beneſſius* narrat: *Imperator* (Carolus IV.) *An. 1371. factus eſt æger in Carlſtein; Imperatrix* (pro ſalute Mariti) *ivit pedes ad corpus S. Sigiſmundi* (3. milliaria Bohemica) *& obtulit pro eo octo* *Ricc. Chro: Reform. 1. IV. tit. 2.* *ſcutellas puri auri, ſeu 23. marcas auri, & 5. lot continentes in valore; pro fiendo capite S. Sigiſmundi 16. centena, & 50. florenos auri puri. Et reſtitutus eſt Imperator priſtinæ ſanitati.* hæc Beneſſius, qui tum vivebat. De tempore quo peremtus ſit *SS. Martyr*, diſputatur: alij 1. Martij An. 505. alij ex Actis Annus cædis. apud *Tamayum* An. 526. cæſum eſſe contendunt. Majorum noſtrorum ſæculis apud *S. Sigiſmundi* Tumulum Febribus potiſſimùm medicina fælici-ter quærebatur.

§. XII.

S. Wolfgangus Ratisbonenſis Epiſcopus.

Ex Lectio: Brev. Bohemici M. S. Wolfgangus è Svevia ortus, rerum externarum fuit, & ſui contemtor egregius, ſolum ex animo DEUM quærens, ut vitæ monaſticæ, ac cœleſtium rerum meditationi ſeſe totum, penitúsque traderet, honores ampliſsimos, ab *Henrico* Trevirenſium Epiſcopo ſibi oblatos, recuſa- Virtutes SS. Præſulis vit. Poſtea ſacris Ordinibus à *Beato Udalrico* initiatus, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, *Othonis ſecundi* ſtudio, ac totius populi acclamatione, *Eccleſiæ Ratisbonenſi* præficitur. In ſuſcepto Epiſcopatûs munere, gregem Domini verbo pavit, & exemplo. Sanctiſsimis Eccleſiam temperavit inſtitutis. *Monaſterio S. Emmerami Ramvoldum* præfecit. Boëmis, nè in fide ſuſcepta periclitarentur, *Adalbertum Epiſcopum* adjunxit. Idem collapſam ſacrarum Virginum diſciplinam ità reſtituit, ut novo pietatis illius odore capta *Brigida, Bavariæ* Ducis filia, ſponſum Chriſtum ſecuta, ad Miracula. ſacras ſe Virgines aggregârit. Egregiam viri ſanctitatem miracula crebra comprobârunt. Nam & hernioſos, & energumenos, & varijs langvoribus oppreſſos, precatione ſanavit. Quin & ægri omnes, oleo quo ipſe utebatur,

tur,

tur, delibuti, vel aquâ ab illo benedictâ deguſtatâ, optatam illico incolumitatem receperunt. Idem prophetico Spiritu *S. Henricum* Imperij gubernacula ſuſcepturum, fratrem ipſius *Brunonem* ad Epiſcopatum promotum iri, utriusque *Sororem* Abbatiſſam fore, aliáque conſequentibus annis eventura prædixit. Neque rerum ſuarum neſcius, cùm ſex & viginti annis in ſeduli paſtoris munere peractis, ſibi extremum imminere diem cerneret, quæ ſibi ex uſitata liberalitate ſupererant, omnia in cœli Gazophylacium, per manus pauperum præmiſit, ſacræq; Euchariſtiæ viatico ritè præmunitus, in ipſo *S. Othmari* Oratorio, beatam animam DEO reddidit. Hactenus *Breviarij Bohemici* Lectiones; ex quibus merita *S. Wolfgangi* in nos ſatìs apparent: quòd *Antiſtes Noſter* fuerit, *Bohemiâ ad Ratisbonenſem Diœceſim* primis ejus temporibus ſpectante; quòd, ut Præſulem ſuum haberet *Bohemia*, villis tantùm pauculis, quæ ad *Ratisbonenſem Epiſcopatum* ſpectarent, gratuitò acceptis, libens conceſſerit; his adde: perpetuum Divi *Wolfgangi* etiam ante Epiſcopatum in *Bohemos* amorem. Tradunt *Einſidlenſium* Abbatum memoriæ: *S. Virum*, cùm Monaſticen adhuc ibidem profiteretur, *Evangelium Chriſti Bohemis* (quorum pars magna id temporis falſos Deos colebat) *prædicâſſe*. Diſertè *Raderus* noſter ex *Aventino*, *Hundio*, *Annalibus Helveticis*, *omnem Bohemiam peragraſſe S. Wolffgangum* affirmat. Ac ſanè neſcio, an tum, an poſtea jam *Præſul*, veſtigia illa ſaxis impreſſerit, quæ in rupe ſuper *Chudienicium in Provincia Plſnenſi* hodiéque viſuntur; *Wolfanek* Vicinia Eccleſiam illam opere inſigni exſtructam appellat, veſtigia *S. Wolfgangi* (quæ pijs oſculis adorant peregrini) fornice tegentem, & mœnibus ambientem. Quidquid ruſticæ plebis eſt à pluribus milliaribus eò confluit, & locum traditâ per manus à Majoribus pietate venerantur, certúmque rerum ſuarum in *S. Wolfgango* præſidium repoſitum habent, vix unquam ſuâ ſpe deluſi. Obſervatum illud eſt in ea *S. Wolfgangi* Eccleſia, omnia, quæ aliàs moleſta ſunt homini animalia, innoxia eſſe, ac pulices ipſos parcere morſibus, quod tota illa vicinia narrat. *Czerniniorum* illuſtriſſimam gentem (cujus auxilijs potiſſimùm hoc Templum ſurrexit) *S. Wolfgangus* eò loci, ùt exemplis probari poteſt, ſervat de cœlo; admirandum eſt, & fidiſſimo authoritatis teſtimonio munitum, quod in Teſtamento *Illuſtriſſimi Comitis Hermanni Czerninij* qui An. 1651. 6. Febr. deceſſit, ante aliquot annos legere memini: *Humberto Czerninio* loci Domino ſaniſsimo & nihil morbi paſſo, An. 1600. Angelum apparuiſſe, qui poſt triduum moriturum admoneret, in hac Eccleſia *S. Wolfgangi* ritu Catholico peccata confiteri, *SS. Eucharistiæ* viaticum ſumere, & domui ſuæ diſponere; fecit, & prædictioni reſpondit eventus. Porrò Antiſtes ſanctiſsimus vitâ exceſsit 31. Octobr. A. 799.

Mors.

S. Wolfgangus Apoſtolus Bohem.

M. S. Clement. Pragenſis Collegij.

Rader. in Bav. ſancta in S. Wolfg.

Epit. Boh. l. 2, C. 9.

Ejus Eccleſia mirabilis apud nos

Czerniniorum Chudenicij Patronus.

§. XIII.

B. Milada, vel Mlada (quam Joannes Papa Mariam vocavit) prima Antiſtes Parthenonis Ordinis S. Benedicti ad S. Georgium Pragæ.

In Epitome L. 2. C. 6.

PRidem notavi ſummam fuiſſe *Boleslao Sævo* quantumvis fratricidæ in liberis fælicitatem; ex ijs *Mlada*, vel *Milada* filia, *S. Wenceslai* Martyris neptis, quam pater jam frugi redditus, latinis literis, ac dein de ſacrarum Scripturarum notitiâ ad ſæculi miraculum in *Ratisbonenſi Parthenone* excultam, & innubem (quod ipſa unicè cupiebat) reliquit. *Romam* mortuo Patre profecta, ab ipſo Pontifice *Joanne XIII.* velo injecto, inter *S. Benedicti* Veſtales novo *Mariæ* nomine impoſito, conſecrata eſt Romæ An. D. 971. Ibi dum *Maria* moratur, immortali beneficio univerſam gentem ſuam affecit, & pro fratre ſuo *Boleslao Pio* Legatione functa, *Bohêmis* Epiſcopum impetravit, & Apoſtolicas literas, quibus *Eccleſia Pragenſis* (quam Pontifex *Eccleſiam SS. Viti, ac Wenceslai Martyrum* diſertè vocat) in Epiſcopalem erigebatur; addidit alias preces *Maria*, ut Cœnobium Virgineum, ubi vellet, fundare liceret; fundavit illud Pragæ, & ex Principali ſua hæreditate dotavit, ejúsque Cœnobij (quod lectiſsimis Virginibus *Bohemis* implevit) prima Antiſtita (*Abbatiſſam* vocant) evaſit; ſed de hoc Cœnobio alius erit ſcribendi locus. *Maria* poſtquam omnibus virtutum exemplis Alumnas, & Amatas ſuas magìs quàm imperio rexiſſet, ad DEUM in æternitate temporum laudandum, quò illam ſua merita vocabant, evolavit in cœlum, annis, & gratijs cœleſtibus pleniſsima. A. C. 994. 9. Februarij mortuam, annonotat *Crugerius*, vetus *Breviarium* illius Parthenonis, 8. diem Februarij quo deceſſerit *Milada*, ſinè dubio probabiliùs, conſignat; *Beatæ* titulum omnis retro antiquitas *Miladæ* tribuit, ipſúmque etiam altius ab humo elatum in Sacrario B. *Annæ* ſepulchrum loquebatur, quod ignorantiâ præcipiti, & ſupervacuâ Religionis curâ, noſtrâ ætate quidam, humiliari, & deprimi, titulo etiam *Beatæ* extrito (quaſi contra ſacros Canones id ſtatutum, & inciſum eſſet) juſſerunt; cùm diſertè *Urbanum VIII. Divis ab immemorabili tempore cultis* (quod eſt centum annorum) *nihil ſe præjudicare velle in ijſdem Apoſtolicis literis conteſtetur.* Vide *Epiſtolam* pro defenſione cultûs B. *Joannis Nepomuceni*, quam ejus Vitæ præfiximus. Quæ cauſſa verò ſit, cur B. *Mariam* vel *Miladam* in baſilico illo, & cœleſti opere, quod Sanctorum geſta complectitur, *Bollandus*, ejúsque Socij, Faſtis ſuis non adſcripſerint, facilè intelligimus, quòd videlicet diem obitûs, & cultûs ignorarent; ipſa eorum verba recitabo: *Milada ſeu Mlada Boleslai Ducis Bohemiæ filia refertur à Wione L. 4. Ligni Vitæ C. 24. inter ſanctas Benedictinas Regum filias, non indicato die obitûs*

B. Miladæ merita in Bohemiam

In Cœnobijs Boh.

Cruger. in Pulverib. ſacris ad 9. Febr.

Beatæ titulus.

Bolland. T. 3. Martij ad 28. in Prætermiſ.

obitûs. Hanc Arthurus à Munſtier *in Gynæceo ſacro cum Titulo Sanctæ hoc die retulit. Dubravius l.6. hiſt.* Bohemicæ *appellat virginitate & religione conſpicuam. Æneas Silvius in hiſt.* Bohem. C. *16. ab eruditione laudat: Pontanus in* Boh. *Pia l. 4. Beatam appellat. Cæterùm ſi venerationem aliquam Eccleſiaſticam haberet, diem hi indicaſſent, neque omiſiſſent ſuis* Martyrologijs *inſcribere* Benedictini, *maximè qui ultimò in Germania ſcripſit, qui dum in Germania ſacra egit de S. Georgij* Monaſterio *ab ea Pragæ conſtructo,* Beatam *etiam appellat, & magna cum opinione ſanctitatis ad cælos evolaſſe ait.* Hæc apud Bollandum. Ego hiſce oculis in vetuſtiſsimo *S. Georgij* Codice Miſſali, me legiſſe memini 8. Februarij *Commemoratio* B. *Miladæ*. Poſtremum Germaniæ ſacræ Scriptorem diem omiſiſſe nihil miror, cùm in Cœnobijs Bohemiæ (ut in *Cœnobijs* DEO dante demonſtrabimus) deſcribendis negligentiſsimè ſit verſatus. Nihilominus (ut animi mei ſenſum de *Milada* aperiam) ita comperio: *Beatæ* titulum ab antiquitate illi eſſe tributum; at *cultum publicum* non habuiſſe.

Cur omiſſa in Baſilico opere Sanctorum.

Buc.

dies mortis

§. XIV.

S. Adalbertus, Pragenſis Epiſcopus, & Martyr, Patronus Bohemiæ.

VItam SS. Præſulis, & Chriſti Martyris *Adalberti*, plurimi conſcripſerunt; diverſas miſi in Belgium Vitis Sanctorum à R. P. *Daniele Papebrochio* inſerendas. In hac brevitate propoſita, placet Lectiones *Vetuſti* Breviarij *Pragenſis* exſcribere, non enim majore authoritate quidquam à me confici poteſt: Adalbertus nobiliſsimo genere ortus, cùm graviter adhuc infans ægrotaret, *Beatiſſimæ Virginis* ope, cui illum Parentes devoverant, ejuſdem aræ admotus mirè convaluit. Miſſus Magdeburgum ad liberales hauriendas diſciplinas, cùm præſtaret ingenio, magnos in iiſdem progreſſus habuit. Reverſus ad ſuos *Ditmaro* demortuo, ſummo omnium conſenſu *Epiſcopus* P*ragenſis* creatur, quo in munere, dum verbo, & exemplo gregem paſcit, omnes optimi Antiſtitis partes implevit. Non reſpondit labori fructus. Itaque cùm ſe nihil proficere animadverteret, *Hieroſolymam* petiturus *Romam* venit. Digreſſus inde ad *Caſſinenſe* Monaſterium, longioris peregrinationis abjecto conſilio, *Beati Nili* monitu ad Urbem rediens, ad S. B*onifacium* monachus efficitur. Quinqvennium ibi incredibili pietate, ac religione cùm egiſſet, miſsâ ad *Summum* P*ontificem* legatione in B*ohemiam* revocatur. Juſſus reverti, paruit; ſed cùm populus ab ingenio non recederet, ad Monaſterium, unde diſceſſerat, remigravit. Nec diu quieſcere ibidem potuit. *Ottone III. Romam* adveniente, cùm *Moguntinus Antiſtes* illum repeteret, iterum diſcedere cogitur; Sed rejectus à ſuis, pijs, quos

A. C. 997.

Ex Lectio: M.S. Brev: Prag.

Hiſtoria vitæ.

quos proximè in *Polonia*, priùs verò in *Hungaria* fidei cauſsâ, ſuſceperat laboribus, minimè contentus, quod à *Summo Pontifice* impetraverat, ad gentes, quæ *Chriſtum* non noverant, lucrifaciendas animum adjecit. Vix in *Pruſſiam* venerat, cùm malè acceptus ab incolis, mox etiam ab ijsdem eſt interemtus. Corpus à *Boleslao Poloniæ Duce* æquali auri pondere redemtum fuit, quod demum Pragam translatum ibidem religioſiſſimè colitur. Hactenus vetus *Breviarium Eccleſiæ Pragenſis*. Quanto verò amore etiam nunc in cœlis gentem ſuam proſequatur *Adalbertus*, multa demonſtrant:

Beneficia æterna S. Adalberti in Bohemos.

Adalberto tota Bohemiæ antiquitas ſingulare illud adſcribit, quòd leproſis, tum etiam à dæmone obſeſſis *Bohemia* careat; eidem attributa eſt cœleſtis victoria, quam *Dux Sobieslaus de Lothario Cæſare* clariſſimam reportavit A. 1126. cùm Patris ſui vexillum in acie *S. Adalbertus* explicari juſsiſſet. Item alia 1260. cùm aſpectabilis ſuper *Bohemorum* aciem ſtetit.

Hagek in Annal. Boh ad A. 1126.

Habet *Eccleſia Pragenſis Metropolitana* diviſa à cætero corpore aliquot Sanctorum capita, auro, argento, & monilibus incluſa ad venerationem, & ſolatium Fidelium, ùt *S. VVenceslai*, *S. Stanislai* Cracovienſis &c. inter ea *S. Adalberti* caput eſt, quod An. 1142. amiſſum in *Eccleſiæ S. Viti* conflagratione An. 1146. repertum eſt; hoc indicat *Eccleſiæ Pragenſis* vetus Martyrologium, quod diem inventionis ejus velut lætiſsimi theſauri poſteris conſignavit; ità enim legimus: *4. Idus Octobris Inventio Capitis S. Adalberti.* Satìs jejunè, & aridè, neque tempore, & Anno, neque cauſsâ, & loco, quo id contigit, indicato; ſed ante *Huſſitica* tempora contigiſſe, neceſſum eſt, cùm ipſum Martyrologium deſcriptum ſit à Wenceslao dicto *Kyſſelo* An. D. 1407. Porrò *Sanctum Adalbertum*, exemplo S. Wolfgangi tum in recenti re profeciſſe, atq; ejus imitatione (ùt fecerat nuper *S. Wolfgangus*, qui relicto Epiſcopatu in ſolitudinem ſeſe abdiderât, in eâque quinquennio delituerat) ita tum egiſſe *Adalbertum*, facilè quisquis *Raderum* noſtrum legerit, intelliget. Cæſum eſſe S. Adalbertum An. C. 997. 23. Apr. Ricciolius tradit; Baronius annum ponit 999. Bollandus in divino illo opere de Sanctis, invicto argumento demonſtrat, vera Ricciolum tradidiſſe.

Vide Epit. l. 3. C. 10.

S. Adalbertus S. Wolfgangũ imitatur in deſerendo Epiſcopatu.

Rad. in Bavaria S. in S. Wolfgan: Ricc. Chro: refor. tit. 2.

Vita SS. ad 14. Febr. in Vita S. Brunonis.

§. XV.

Quinque Sancti Martyres, S. Adalberti fratres uterini, totáque Civitas Libicenſis odio Religionis, ferro & igne deleta.

Epit. hiſt. l. 2. C. 13.

An. 995.

Cædes SS. Martyrum.

ANno Chriſti: 995. *Wrſſovicenſes Dynaſtæ*, cæteríque in Bohemia idolorum cultores, odium, quo in *Sanctum Adalbertum* Præſulem ferebantur, abſente eo *Romæ*, in fratres vertunt: *Libicenſe* igitur in Bohemia oppidum, arcémque (quæ ditio erat *Fratrum SS. Præſulis* natalis) inob-

Digitized by Google

ſeſto die, cùm omnes incolæ in Eccleſia *Beatiſſimæ Virginis* ſacris intereſſent, inobſervati occupant, *& quinque germanos S. Adalberti fratres*, odio SS. Religionis, unà cum eorum parvis prolibus, & omnibus Incolis *Libicenſibus* crudeliſſimè necant, & inſepultos abjiciunt, ipſúmque oppidum exurunt. Hæc ex *Coſma, Pulkava, Miechovio, Dubravio, Paprocio.* Ob religionem Chriſtianam hos omnes necatos eſſe, tota Antiquitas *Bohemiæ* conſentit. An. 1216. *B. Andreas Epiſcopus* Pragenſis Vir Sanctiſſimus, de Summi Pontificis, cui chariſſimus erat, licentia, eorum ſacra corpora, ſummâ veneratione, totiúsq; Cleri, ac Populi *Pragenſis* ſupplicatione, *Libicio Pragam* tranſtulit, ac in *Eccleſia S. Georgij* in Arce Pragenſi in ipſum altare velut *Sanctos Martyres* incluſit, quæ erat eorum temporum canonizatio, ùt oſtendit *Cardinalis Baronius.* Celebratur eorum memoria 16. Aprilis. Major controverſia eſt de eorum ſacris nominibus. *Coſmas* antiquiſſimus nominat: *Sobieborum, Spitimirum,* Bohuslaum, *Boreum, & Czaslaum.* Pulkava habet: *Wßeborum, Spitimirum,* Bohuslaum, *Borzitam, & Czaslaum.* Miechovius: *Sobieborum, Spiſimirum, Sodroslaum, Zymislam, & Czaslaum*; *Dubravius* cum Pulkava convenit, ſed *pro Bohuslao* Przibislaum, *pro* Boreio *Borzitam* obtrudit. In *Spitimiro* itaque, *Czaslao, & Sobieboro*, ſeu *Wßeboro*, omnes conveniunt; *Bohuslaum* (præter unum *Dubravium*) omnes agnoſcunt, qui *Miechovio* eſt *Sodroslaus*; *Borcko* ſeu *Borzitæ* unicus Miechovius ſupponit *Zymißam*.

Coſm: in hiſt. Bohem. Pulk: C. 23. Miech. l. 2. hiſt. Pol c. 8 Dubra. l. 6. Paproc. in ſpec. Mor:

Translatio

Baron. in Annal. Ec: ad A. 1027.

Canoniſm° ſanctitatis.

Nomina.

Porrò grande miraculum, quòd eorum funus, in duobus locis (*Romæ & Libicij*) poſitus *S. Adalbertus* procurârit, omnes *Bohemi, & Poloni* Scriptores uno ore teſtantur. Extremum illud, licet ad humanam, & hujus ævi gloriam adjicio: hoſce *SS. Martyres*, eorúmq; germanum fratrem *S. Adalbertum*, nobiliſſimo (Imperatorio ſcilicet & regio) genere ortos eſſe: nam *Slavvnik* inprimis, Pater *S. Adalberti, ex Henrici Aucupis Imperatoris* (ex Saxonica Domo) ſorore, aut filia natus eſt, ut noſtri Scriptores conſentiunt; at verò *Strzezyslavva*, ſeu Sſtieſtislavva *Mater, S. VVenceslai* Ducis Bohemiæ neptis fuit, adeóque meritò *Chriſtannus de Skala* Boleslai ſævi filius, *Adalbertum nepotem* ſuum appellat. Sed hæc ſuo tempore ac loco diligentiùs examinabimus, & enucleatè diſcutiemus.

Albr. Bzo: in Notis ad vit. S. Adalber: & in vita S. Ceslai. Hag: Dubr: Chanovsky. Boleluc: &c

Chanov. in Veſt. Bohe. Pia. Chriſt. in vita S. Ludmilla.

§. XVI.

Alij Quinque SS. Martyres in Polonia paſſi, quos S. Adalberti fratres Ordinis, appellant.

TEmporibus *Henrici* Imperatoris, qui poſt *Ottonem III.* rexit Romanum Imperium, in *Polonia*, ob profeſſionem Chriſtianæ paupertatis, paſſi ſunt quinque fratres: *Benedictus, Joannes, Mathæus, Iſaac,*

A.C. 1005.

Ex Bre. Polon: Bohem. Morav:

ac, & Chriſtinus. Hi Sanctum *Adalbertum Româ* ex monaſterio *S. Alexij* Pragam, & inde in Poloniam comitati, primùm religioſam vitam duxerunt *Pragæ in Templo S. Joannis in Inſula.* deinde in *Polonia* majore, in Eremo quadam à *S. Adalberto* illis aſsignatâ prope *Caſimiriam*, ubi caſis, quæ ſingulos caperent, ædificatis, mutuum etiam alloquium fugiebant, ſolis cœleſtibus intenti. Abſtinentiâ ſingulari eorum alij bis per hebdomadam cibum ſumebant, alij ſemel duntaxat, oleribus & aquæ potu contenti, ad quæ in ſolo Paſchatis feſto aliquid leguminum admittebant. Veſte utebantur ciliciná ex equinis ſetis; lectus erat humus, & lapis cervical, neque ſomno niſì modico utebantur, pernoctantes in oratione DEI. Moris illis erat, poſt decantatam *Primam*, denudato dorſo humi ſe proſternere, & acriter unum ab altero in dies flagellari. Cùm autem placuiſſet DEO, fratrum innocentiam ſuâ mercede remunerari, admirabili modo diſpoſuit eis martyrij coronam: Dux enim Polonorum *Boleslaus Chabrus Meſtcislai* filius, pius Princeps, fratres inviſit, ut eorum orationibus, ſe & Provinciam commendaret, & viſâ eorum inopiâ centum eis marcas argenti elargitur. Fratres viſâ pecuniâ, per *Barnabam*, qui eis ſextus erat ſocius, & onus procurationis rerum externarum ſuſtinebat, remittunt pecuniam ad *Ducem*, ſuâ paupertate ob Chriſti amorem contenti. In hoc igitur rerum omnium terreſtrium contemtu, præter ſpem invenerunt cœleſtes theſauros. Dum enim abeſſet *Barnabas*, primâ noctis vigiliâ ſanctos Fratres divinis laudibus vacantes opprimunt latrones, & è caſis extractos invadunt, ac ſtrictis gladijs intentant mortem, niſì pecunias à Duce acceptas tradant; quas quia *Duci* relatas affirmabant, cupiditate in rabiem versâ, alligant ſingulos palis, & ignibus ad latera admotis urunt, cultríſque pungunt; deinde rotæ adſtrictos diutiſsimè verberant, & totam noctem conſumunt in crudeliſsimo ſupplicio innocentium pauperum, ac tandem jugulant. Paſsi ſunt Anno ſalutis milleſimo, & quinto, pridie Idus Novembris, & ab eodem *Boleslao* ſepulti *Caſimiriæ*. Deinde autem poſt annos triginta, & quatuor, à vigeſimo primo *Bohemiæ Duce Bretislao*, ſubactâ Poloniâ, & Epiſcopo Bohemiæ *Severo* præmiſsis jejunijs, & Chriſtianæ fidei, ac morum publicis juramentis, unà cum *S. Adalberti, & S. Gaudentij* ejus Fratris corporibus, qui *Gneſnæ* in Beatæ Virginis Templo quieſcebant, & Cruce, ac tabulis aureis, aliíſque pretioſis donarijs in *Bohemiam* translata, & in Eccleſijs *Arcis Pragenſis* repoſita ſunt, ſummâ totius Regni lætitiâ, & populorum accurſu. Nomina Sanctorum quinque Martyrum hæc ſunt: *Benedictus, Matthæus, Joannes, Iſaac, Chriſtinus*; ſervantur eorum ſacra lipſana *Veteroboleslaviæ*, præter *S. Chriſtinum*, qui Moravis eſt datus, cujus ſacrum corpus vidiſſe ſe argenteâ thecâ incluſum in Eccleſia Cathedrali Olomucenſi, initio prioris ſæculi, teſtatur *Miechovius.* An ex diſciplina *S. Benedicti*, an *S. Romualdi* prodierint, & cujus gentis, in *Epitome Hiſto*

Virtutes SS Fratrum.

Barnabas abſens Martyrij Coronâ amittit.

Translatio eorum in Bohemiam

Bohemi fuêre natione

Digitized by Google

hiſtorica diſputatum eſt. *Bohemos* gente fuiſſe, *Martinus Bielsky Polonus* affirmat. Colitur eorum feſtus dies ritu duplici, Divino officio, & ſacris, per totam *Poloniam*, *Bohemiam*, *Moraviam*, *Sileſiam*, 12. Menſis Novembris.

Bielsky in Chr. Regni Poloniæ edito Polonicè A. 1590.

§. XVII.

Proſtivojus Apoſtolicus Sacerdos, odio Chriſti necatus.

A. 992.

IN illis Idololatriæ apud *Bohemos* confinijs, cùm nova Evangelij lux jam univerſam *Bohemiam* perſtringere cœpiſſet, cultores dæmonum, ut cadentē ſtultitiam ſuam, & aniles, & irriſas ſuperſtitiones defenderent, omnem operam dederunt, atque ubiubi poterant, *Sacerdotes* maximè, ulciſcebantur: A. 992. *Proſtivojus* qui Apoſtolorum exemplo (ut Chriſti regnum proferret) *Bohemiam* percurſabat, ab *Hrabodoio Wrſsovicenſi* (hæc enim gens ultima ex nobilitate Bohemiæ Chriſtum agnovit) ad Villam *Lubocz* exceptus inſidijs, odio Chriſtianæ Religionis, crudeliter exquiſitis ſupplicijs necatur; *Virum Sanctiſſimum* fuiſſe Proſtivojum, & in cauſa Chriſti, quem prædicabat, perijſſe, *Coſmas* eorum temporum vicinus, affirmat; plura de ejus morte habet *Hagecius*. *Peſſina* è collegio Canonicorum *S. Viti* Eccleſiæ Proſtivojum fuiſſe affirmat, illud certius Eccleſiæ *Parochiali S. Mathiæ Apoſtoli* in Hradczano præfuiſſe, ob eámq; cauſſam corpus ejus ſacrum, non in Eccleſiā S. Viti, ſed in *S. Mathæi* Eccleſiam *Bolesłaus Dux* juſſit inferri. Idem optimus Princeps, quanti hanc mortem pro Chriſto & SS. Religionibus toleratam faceret, ſatis oſtendit, cùm in loco cędis (*Ruzinam* caſtrum inter, & Pragam, quà Pragâ Slanam iter eſt, non integro milliari) *Eccleſiam Deiparentis MARIÆ, & SS. Fabiani & Sebaſtiani MM.* nominibus dedicatā conſtruxit.

Mors Proſtivoij.

Coſmas l. 1. hiſt. Boh. Hag: in An. ad A. 992. Peſſina in Phoſphoro Radio 3.

In cædis loco Eccleſia conditur.

§. XVIII.

S. Gaudentius S. Adalberti frater uterinus, Præſul Gneſnenſis.

SAnctus Gaudentius (Radim Polonis, & Bohemis) *Slavonici* Comitis nepotis *Henrici Aucupis, & Strzezyslavæ* (ex Ducum Bohemię proſapia natæ) filius, *ter* ut ità loquar, *S. Adalberti* frater fuit: quòd ex eodem utero prodijt, quòd in eadem *S. Benedicti* familia, & quidem in ijſdem Cœnobijs, *Romano, Inſulano, Brzevnovienſi* religioſus frater vixit, & quòd ijſdem omnino moribus ſanctiſſimis vitam tranſegit, quæ tertia germanitas longè priores duas exſuperat. Hac ſimilitudine virtutum SS. Viro *Adalberto* conciliatus, aſſiduus comes in triſtibus æquè, ac lætis, in *Bohemiā*, *in Italia Ro-*

S. Gaudentius ter quodammodo S. Adalberti frater.

mæ, in Gallia Floriaci apud Tumulum S. Benedicti, in Ungaria apud Reges, in Polonia apud Miecziſlaum, nunquam à latere fratris nè latum unguem diſceſſit; donec *Adalberto* in Pruſſiam ad Chriſti fidem prædicandam properante, *Gneſnæ* ejus juſſu remanere juſſus, *Adalberto* pro Chriſto peremto, *Præſul Gaudentius* Polonicæ Eccleſiæ ſalutem indefeſsè procuravit. *Gaudentium* Gneſnenſem Archiepiſcopum faciunt Poloni Scriptores; at ex *Baronio* nondum Gneſnenſem Archiepiſcopatum eo tempore fundatum fuiſſe colligitur. Nihilominus *Epiſcopum Gneſnenſem* fuiſſe ex ijs, quæ in Epitome *de Dambovvka* ſcripſimus, dubitari non poteſt, ídque affirmat *Ditmarus L. 4. Chronici*, qui tum vivebat. Vitâ ſanctiſſimè, ùt fratrem & Martyris, & Religioſi, & Præſulis decebat, obitâ, *Gneſnæ* ſepultus, *Pragam*, ùt Scriptores noſtri teſtantur An. 1040. translatus, & in Sacello *SS. Coſmæ, & Damiani* compoſitus, pluribus cœpit miraculis inclareſcere, ſic ut poſt aliquot annos *Sancti* titulum omnis retro *Gaudentio* tribuerit Antiquitas; miraculum hominis ex carcere *Cracovienſi*, in quo triennio tenebatur, ope *S. Gaudentij* apparentis, in liberum campum translati, refert ipſe *Coſmas* oculatus, & auritus teſtis ad An. 1060. alias viſiones, & lumina, quæ in eadem crypta *Cuſtodes Eccleſiæ* videre ſunt ſoliti, idem *Coſmas* inſinuat; addítque *Lampadem ad Sancti Viri* Tumulum ab omni antiquitate accendi. Agunt de S. *Gaudentio*, præter *Coſmam*, Poloni, Bohemíque Scriptores, *Miechovius*, *Cromerus*, *Hagecius*, *Dubravius*, *&c.*

An fuerit Archiepiſc:

Sancti titulus.

Coſmas in hiſt. Boh.

§. XIX.

S. Henricus Imperator ejus nominis II. Bohemorum defenſor.

A. 1024.

Ex Lect. Brev. Rom.

HEnricus cognomento *Pius*, è Duce Bavariæ *Rex Germaniæ* ac poſtmodum Romanorum Imperator, temporalis Regni non contentus anguſtijs, pro adipiſcenda immortalitatis gloria, ſedulam æterno Regi exhibuit ſervitutem; adepto enim Imperio, religioni amplificandæ ſtudioſè incumbens, Eccleſias ab infidelibus deſtructas, magnificentiùs reparavit, plurimíſque largitionibus, & prædijs locupletavit. Monaſteria, aliáq; loca pia, vel ipſe ædificavit, vel aſſignatis redditibus auxit. *Epiſcopatum Bambergenſem* hæreditarijs opibus fundatum, B. *Petro*, Romanóque Pontifici vectigalem fecit. *Benedictum VIII.* à quo Imperij Coronam acceperat, profugum excepit, ſuæque ſedi reſtituit. *In Caſſinenſi* Monaſterio gravi detentus infirmitate, à *S. Benedicto* inſigni miraculo ſanatus eſt. *Romanam Eccleſiam* ampliſſimo diplomate muneratus, eidem tuendæ, bellum adverſùs Græcos ſuſcepit, & *Apuliam* diu ab illis poſſeſſam recuperavit. Nihil ſinè precibus aggredi ſolitus, *Angelum Domini*, Sanctóſque Martyres tutelares,

Geſta S. Henrici compendio.

res, pro ſe pugnantes ante aciem interdum vidit. Divinâ autem protectus ope, barbaras nationes precibus magìs, quàm armis expugnavit. *Pannoniam* adhuc infidelem, traditâ *Stephano Regi* ſorore ſuâ in uxorem, eóque baptizato, ad *Chriſti fidem* perduxit. Virginitatem raro exemplo matrimonio junxit, ſanctámque *Kunegundem* conjugem ſuam propinquis ejus, morti proximus illibatam reſtituit. Denique rebus omnibus, quæ ad Imperij honorem, & utilitatem pertinebant, ſummâ prudentiâ diſpoſitis, & illuſtribus per *Galliam*, *Italiam*, *Germaniam*, religioſæ munificentiæ veſtigijs paſſim relictis, poſtquam heroicæ virtutis ſuaviſſimum odorem longè, latéque diffuderat, ſanctitate, quàm ſceptro clarior, ad Regni cœleſtis præmia, conſummatis vitæ laboribus, à Domino vocatus eſt Anno ſalutis 1024. cujus corpus in Eccleſia Beatorum *Petri & Pauli Bambergæ* conditum fuit, ſtatímque ad ejus tumulum multa miracula Deo ipſũ glorificante, patrata ſunt, quibus poſtea ritè probatis, *Eugenius III.* Sanctorum numero illum adſcripſit.

At quo merito inter *Divos Bohemiæ* numeretur *Henricus*, operæ pretium erit cognoſcere: *Boleslaus Chrabry* vel *Chobry* cognomento *Poloniæ Rex*, poſteaquam *Boleslaum III.* fratruelem ſuum *Bohemiæ Ducem*, contra fidem datam excæcâſſet, eâque opportunitate poſt An. C. 1002. *Bohemiam* ingreſſus, *Pragam* proditione *Wrſſoveciorum* captam, duobus annis tenuiſſet, *S. Henricus Imperator* in favorem Ducalis Bohemiæ ſtirpis, *Wlademarium* Bohemiæ præfecit, & Polonum juſſit faceſſere, renuentem, & contumaciter arma ſpectantem, bello petijt; erant in Exercitu Imperatoris Regij Bohemiæ juvenes, *Jaromirus*, *Udalricus*, cum meliore Nobilitatis parte, cæteri *Bohemi à Polonis* oppreſſi, inviti *Boleslaum Polonum* ſequebantur, præſertim cùm *Boleslaus* nuper excæcatus (qui ob facinora in fratres ſuos admiſſa, Cæſaris iram metuebat) *Boleslao Polono* (etſi peſſimè de ſe merito) ſeſe junxiſſet. Narrant hoc bellum, qui interfuêre *S. Adelboldus Epiſcopus Trajectenſis*, & *Nonnoſus Presbyter Henrico Imperatori à ſacris*. *Henricus* invocato priùs, ùt ſolebat, Dei auxilio, munitionem quandam limitaneam *Bohemiæ* obſedit, captam *Jaromirio* tradidit; *Zatecium* Civitas ipſa ſe in libertatem vindicavit, occiſo præſidio Polonorum; ductus poſthæc ad *Pragam* exercitus, *proceſſêre cum innumerabili multitudine Poloniæ Principes* (verba Nonnoſi recito) *Henricus ad orationem confugit, & cùm omnes perceptione corporis, & ſangvinis Domini confortati fuiſſent, ad locum certaminis venit. Ibi iterum oranti Henrico aperti ſunt oculi, & vidit glorioſos Martyres Georgium, Laurentium, Adrianum cum Angelo percutiente, Exercitum ſuum præcedentes, & hoſtium cuneos ad fugam propellentes, qui projectis armis, ſinè Chriſtiani ſangvinis effuſione, fugerunt.* Hæc geſta ſunt An. C. 1004. *Pragam* deinde ſtratagemate ſingulari *Udalricus* juvenis Bohemiæ Princeps (quod apud *Coſmam & Hagecium* legitur) occupavit. Partâ victoriâ *Henricus* Bohemiæ Du-

Meritum maximum S.Henrici in Boh.

S.Henricus ope cœleſti Bohemiam à ſervitute liberat.

Ducem *Jaromirum* nominavit. Magnum igitur in gentem noſtram meritum *Henrici Sanctiſſimi Imperatoris* eſt, quòd pro *Bohemia*, cui incubabant *Poloni*, bellum gerere non dubitârit, quòd *Bohemos* in libertatem aſſeruerit, quòd legitimos è Przemyslæa gente Principes, throno per ſummum nefas dejectos, repoſuerit; in quo quidem facto Cælites ipſos *Henricus* meruit habere in partibus, & ſive *Henricus* illos, ſive illi *Henricum* ad nos devocârint, utrumque in gratiæ loco *Bohemia* gratanter agnoſcit, & quem in terris *Defenſorem* habuit, nunc etiam in cœlis veneratur *Patronum*.

§. XX.
S. Guntherus Ordinis S. Benedicti.

1045. 9. oct. BEatum, imò & *Sanctum Guntherum* Veteres omnes, novæque memoriæ Ordinis *S. Benedicti*, tum alij Scriptores omnes uno ore pronunciant. Ejus vitam ſanctiſſimam, réſque ab eo geſtas in *Caniſio*, in *Surio*, in *Radero*, in Veſtigio Bohemiæ Piæ *Joannis Tanneri* invenies; è Thuringiæ Principibus ortus, *S. Stephano* Ungar: Regi agnatus fuit. Splendidam alebat familiam magnis opibus, quæ virtuti ſunt inſidioſæ; in ijs egerat adoleſcentiam aliquantò ſolutiorem, cùm ei DEUS mentem ad cœleſtia injecit; Divus *Gothardus* Altahenſis Abbas hærenti author fuit, ut ſe in *Altahenſis Cœnobij* portum reciperet. Ob famam virtutis ſemel, iterumque ad *S. Stephanum in Ungariam* vocatus, acceſſit; deinde bonâ Præſidum veniâ *Cœnobium Rinchenacenſe* condidit, rexítque per annos ſeptem magnâ authoritate ſanctitatis; Cœnobij hujus facultates auxit *S. Cunegundis Auguſta*. Ad extremum, ùt ætas illa ferebat, perfectionis amore in ſolitudinem ſeceſſit, variáſque *Bohemiæ* ſilvas habitatione ſuâ per ſeptem, & triginta annos conſecravit. An. 1040. cùm *Brzetislaus* Bohemiæ Dux *Henricum Cæſarem* in aditu *Bohemiæ* magno prælio viciſſet, ac fugâſſet, eidem *S. Gunthero* (qui *Brzetislaum* olim in Baptiſmo ſuſceperat, ùt ipſemet *Brzetislaus* teſtatur) *amore DEI petenti*, captivos omnes *Germanos* dimiſit, & donavit; Vide Epitomen noſtram. Narrat Raderus noſter: *Brzetislaum Bohemiæ & Poloniæ Principem*, Venationibus intentum, in ſolitudinem *S. Guntheri* in Narvvaldenſi Bohemiæ ſaltu ſitam incidiſſe, cui *Guntherus* in alterum diem ſuum è vita diſceſſum poſt diuturnam & religioſam ſermocinationem aperuerit, qui primâ luce cum *Severo Pragenſi Antiſtite* ad oſtium *Guntheri* advenerit cœleſtem Agnum in viaticum porrigi jubens, ubi ille inter piorum lacrymas & vota expirârit; Corpus verò per jumenta jugi inſveta ad *Brzevnovienſe Cœnobium* devectum, prodigijs vitæ prioris ſanctimoniam oſtendiſſe, & ipſum cœleſtibus pòſt religionibus conſecratum. Hæc omnia veritati conſonant; at quod innuere videtur *Raderus*, tum primùm *S. Guntheri*, &

Adelsreitt. in hiſt. Bojor. p. 1. l. 15. Rader. in Bavaria S. H. Caniſ. in Antiq. lect. Tomo II.

S. Guntheri ad perfectiorem vitam converſio.

In literis Fundationis Præpoſituræ Reybradenſis.

S. Guntherus Patrinus Ducis Brzetislai.

Rad. in Bavaria S. in S. Gunthero

Miraculosè Brzewnovium advehitur.

Brze-

Brzetislai familiaritatem cœpiſſe, ſuſtineri non poteſt, ex his, quæ paulò ante ex Originibus Ducis literis exſcripſimus. Obijt *Guntherus* An.C.1045.9. Octobris, quem ſe in *Eccleſia Brevnovienſi* ad Pragam ſepeliſſe idem *Brzetiſlaus* affirmat; ejus ſacrum tumulum pluſquam trecentis miraculis Divinitas honoravit. Hodie ſepulchri locus ignoratur, ſed diligenter quæritur. Occultavêre illud *Huſſitarum* temporibus Religioſi; ſpes eſt non vana, propediem inventum iri.

§. XXI.
S. Procopius Abbas, Ordinis S. Benedicti.

PRocopius poſt liberalium ſtudia diſciplinarum in *Monaſterio Brevnovienſi* vitam aliquamdiu religioſè traduxit. Solitudinis deinde amore captus, ſpeluncam *Sazavæ* flumini incumbentem, larvis, ac ſpectris obnoxiam, quam adire nullus audebat, magno animo incolendam ſibi delegit. Nec viri ſanctitatem ferre monſtra diutiùs valuerunt, ſed continuò dilapſa, liberalem illi, quietámq; ejus loci poſſeſsionem reliquêre. Ejus prodigij famâ vulgatâ, cùm magni ad illum concurſus fieri cœpiſſent, facilè intellexit, Divini conſilij non eſſe, ut lateret. Itaque perfectioris vitæ ſtudio incenſos nonnullos collegit, quos ad omnem ſanctitatem ſuo præſertim exemplo informavit. *Udalricum* Bohemiæ *Ducem* à venatione feſſum, aquâ in vinum versâ recreavit, dæmones non modò è corporibus ejecit, ſed etiam ſub jugum miſſos arare compulit. Denique, cùm obitum ſuum, aliáque prædixiſſet, virtutibus, diviníſque muneribus clarus, migravit in cœlum, nec deſiit poſt mortem miraculis coruſcare. Inter alia illud inſigne, quòd cuidam, qui in magno diſcrimine fugiens, ejus opem imploraverat, fluvio in glaciem verſo ad iter proſequendum viam expedivit, ac periculo eripuit. Illud etiam memorabile, quòd cùm ſui *Monaſterij Abbas*, ut inter *Sanctos* referretur, in Urbe non impetraret, *Innocentium III.* per ſomnum admonuit, ut poſtulatis annueret. Nec diutiùs cum Pontifice laborandum fuit. Quare ab eodem, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quarto, Sanctorum numero eſt adſcriptus.

Ex Lectiot Brev: Boh. 4. Julij.

A. C. 1053.

S. Procopij geſta & miracula.

S. Procopi è cœlo ſibi Canonizationem procurat.

Fuit *S. Procopius* ex Chotaun pago, inter Bohemobrodam, & Caurzimium ſito; Slavicis literis (quas *S. Cyrillus, vel Methodius*, ùt alibi diximus, invenit) excultiſsimus; *Wiſſehradi ad S. Clementis Eccleſiam* Sacra primùm procuravit, deinde *Benedictinæ* militiæ *Brzevnoviæ* ad Pragam nomen dedit; poſt aliquot exactos in ſolitudinibus annos, *Abbas Sazavienſis*; obijt An. 1053. 25. Martij, ùt ex *Coſma*, & *Lupacio* annotat *Weleslavinus*; ſepultus in Eccleſia *B. Virginis* in Cœnobio ſuo. Vita ejus, & miracula ſtupenda prorſus, paſsim in manuſcriptis Codicibus leguntur; P. *Nicolaus Salius*

Abbas fuit Sazavienſis Cœnobij.

Lup. & Weleſl. in Cal: hiſt. ad 25. Martij.

Digitized by Google

lius Societatis noſtræ, hanc quoque ſcripſit, eáque in *Bibliotheca Crumlovienſis Collegij* invenitur; apparuiſſe eum cum cæteris *Bohemiæ Patronis* ſuper *Exercitum* Bohemorum, & attuliſſe victoriam teſtis eſt ex manuſcriptis Codicibus *Hagecius*. Dæmones malos ſic in officio continebat, ut ſaxa arare cogerentur, cujus laboris dæmoniaci hodiéque in petris, prope ejus antrum ſuperſunt veſtigia, & arationes, quas ipſe vidi. Illud etiam mirum, *Picas* orationi ſuæ obſtrepentes, abire juſſiſſe, neque unquam ampliùs in ea vicinia comparere; *Abbatem* in Cœnobio non ſatìs canonicè electum, cùm *S. Procopius* aſpectabilis, ſemel ac iterum honorem deponere juſſiſſet, & ille parêre cunctaretur, ità Pedo, quod *Sanctus* ferebat, contudit, ut brevì pòſt, quantumvìs pœnitens, expirârit.

Juvat Bohemos pugnãtes aſpectabilis.

Porrò multæ per Bohemiam Eccleſiæ *S. Procopij* nomine appellantur: celebris eſt in minore *Urbe Pragenſi*, quam in ſuo nomine dedicari, *S. Procopius* per quietem *Sulislao & Dobromilæ* conjugibus An. 1213. apparens juſſit, ab ejus domûs limine *Pragam* eſſe vocatam, & primam hanc *domum Pragæ* ſtetiſſe affirmans; eam igitur domum in *Eccleſiam* pij conjuges convertêre, & *Daniel II.* Epiſcopus Pragenſis *Przemyslao Ottogaro I.* Rege cum Proceribus præſente conſecravit.

Pontan. in Böh. Pia.

Jubet ſibi ac ſuo nomini Eccleſiã exſtrui.

Ejus ſacrum corpus in Cœnobio *Sazavenſi* (quod tum raros, aut nullos habebat cultores) deliteſcens, An. 1588. 28. Maij *Pragam* translatum eſt; intulit in tumulum in *Eccleſia Collegiata Omnium Sanctorum* in Arce Pragenſi *Martinus Archiepiſ: Pragenſis* ſolennibus cerimonijs, præſente *Rudolfo II. Imperatore* cum numeroſiſſima Procerum corona; ſed jam ante aliquot ſæcula *S. Procopij* ſolennes reliquias habebat *Eccleſia Metropolitana Pragenſis*; unde in ejus Martyrologio ſic legimus: *4. Nonas Julij Canonizatio S. Procopij Abbatis, & Confeſſoris, Patroni Regni* Bohemiæ, *miræ Sanctitatis Viri; cujus brachium habetur in Eccleſia Pragenſi.*

M. S. Bidzovini.

S. Corporis Pragã translatio.

M. S. Martyrol. Eccl. Prag.

§. XXII.

S. Severus Antiſtes Pragenſis ſextus.

SEverus non tam dignitate, & munere, quàm virtute, & morum integritate *Izzoni* anteceſſori ſuo geminus Anno 1030. ſucceſsit. Equeſtri loco natus familiâ *Berzkovskiana*, quæ *candidum lilium* gerit in campo ſangvineo; ejus acta illuſtria, & ad ſummam Reipublicæ ſpectantia, in *Annalibus* noſtris leguntur. Quod vitæ ſanctitatem attinet, author eſt *Coſmas*, hunc *ſanctum Antiſtitem, Sanctorum fato*, graviſsima quæque paſſum, & aliquando à *Brzetislao Duce* falſis accuſationibus nimiùm tribuente, in *vincula* (nefas!) *conjectum*, ac rurſus receptum in gratiam, & omnibus exultum honoribus, utramque fortunam fortiter, & moderatè tuliſſe. In *veteri Eccleſiæ*

A. C. 1068.

Paproc. in Stemmato: l. 2. C. 22.

S. Severi virtus in utraque fortuna.

ſiæ P*ragenſis* M*artyrologio*, quod inter ſacra legebatur, annotatum reperi. *3. Cal. Julij Ordinatio S. Severi Epiſcopi ſexti* P*ragenſis Eccleſiæ.* Obiit 1068. 27. Novembris. ſedit annos 38. quot hactenus duo. *Hagek* habet An: 1065.

Dubr. l. 8. hiſt: Boh. Coſm. Cuth: Weleſl. 27. Novemb.

Hujus *Severi* laudabili lenitate perfectum eſt, ut ſuum *Moravorum Eccleſia* haberet Antiſtitem, ad quod alij Antiſtites, imminutionem ſuæ Diœceſeos cauſſati (fortaſſe *Zelo non ſecundùm ſcientiam* adducti) nunquam induci potuerant.

Concedit Epiſcopum Moravis.

Quod verò *Severum* hunc Noſtrum (in *S. Adalberti* corpore *Gneſnâ* ad Nos in Bohemiam transferendo, & in *ſpoliatione Eccleſiarum* P*oloniæ* ab Exercitu Bohemorum facta) velut Sacrorum Canonum violatorem, aut ſaltem rudem, & juris Eccleſiaſtici ignarum incuſat B*aronius*, *Scriptoribus* P*olonis*, ac præſertim *Dlugoſſio & Cromero* imputandum eſt, ex quibus B*aronius* (cùm noſtros Scriptores non legiſſet) totam illam hiſtoriam totidem verbis deſcripſit; qui ſi C*oſmæ* P*ragenſis Decani* Viri integerrimi, & *Sancto Severo* coævi Chronicon vidiſſet (ſed hoc nondum Typis ediderat *Freherus*) nunquam *Dlugoſſio*, *& Miechovio* ante duo, vel ſummum tria ſæcula, & *Cromero*, priore ſæculo primùm, de rebus procul à ſua ætate geſtis ſcribentibus ſubſcripſiſſet, præſertim in controverſia nationali.

Baron. in Ann: Eccl: Dlugoſſ. ſeu Longinus. Miech. Cromer: in hiſt: Polon.

Defenſio S. Severi.

Vetus verbum eſt Tragici Poëtæ: *Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ &c. haud æquus fuit.* Inſpiciant, amabò, *Lectores* mei, defenſionem *Sanctimoniæ Severi* in *Epitome* mea hiſtorica, & in *Vita Erneſti I.* certè cauſſam meam tam probabilem exiſtimo, ut ipſum B*aronium* Virum omni meâ laude majorem, ſi viveret, rebus prolatis Judicem recuſaturus non eſſem. Multum etiam apud me valet Authoritas vetuſta *Eccleſiæ* P*ragenſis Severo Sancti* titulum in Martyrologio ſuo tribuentis, quæ cùm omni tempore ſanctiſſimis & doctiſſimis Viris & Præſulibus floruerit, nunquam ſine authoritate univerſalis Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum, *Severum Sanctum* appellaſſet. Quod verò *ſpolia Eccleſiarum Polonicarum* attinet, *ſilent* nimirum *inter arma leges*, *& Severum* (quam excuſationem Romanus Pontifex, poſtea, ùt eſt apud C*oſmam*, probavit) ob alienam culpam in judicium vocari, multóque etiam minùs alieni peccati pœnas dare oportuit; nec de S. *Adalberti & Sanctorum Fratrum Corporibus* raptis meritò accuſari poteſt *Severus*, utpote quem ipſemet S. *Adalbertus* excuſat; is enim (ut eſt in antiquiſsimis B*reviarij* P*ragenſis Lectionibus*, & narrat idem C*oſmas*) S. *Severo* apparens per quietem, transferri ſe in B*ohemiam* velle ſignificavit, certáſque leges & conditiones *Exercitui* B*ohemorum* præſcripſit, quas ſi ſervaturos ſe promitterent, impune & ſine damno (quod nuper miraculo ad *Sancti Tumulum* proſtrati, & ſine ſenſu jacentes præſtare non poterant) *in* B*ohemiam Corpus* ſuum transferrent. Eas leges *Severus* S. *Adalberti nomine* Militibus explicuit, & Exuvias ſacri Præſulis, bona ipſius gratiâ, ipſóque ita volente & indicante, ſuis manibus elevavit è tumulo.

S. Adalbertus transferri ſe in Boh. patitur.

§. XXIII.

Complures Sacerdotes à Judæis in Bohemia eviſcerati.

A.C. 1067.
Coſmas l. 2. hiſt. Boh.
Pulkava C. 40: hiſt.
Lup. ad 14. Julij.

Judæi Chriſtianum puerum furantur.

Hagek ad A. 1077.

Sacerdotes Chriſtianos occidunt.

Deprehenſi dant pœnas.

ANno 1067. 14. Julij grave crimen à *Judæis Pragenſibus* deſignatum veteres habent *Annales*: nam cùm permittente *Wratislao* Bohemiæ *Rege* ex minore Praga (eo de loco, ubi nunc ſacellum S. *Archangeli Michaëlis* honori conditum ſtat ſub vitiferis collibus in *horto, Collegio Societatis Jeſu* donato) in majorem Urbem Pragenſem immigrarent *Judæi*, cujuſdam *Civis Pragenſis filium* triennem, clam crudeliter mactandum ſubduxerunt; re per navicularij indicium propalatâ, author ſceleris, unà cum alijs quinque ejus facinoris conſcijs, mandato Regis culleo inſutus, in profluente *Muldava* demergitur. Has pœnas ſuorum, cùm *Judæi* cæteri concoquere non poſſent, alia ſcelera, quibus unum illud contegerent, perpetrârunt. Hiſce igitur annis (præcipuè 1077. & 1078.) *Bohemia* plurium Sacerdotum ſangvine ex occulto cæſorum non ſemel redundavit: ſtrati in vijs inveniebantur *Sacerdotes* crudeliſsimè extractis è corpore viſceribus, potiſsimùm viâ *Boleslavienſi*, authores tamen ſcelerum latebant, dum denique Sacerdotem quendam *Boleslaviam* præmiſſum, vel alium quempiam, Sacerdotali habitu indutum, latenter *Chriſtiani* milites ſecuti, *Judæos*, qui in Sacerdotem impetum fecerant, exceperunt, & capientes ceperunt; omnibus humanæ vitæ ſupplicijs excarnificati ſunt rei. Neque tamen deſtitêre, ſed eadem, ut poſtea videbimus, repetivêre facinora, multóque etiam crudeliùs in innocenti Chriſtianorum ſangvine ſunt bacchati. Nihil dubium eſt, *Sacerdotes* illos *Martyres* appellari poſſe, & debere, qui ab hoſtibus, ſanctiſsimarum religionum odio, ſunt trucidati.

§. XXIV.

B. Culmatius ſeu Chulmannus Bohemus, Eremita ad Piwonkam in Bohemia, cum Socijs duobus.

Cruſenius. Milenſius.

STockenſe, ſeu *Pivvonkanum* Ordinis S. Auguſtini Eremitarum Cœnobium in Bohemia multis rebus memorabilibus inclaruit, ùt *Cruſenius in Monaſtico ſuo Auguſtiniano* demonſtrat; at illa gloriatio, & claritudo, quæ à virtutibus proficiſcitur, omnem ſinè dubio humanam gloriam vincit: *Beato Culmatio* Bohemia Patriam & Virtutis locum dedit; *Culmatius* ſibi ipſe virtutes, & conſtantiam, gratiæ Divinæ ope, paravit; DEUS Viri Sancti Virtutem miraculis honoravit, ut, qui ſe ipſum propter DEUM

vice-

Digitized by Google

viceraт, propter homines etiam Naturam vinceret, & quæ dicimus, *miracula* patraret. *Culmannum* quædam Manuſcripta appellant, qui in medio Sacrarij S. *Joannis Baptiſtæ* nomine conſecrati in Cœnobio compoſitus quieſcit; honoravi ſacrum ejus Tumulum ante complures annos à Reverendis illis Patribus indicatum, & dulcem quandam pietatem, quæ de Sanctorum corporibus ſæpe profluere dicitur, perſenſiſſe me diffiteri non poſſum. Porrò *Culmatio Beati* titulum *Cruſenius*, & (ſi is non ſatis idoneus author cuipiam videatur) *Milenſius*, *Chanovsky*, *Crugerius* ex totius antiquitatis, & plurium ſæculorum conſenſu tribuerunt. Tumulus Beati viri cratibus altè eductis Majorum ætate ad venerationem muniebatur, hodie crates abſunt, ſinè dubio manibus hæreticorum, quibus Cœnobium non ſemel præda fuit, confractæ. B. *Culmatio* duos, eâ in ſolitudine ſocios fuiſſe, ac fratres (an ſangvinis, an Ordinis non ſatis liquet) Veteres Memoriæ tradunt, non additis nominibus, ſed ſanctimoniâ & vitæ innocentiâ pares: eorum alter tumulatus eſt in *Sacello* S. *Barbaræ* ad Tinam, alterius Tumulus Cœlo proſtat aperto, uno milliario à Cœnobio *Pivvonkano* ad *Pagum Trnava*. Adſita illi loco eſt columna murariorum opere, in qua Agreſtes varias imagines appendunt, *totúsque locus* (verba recito ex Veſtigio Bohemiæ Piæ) *in longum paſſus ſex, in latum propè quatuor, ſepibus ligneis clauditur; huc feriâ II. Paſchatis & Pentecoſtes ruralis* Populus *Beati illius Viri Tumulum precibus, aliiſque modis veneraturus confluit, atque in vicem muneris virgam unam ſinguli afferunt, quas in faſcis ſimilitudinem colligatas ſuper Tumulum erectas collocant, prioribus vetuſtis amotis.* hæc ibi. Addit poſtea Scriptor, *Tempus*, quo Viri duo iſti religioſi vixerint cum *B. Culmatio*, videlicet An. 1000. ſed hoc ſuſtineri nullo pacto poteſt, cùm ipſum *Cœnobium Pivvonkanum*, ex quo illi prodierunt, non priùs quàm poſt Annum 1040. fundari potuerit, ut ex ætate *Ducis BrZetislai Fundatoris* clariſſimè probatur. Vide *Epitomen* noſtram ad A. 1040.

Tumulus B. Culmatij.

Encomiaſticum Auguſtinia: lit: C.

Beati titul.

De duobus S. Culmatij ſocijs.

C. 3. Honor Tumuli.

§. XXV.
B. Gervicus Eremita in Bohemiæ finibus ad Waldſaſſium.

MUltos Sanctæ ſolitudinis amatores, qui inter feras cæleſtem in Divinis laudibus vitam agitabant, venatio Principum prodidit, ut *Ægidium* in Gallia, *Ivvanum*, *Guntherum*, & *Procopium* apud nos in Bohemia, pluréſque alios; *Gervicum* quoque, de quo nobis eſt ſermo; qui ad *Waldſaſſium* Egrâ non procul, in ſilvis ſtatione fixâ, DEO uni vacabat, *Theobaldus Wohburgenſis Dux* invenit, & cùm feras quæreret, hominem invênit, qualem inter homines ægerrimè reperiſſet, cæleſtem, Divinum, & Angelum magìs, quàm hominem; ut vita DEO tam accepta in plures pro-

circa A. C. 1128.

Digitized by Google

pagaretur, & ex hominibus Angeli fierent, *Theobaldus* Cœnobium eo in loco conſtruxit. At nè putes, tum primùm à *Theobaldo* viſum eſſe *Gervicum*, quia iſtud ad *B. Viri* gloriam cedit, diligentiùs & à principio memorabo: *Diepoldus* ſeu *Theobaldus II. Vohburgenſis, & Chambenſis Marchio* id ſibi à prima ætate decorum putavit, ut Militiam ſeriam ludicrámque ſtudioſiſſimè ſectaretur: Circenſia præſertim, ludóſque illos *haſtarum*, quibus tum tota *Germaniæ Nobilitas* inſanè tenebatur, ſic adamârat, ut nemo eâ ætate magis par in ea concurrendi & periculosè ludendi cupiditate inventus eſt *Gervicus de Wolfmuttſtein* domo *Weſtphalus*, genere nobiliſſimus, quorum duorum amor ob communia ſtudia, ut fit, tantum coaluit, ut *Theſei, & Pirithoi* renovari videretur exemplum. Infælix deinde caſus intervertit omnia: nam cùm in Cataphractorum commiſſione, ubi cæcè quodammodo & Andabatarum more pugnatur, *Gervvicus* inſciens in ſuum *Theobaldum* incurriſſet, altero infælici caſu eidem haſtâ velitari oculorum alterum expungit. Tantus ex ea re dolor utriusque Amici animum invaſit, ut damnatis & omni execratione devotis tam triſtibus ludis, *Gervicus Sigebergenſi* Cœnobio ſe clauderet, *Theobaldus* domum ad Conjugem rediens, nunquam nec ſpectare ampliùs ludos ſuſtineret; tria idē Cœnobia cū *Luitgardâ* Matre ex Sultzbacenſi familia ortâ fundavit; *Waldſaſſenſe ad Egram Gervvico* debet originem: is cum Abbate ſuo *Sigebergenſi Cunone* ad Infulas Ratisbonenſes evecto, in hæc loca profectus, impetratâ ſolitudine uni DEO ſolus vivere cœpit. Poſthæc illa, quæ initio memoraveram acciderunt: deprehenſus à venante *Theobaldo*, redeunte utrique in memoriam Veteri Amicitiâ, tantùm à *Theobaldo* Nemorum & ſilvarum dono accepit, quantum uno die poſſet obiri. Hæc fuêre initia celeberrimi poſtea *Cœnobij Waldſaſſenſis*, quod *centeſimam oviculam* Ciſtercienſes (quippe centeſimum ſui Ordinis Cœnobium) appellant; *Oſſecenſe* Cœnobium hujus colonia fuit, ut alio in loco dicetur; *Waldſaſſium* multis titulis *Bohemiæ* conjunctum, Reges quoque noſtros *Jure clientelæ* reſpexit; ſed hæc aliàs, vide interim *Gaſparem Bruſchium in Waldſaſſio*, qui omnes Cœnobij hujus incolas *trilingves* olim fuiſſe, & præter Latinam & Germanicam, etiam *Bohemicam* calluiſſe lingvam, ac Cœnobium ipſum inter *Bohemiæ Cœnobia*, velut domeſticum cenſeri ſolitum atteſtatur; quæ me cauſſa impulit ut *B. Gervicum* in Divorum noſtrorum album referrem, vel *Raderi* exemplo, qui in *Bavaria Sancta*, Auſtriam, & vicinas *Bavariæ Regiones* etiam *Tirolim*, & plures alias, quos illæ provinciæ *Divos* habent (*ut Bavariam ſuam* illuſtraret) adduxit. Quanquam cùm *Waldſaſſium* ab omni memoria in *Egrenſi Territorio* cenſum ſit, nihil alienum fecero, ſi *Egræ* (quæ hodiedum *Regem Bohemiæ* reſpicit) *Wadlſaſſium* conjunxero.

Occaſio Cōverſionis B. Gervici.

Brunner. in Boicis P. 3. lib. 12.

Waldſaſſiū & B. Gerwicus quâ ratione in Bohemiā poſſit referri.

Bruſch. in Monaſter. Germa: lit. W.

§. XXVI.

Digitized by Google

§. XXVI.

S. Norbertus Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, Germaniæ Primas, Regni Boh: Patronus.

NEque majore fide & authoritate, neque brevius (quod in hoc opere maximè ſpectavi) de *S. Norberto* quidquam adferri poteſt, quàm quod Eccleſia feſto illius die in Sacerdotalium Precum officio legendum proponit: *Norbertus nobiliſſimis Parentibus natus, adoleſcens liberalibus diſciplinis eruditus, in ipſa poſtea Imperatoris Aula ſpretis mundi illecebris, Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi voluit. Sacris initiatus rejectis mollibus ac ſplendidis veſtibus pelliceâ melote indutus, prædicationi Verbi DEI ſe totum dedit. Abdicatis Eccleſiaſticis proventibus ſatis amplis, & patrimonio in pauperes erogato, ſemel in die ſub veſperam ſolo cibo quadrageſimali utens, nudisque pedibus, & lacerâ veſte ſub brumali rigore incedens, miræ auſteritatis vitam eſt aggreſſus. Potens igitur opere, & ſermone innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, diſſidentes ad pacem, & concordiam revocavit. Cùm Lauduni eſſet, ab Epiſcopo rogatus nè à ſua Diœceſi diſcederet, deſertum in ea locum, qui Præmonſtratus dicebatur, ſibi delegit, ibíque tredecim Socijs aggregatis, Præmonſtratenſem Ordinem inſtituit, divinitus acceptâ per viſum Regulâ à S. Auguſtino. Cùm verò ejus fama ſanctitatis in dies magis augeretur, ac plurimi ad eum quotidie Diſcipuli convenirent, idem Ordo ab Honorio II. aliisque Summis Pontificibus confirmatus, ac pluribus ab eo Monaſterijs ædificatis, mirificè propagatus eſt. Antverpiam accerſitus, in ea Urbe Tanchelini nefariam hæreſin profligavit. Prophetico ſpiritu & miraculis claruit, Archiepiſcopus tandem (licet reluctans) Magdeburgenſis creatus, Eccleſiaſticam diſciplinam, præſertim Cœlibatum conſtanter propugnavit.. Rhemis in Concilio Innocentium II. egregiè adjuvit, & Romam cum alijs Epiſcopis profectus, ſchiſma Petri Leonis compreſſit. Poſtremò Vir DEI meritis & Spiritu Sancto plenus Magdeburgi obdormivit in Domino, Anno ſalutis 1134. die ſextâ Junij.*

Obijt 1134.

Ex Lect. Brev: Rom:

S. Norberti nobilitas.

Ardor virtutis.

Ordinis inſtitutio.

Hactenus Breviarij Romani Lectiones. Edidêre SS. Præſulis Vitam plurimi, tam ex illo ſacro Ordine Canonici, quàm alij, ac noviſſimè *Vitam S. Norberti* diligentiſſimè abs ſe conſcriptam Auguſtæ An. 1641. vulgavit è Societate Noſtra Sacerdos *Joannes Baptiſta Schellenberg*. Exſtat *Echo S. Norberti triumphantis* Antverpiæ An. 1629. Typis edita Authore *R. P. Joanne Chryſoſtomo Vander Sterre Præmonſtratenſi*, in qua S. *Norberti Pragam Translatio*, omnésque ei ab omnibus Bohemiæ Ordinibus impenſi honores deſcribuntur, Liber hic in omnium manibus verſatur. Translatus eſt *Pragam* An. 1636. *Doxanâ* ex Parthenone ſacro ejuſdem Inſtituti, in quo corpus ſacrum, qui *Magdeburgo* levaverant (*Queſtenbergius Abbas Strahovienſis*,

Scriptores Vitæ.

Translatio Pragam.

 Cri-

Criſpinus Præpoſitus Doxanenſis, & *Martinus* Stricerius S. *Crucis Canonicus Presbyter Hildeſienſis*) tantiſper depoſuêre; quo in munere maximè *Queſtenbergij Abbatis* commendatur induſtria; qui omnem movit lapidem ne *Cæſar & Proceres* ſuis deſiderijs fruſtrarentur: Attentârant id plurimi pridem Principes & Præſules, irrito ſemper ad extremum conatu: *Bavari Leodienſes Epiſcopi, Erneſtus, Ferdinandus; Albertus & Iſabella Belgarum Principes; Rudolfus II. Imperator; Joannes Lohelius Archiepiſcopus noſter; Eitel-Fridericus Zolleranus Cardinalis*, aliíque; *Ferdinandus II. Imp.* his omnibus fortunatior, per *Abbatem Queſtenbergium* quem dixi, ſtrenuam hac in re operam præſtante *Alberto Wenceslao Euſebio Duce Fridlandiæ*, à Senatu Magdeburgenſi, Adminiſtratore Brandeburgico connivente, elevationem & translationem Sacri Corporis in Bohemiam, non tam impetravit, quàm extorſit. Juverit forſitan ad Majeſtatem SS. Præſuli apud ignaros conciliandam, *Deſcriptionem ſepulchri Magdeburgenſis* ab ijs qui aperuêre acceptam, adjicere hoc loco, tum quia pauciſſimis nota eſt, tum quòd me legentem ſummopere oblectârit, velímque voluptatis hujus meæ partem aliquam communicare cum legentibus, præſertim ſi qui rebus antiquis cognoſcendis magis, quàm hiſce novis teneantur: Odæum *Templi Magdeburgenſis* octonis gradibus altius in medio aſſurgit, *Arámque S. Crucis* ſuſtinet, quæ palis, machiníſque amolienda fuerunt, unde margo duntaxat Sepulchri prominebat, cui ingentia duo ſaxa quatuor ulnas longa firmi operis nexu, immiſſis nimirum ferreis inter ſe fibulis peritiſſimè cohærentia, incumbebant; ijs porrò vectibus relaxatis, ac mole utrâque revulsâ, *Sarcophagus* ad formam humanam exciſus proſtabat. Epitaphium candido ad parietem marmori inciſum hoc erat:

Elevatio ſacri corporis & veteris ſepulchri deſcriptio.

NORBERTUS DEI GRATIA
S. MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS,
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS INSTITUTOR,
ET HUJUS MONASTERII RESTAURATOR,
SUB HOC MARMORE CONDITUR
ANNO DOMINI M. CXXXIV. IV. JUNII.

fortè VI. vel VII.

Retecto magna cum veneratione loculo, conſpectóq; latente Theſauro, miri animorum motus exciti adgeniculantibus pias excivêre lacrymas; ſacra Oſſium compages ſuo quæque loco ac ordine ſibi cohærens, juſtam porrecti hominis ſtaturam excedebat, quæ ipſo quàm primùm attactu dilabi, ac reſolvi viſa eſt. *Frons* ſacra puriſſimis, ac cryſtallinis manabat guttis, cùm tamen id loci ingenium, aridum cæterà ac arenoſum, & oſſa multum humo levata cernerentur. Stabat *dentium Ordo* geminus, & condenſatus nec unico imminutus. *Manus* in Crucis formam protenſæ, & decuſſatim com-

poſi-

Digitized by Google

poſitæ. *Anulus* Sapphiro radians aureâ palâ, ſed rudi opere incluſus peropportunè *Præſulis Queſtenbergij* digito, fauſtóque omine ſemet inſinuabat. *Caput humeríque* linteo amictu integebantur, ipſum verò venerandum *corpus* ſynthesi jam tabeſcente, ac ob vetuſtatem in aranearum telas diffluente velabatur, quam limbi aureo intexti filo eleganti opere obibant. *Cyclas* ſerica purpuram præferens, ſparſim ſitu ac putredine attacta, textu florido tribus ſupernè gemmatis acubus confibulata ad talos fluebat. *Pallium* Archiepiſcopi humeris circumfluens, & cycladem inumbrans, depexa lana, & carie comeſa, illæſas duntaxat Cruces præferebat. *Stola ac ſiniſtri faſcia brachij* prolixiora ſolito, auróque texta nitebant. Hunc in modum pretioſa lipſana à Triumviris illis purâ ſindone ſigillatim collecta, ac ſchedis quæque ſuis inſcripta, ingenti cum triumpho *Pragam* aſportata fuêre. Quacunque inceſſerant, feſto æris campani pulſu, ac tormentorum diſploſione, omnium Ordinum ingenti accurſu, plauſúque ab hominum memoria inaudito, circa III. Id. Decembr. Strahoviam, decantato inter pompam regiâ ſymphoniâ Ambroſiano cantu, illata fuêre. Jam Breviarium vitæ, quod *SS. Præſulis* laudationem, & res geſtas nervosâ brevitate continet, apponam:

Elogium hiſtoricum SS. Præſulis

NORBERTUS Saliciorum *domo natus*,
Cæſarum Sangvis,
Abdicatis Cæſarum *Aulis ſidereas Domos aſpirans*,
Amictu candido à Cœli Regina,
Caſtis religionis legibus à Magno Auguſtino *receptis*,
Candidæ Familiæ Conditor
In loco divinitus Præmonſtrato
Cœlibem ac Cœlitem vitam præivit;
Apoſtolico Zelo plerumque Septemtrionem peragravit,
Ac Cœli ignaros Chriſto *conciliavit*.
Archiepiſcopus Magdeburgenſium ab Innocentio II. *Pont. Max.*
Sacrorum Principum per Germaniam Princeps *declaratus*,
Aſtrum Saxoniæ inextinctum,
Civibus præſidio, terrori hoſtibus,
Antverpiam *hæreſi infectam expiavit*,
Parthenopolin *moribus labantem erexit*,
Sacri Imperij nutantem ſtatum ſtabilivit,
Innocentiâ, & vitæ ſanctimoniâ,
Orbem implevit.
Or*aculis juxta ac miraculis clarus*,
Ab Innocentio III. *Chriſti in terris Vicario*
Divorum Cœlitum *adſcriptus ſyllabo*,
Quem Patriæ Parentem,

Sancta

Digitized by Google

Sancta Ubiorum Colonia *à teneris excoluit*,
Clara Parthenopolis *evexit*,
Regia Praga *in ſinum recepit*,
Et quod condi potuit
Strahovienſis Eccleſiæ *Theſauris intulit*,
Anno Chriſtiano *M. DC. XXVI.*

In vita S. Norberti fol. 137.

Hæc *Echo S. Norberti* triumphantis ſuprà citati Authoris, & P. Joann. Bapt. Schellenberg. Plura de eo, déque SS. ejus Ordine in libro *de Cœnobijs* adferentur. Porrò SS. Præſul *Norbertus* eodem, quo *Pragam* corpus ejus translatum eſt anno, votis omnium Ordinum concordibus, & peculiari Decreto *Eminentiſſimi Cardinalis Erneſti Archiepiſcopi Pragenſis* Divis Bohemiæ Tutelaribus eſt accenſus.

Fit Patron. Regni Boh. Boh.

§. XXVII.
S. Leopoldus Auſtriæ Marchio.

A. C. 1134.

Ex Brev. Rō. ad 15. Nov.

L*Eopoldus* Auſtriæ Princeps, ab inſigni in DEUM pietate *Pius* cognominatus, in primo ætatis flore, ea virtutum ſemina concepit, quæ annorum progreſſu in ſingularem vitæ ſanctitatem excreverunt. Relucebant in adoleſcentia cum DEI timore ſumma vitæ integritas, continentia, & humilitas; in provectiore ætate, juſtitia, miſericordia, ſapientia, religionis cultus præcipuus. Patre defuncto curis licet conjugalibus, & Principatûs ſolicitudine præpeditus, pietatis, & miſericordiæ munera diligenter obibat; inopes fovebat, oppreſſos ſublevabat, laſſos roborabat, denique inter tot aulæ inquinamenta immaculatum ſe ab hoc ſæculo cuſtodiebat. Eccleſiæ Romanæ Pontifices tantâ veneratione proſecutus eſt, ut ab *Innocentio II. S. Petri filius* meruerit appellari. In Clerum, viróſque Religioſos beneficus, duo monaſteria celeberrima, *Clauſtroneoburgenſe*, *&* *Sanctæ Crucis in Valle nemoroſa* conſtruxit, & ampliſſimè dotavit. Melicenſe quoque à ſe inſtauratum, magnis ſumtibus, & cenſibus illuſtravit. Demum, cùm annis quadraginta *Auſtriæ Principatum* laudabiliter gubernaſſet, Anno ſupra milleſimum centeſimum trigeſimo ſexto, vitâ ſanctiſſimè functus, ſacris Eccleſiæ Sacramentis munitus, ab hoc mundo ad cœleſtem gloriam translatus eſt. Ejus Corpus ad *Clauſtrum Neoburgi* conditum innumeris cœpit clarere miraculis, quibus DEUS tantam Viri ſanctitatem voluit manifeſtam. Namque ad ejus invocationem mortui ſuſcitati, cæci illuminati, ſurdi auditum, muti loquelam, claudi greſſum, captivi libertatem, varijs morbis oppreſſi ſanitatem ſunt conſecuti. His clariſſimis Sanctimoniæ documentis rite compertis, *Innocentius VIII.* Sanctorum catalogo adſcripſit. Ejus ſacra oſſa è tumulo ab *Imperatore Maximiliano* elevata, in eadem Eccleſia honori-

Pietas S. Leopoldi.

Ex qua ſtirpe ſit genitus.

Digitized by Google

ficentiùs repoſita, debitâ coluntur veneratione. Hactenus Officij Divini Lectiones; fuit autem *D. Leopoldus* ex vetuſtis Auſtriæ Marchionibus, ex *Schirenſi* familia, ùt putat *Raderus*, aut quod veriſimilius eſt, ex *Babenbergenſi*, ùt *Cuſpinianus*, & *Lazius*, & *Arembergius*. Quo merito igitur, dices *S. Leopoldum in Bohemiam* trahis? Conſangvinitatis arctiſſimo titulo; namque nisì ſtemma *S. Leopoldi in Bohemiam* derivarem, *Auguſta Auſtriadùm Domus*, hodie glorioſè regnans, & imperans, ejus Ducis ſangvinem non haberet; primùm *Filia D. Leopoldi Gertrudis Wladislao II.* poſtea Bohemiæ Regi An. 1138. deſponſata eſt, undè omnes abhinc *Bohemiæ Reges* Przemy*slææ ſtirpis* deſcendunt, uſque ad *Eliſabetham Wenceslai II.* filiam, à qua per Matres in Sereniſſimam Domum Auſtriacam *Sangvis Divi Leopoldi* maternâ lineâ defluxit, ùt in O*riginibus Guttenſteinianis Genealogicè* probatum eſt à nobis. Neque hîc amicitia *Bohemiæ Principum* cum *S. Leopoldi* progenie conſtitit: quippe hoc ipſo Anno 1138. *Sobieslaus Bohemiæ Princeps* filiam ſuam *MARIAM*, *Leopoldo* V. Marchioni Auſtriæ *S. Leopoldi filio* conjugio junxit cum dote quingentorum talentorum argenti; nuptiæ O*lomutij in* O*ctobri* ſunt celebratæ. In quibusdam manuſcriptis invenio: *Wladislai* II. fratrem *Henricum* nomine, Originarium ſtirpis *Henricianæ*, *ſeu Czerninianæ*, alteram filiarum *S. Leopoldi* in matrimonio habuiſſe, atque adeò *Czernini Comites & Barones*, tum omnes illi, qui ſe à *Czerninijs* per Matres deſcendere gloriantur (quorum in Nobilitate noſtra inſignis eſt numerus) *S. Leopoldo* ſangvine conjunguntur. Sed neq; iſtud myſterio vacat, éſtq; *Bohemiæ* ſumma gloria, quòd in *S. Leopoldi Mauſoleo, à Maximiliano I.* ſumtuoſiſſimè poſt Annos 344. demum excitato, in marmore ipſo quarundam Illuſtriſſimarum Bohemiæ Familiarum inſignia, ac nominatim *Sternbergicorum* expreſſa videamus. Argumentum hoc eſſe poteſt grandis alicujus in *S. Leopoldum* meriti: nimirum *Zdenko de Sternberg* apud Pontifices Romanos eâ tempeſtate gratioſus inprimis, qui titulum *Generalis Ducis Armorum Eccleſiæ* gereret, cujus unius conſilijs *Georgio* regnante res Catholica in *Bohemia* nitebatur, interventu ſuo, ac precibus, & Legatione (quod in Manuſcriptis invenio) ad impetrandum quod petebatur ab Apoſtolica Sede, plurimum attulerat momenti. Eſt autem *Divorum* albo inſcriptus, & honori publico propoſitus ſub *Friderico III.* Romanorum Imperatore An. 1485.

Rad in S. Leopoldo P. 3. Bav. Sā:

Lazius ap: Rader. Cuſpinian: in Leop. I.

Vide Epit. rer. Boh. lib. 3. C. 10. Origin. Cō. de Guttenſtein.

Quomodo S. Leopoldus ad Bohemiam pertinere videatur.

vide Epit: & Indices Chronolog:

§. XXVIII.

Duæ Sanctæ Virgines ex Bohemia, S. Angela, & S. Euphraſia Martyr, quæ in Patria ſua ignotæ, in Regnis Hiſpaniæ coluntur.

CONſultò duas haſce Sanctiſſimas Virgines Bohemis noſtris olim ignotas, etſi in *Bohemia* natas, ac proinde *Noſtras*, tractatione conjungo;

diu dubitavi, utrum eas in hoc *Sanctorum Bohemiæ Cenſu* collocarem, & ſvadebat altiſſimum omnium Noſtrorum Scriptorum ſilentium; at tandem invictâ maximorum Authorum authoritate ſuperatus ſuccubui, dóque jam manus, & quamvìs *Parentes* certò nominare non poſſim, *Patriam* tamen illis apud nos libenter concedo. *S. Angelam Wladislai Bohemiæ Regis* filiam P. *Joannes Tanner* facit; ſororem *P. Georgius Crugerius*, quæ Fratrem Regem *in terram Sanctam* cum copijs *Bohemorum* ad auxilium Chriſtianis ferendum proficiſcentem *peregrina* ſecuta ſit. *Carmeliticum Inſtitutum* in Palæſtina amplexam eſſe, & *Angelicam* prorſus vitam egiſſe, ejus Sancti Ordinis Annales affirmant; ferunt hujus *S. Virginis* vitam, & res geſtas in Belgio nuper editas Typis, quæ in manus meas non venerunt; ex his forſitan certi aliquid poſſemus ſtatuere; at quod ijsdem Patribus narrantibus didici, *Pragenſe Cœnobium Carmelitanarum Virginum* rexiſſe, & Pragę 6. Julij mortuam, ſuſtineri non poteſt, cùm (quod certiſſimò conſtat) nullum Cœnobium, aut Parthenonem ſacrum ejus Ordinis ante *Caroli IV.* tempora B*ohemia* habuerit. Primus hic feliciſſimus *Imperator Carmelitanos* altiſſimi operis Baſilicâ MARIÆ *ad Nives Pragæ* exſtructâ, & cum Cœnobio ijsdem donatâ in *Bohemiam* adduxit, aliúdque novum pro ijsdem Cœnobium *Tachoviæ* fundavit; cujus exemplum *Guttenſteinij Comites* ſecuti poſtea, duo Cœnobia *Chiſſenſe*, & *Rabſteinenſe* conſtruxêre: potuit nihilominus *S. Angela* ſpe certâ novi Cœnobij ſororibus ſuis fundandi, deſignata jam Antiſtita ad *fratrem Regem in Bohemiam* veniſſe, & *Pragæ* dum maximè fundationi imminerет, extingui, præſertim, ſi in ea tempora conatus incidit, cùm ingratiſſimus *Imperator Fridericus Ahenobarbus Regem* W*ladislaum* fratrem Virginis dignitate regiâ deturbavit. Sed tumuli nullum *Pragæ* ſupereſt veſtigium. At *quàm facilis jactura ſepulchri!* an deerant *Pragæ Cœnobia*, ac maximè quod ſoror *B. Agnes* regebat in Arce, ubi conderetur? Satìs de multùm controverſa quæſtione. vide, quæ in *Epitome noſtra* attulimus, ac peculiari Diſſertatione ad *Venerab: ac Doctiſſimum* P. *Carolum Slavatam*, non modò Excellentiſſimæ familiæ, ſed P*atriæ* etiam noſtræ *Bohemiæ Decus*, & ornamentum, ac (dum hic præſens Liber ſub prælo Typographico ſudat) ſui O*rdinis Carmel: Diſcalc: Generalem.* Fuit verò *S. Angela*, & virtute, & ſcientijs omnibus ad miraculum exculta; mirantur, & commendant ejus opera, quæ latinè ſcripſit (*Exhortationes ad moniales ſuas*, *cæleſtes Revelationes*, *ac librum de Venerabili Sacramento*, aliáque plura) *Delrio*, *Poſſevinus*, Noſtri, tum Carmelitani Scriptores; ac fortè id eſt, quòd eam in Effigie apud *S. Gallum Pragæ* videmus inter Sanctos ejus Ordinis depictam, *Librum* tenentem, cui libro *Monſtrantia*, ùt vocamus in templis, ſuperſtat. hæc de *S. Angela.*

Crug. in Sacris Pulver: in Auguſto fol. 75.

Nullum in Boh. priori bus ſæculis fuit Cœnobium VV. Carmelit:

Cœnobia hujus Ordinis fundantur in Boh.

Epit. rer. Boh. l. 3. C. 13

S. Angela ſancta & docta.

Delrio l. 4. Diſq. mag: C. 1. qu. 3. ſect. 4.

Poſſev. in Appar: ſac: in Append. Tomo I.

Geſ. in Bibl: Didac. Alegro in Parad. Carm. decoris in S. Angela.

S. Euphraſiam, alij *Ephraſiam*, aut *Euroſiam* appellant, & *S. Angelæ* ſororem fuiſſe perhibent, æquè apud nos natam, & Regis filiam. Hæc Regi

Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpaniarum per Legatos deſponſa, & promiſſa, dum in *Hiſpaniam* mittitur, & *Pyrenæos* ſuperat, in *Maurorum* poteſtatem devenit, qui Virginis eximiâ formâ capti (ùt eſt gens ſalaciſſima) vim pudicitiæ inferre cœperunt, ſed Virgo Regia latronum ſcelus averſata, mori maluit, quàm fœdari, atque in ea pudoris ſui defenſione *Martyr* occubuit. Civitas *Laca* à *Dauroultio* nominatur, ubi editis poſt mortem miraculis, religioſiſsimè colatur, & in ſiccitate telluris, ac peſtilentiæ tempore, præſentiſsimâ ſemper è cœlis ope ab incolis invocetur. Tempeſtates quoque in illa cœli plaga graviſsimas ſæpius avertit in auxilium vocata. *Hiſpaniæ Scriptores* ejus meminiſſe, ac nominatim *Marianam*, teſtis eſt noſter *Chanovius*; miraculis in *Hiſpania* claram eſſe affirmat *Marchantius in Paſtorali.* De hac *Sancta Euphraſia* velut à nobis profecta nullam in Baſilico illo Opere, quod *Bollandus Noſter* inchoavit, mentionem invenio; at de *B. Angela* ad 28. Februarij hæc leguntur: *B. Angela de Bohemia Ordinis Carmelitani quibusdam Calendarijs hoc die inſcripta traditur, in ejus vita, quam M. S. nacti ſumus, non tenui Examine egentem; traditur obijſſe 6. Julij.* Ita ibi.

S. Euphraſia Martyr caſtitatis.

Dauroult. in Catechiſ. hiſtorico.

Mariana in hiſt: Hiſ:

Chanov. in Veſt. Boh: Pia C. 3. & in Notis.

§. XXIX.

S. Otto Bambergenſis Epiſcopus, Pomeranorum Slavorum Apoſtolus.

SAnctiſsimus hic Præſul bene de *Bohemia* noſtra meritus, effecit, ut ejus inclytum nomen inter patrios, & illuſtres *Sanctimoniâ* Viros legatur: amantiſsimus in primis fuit *Bohemici nominis & Bohemiam* ſæpius adijt (nam *Slavicam lingvam in Polonia* perceptam perfectiſsimè callebat) quoties ſcilicet ad barbaros iter habebat, *Wladislaum* I. & *Sobieslaum* I. Duces Bohemiæ ſalutabat ex intervallo. Innotuit Ducibus noſtris *Bambergæ* in Comitijs Imperij An. 1124. 7. Maij ab *Henrico V. Cæſare* celebratis, & in intimam Principum familiaritatem admiſſus eſt; adde quòd *Pomeranis* (qui tum Slavicè loquebantur) cognatæ nobiſcum genti, Chriſti Evangelium prædicârit. An. 1125. Martio exeunte, *S. Otto Pragam* advenit; nihil eſſe potuit opportunius, *Wladislao* I. *Bohemiæ Duce*, cum fratribus, & patruelibus ſuis imortaliter, ut ità dicam, diſsidente; tantum oratione nervoſâ apud morientem Ducem profecit *Otto*, ut omnia Fratribus condonaret, eóque *Sobieslai* fratris, à quo maximè diſsidebat, amore proceſsit, ut proprijs etiam liberis præteritis, *Sobeslaum* Proceribus comendârit, atque ut in Imperio ſuccederet, impetrârit. Obijt 2. Aprilis *Wladislaus* à *SS. Præſule Ottone* ad moriendum optimè comparatus A. D. 1125. Reliqua Apoſtolica *Ottonis* geſta in *Surio* leguntur. Obijt *SS. Præſul Pomeranorum & Luſiciorum Apoſtolus A. C. 1139. 30.* Septembris. ætatis 70. Divorum numero à *Clemente* III. Papâ

S. Otto Bohemis & Slavis peramicus.

Weleſ. in Calend. ad 7. Maij.

Coſmas in hiſt. Boh.

Dub. Hag.

Rad. in Bavar. S. in S. Ottone.

Manlius in Luſatia.

Reconciliat Duces Bohemiæ diſſidentes.

Man. l. cit.

Hen: Caniſ. T. 2. antiq. lect. De Pomerania Slavica. pâ adſcriptus *1189.* Apôſtolicos *S. Ottonis* labores, *Pomeraniæ Slavicæ* deſcriptionem, univerſæ illius Gentis ad *Chriſtum* converſionem, jucundâ prorſus & memorabili narratione complexus eſt Anonymus, ſed ſynchronos, & ejusdem Ætatis Scriptor apud *Henricum Caniſium* tribus libris.

§. XXX.

B. Henricus Zdik, Olomucenſis Epiſcopus è Regio Ducum Bohemiæ ſangvine.

Beati titul. & Natales. BEeati titulum *Henrico* virtutes primùm, & ſanctimonia, uno eodémque vitæ colore, & tenore uſquè ad extremum deducta conciliârunt, deinde omnis retro Antiquitas, & Scriptores omnes ſinè controverſia tribuerunt; controverſia major eſt de Patre: alij *Ottonis I.* Znoymenſis, & Olomucenſis Ducis filium, alij *Wladislai I.* Regis Bohemiæ fratrem, & *Wratislai I.* Boh. Regis filium, alij *Wladislai I.* fratruelem faciunt; omnes iterum in eo conſentiunt, ex *Przemyslæa* regnatrice apud *Bohemos & Moravos* *M. S. hiſt. Ord: Præm.* ſtirpe editum fuiſſe. Educatio illi Principalis, & Regia, multæ deinde literæ, inde parta prudentia, Principibus charum, & ad res maximas agendas, & de rebus maximis ſuggerenda conſilia idoneum fecêre. Sed authoritatem omnem conſiliorum *Henricus* ad Divina convertit, ac ſanè neſcio Antiſtitem Ejus merita in Eccleſiâ Olomucenſem. in Patria, cujus conſilio plura ad DEI gloriam ſint geſta. *Epiſcopus Olomucenſis* poſt An. C. *1126.* rite creatus, cùm anguſtiſſimè *Præſul & Canonici* duodecim in *SS. Petri & Pauli* Eccleſia verſarentur, Olomucenſibus Ducibus (*Wenceslao & Wladislao*) author fuit *A. 1128.* arcem Olomucenſem in Cathedralem *S. Wenceslai* Martyris Eccleſiam convertendi; auxêre eodem authore *Collegium Canonicorum* antè laudati Principes, ut ad *S. Wenceslaum* Canonicis 24. Collegium conſtaret. Idem Eccleſiam *S. Wenceslai* condecoravit auro, aliíſque pretioſiſſimis cimelijs, & ſatìs magnâ parte *SS. Crucis* quam Hieroſolymis ſecum (ut mox dicam) attulerat. Omnis igitur, quam videmus hodie, Eccleſiæ illius Majeſtas, quaſi fundamento ab *Henrico* ſub- *Pulk. hiſt. Boh. C. 74.* ſtructo, eidem *Beato Antiſtiti* debetur. Poſthæc inceſſit cupido terram ſanctam, quæ Chriſti veſtigijs, imò etiam ſudore, & ſangvine conſignata eſſet, Ejus iter in terram S. viſendi; *pedes Hieroſolymam* uſquè proceſſit, rediénsque tot Divinas mente imagines ex *Palæſtina* retulit, ut in Patria *Palæſtinam* videre ſe crederet, amantium more, qui ſibi ſomnia, & omnia fingunt: hoc *Sionis*, hoc *Montis Oliveti* Cœnobia teſtantur. Porrò *Henricus* in hac peregrinatione *Sacri Præ-* Summus fuit admirator & amator Ordinis Præmonſt: *monſtratenſium Ordinis*, cujus tunc prima gloria, amore ſic captus eſt, ut ſe ijs adjungere, & conſecrare, depoſitis Infulis ſtatuerit, ſed à Pontificibus impetrari ampliùs non potuit, quàm ut veſtem religioſam ferret in loco, & quantum dignitas Epiſcopalis pateretur, *Præmonſtratenſis* eſſet. Itaque jam penè

ſacro

ſacro illi Ordini domeſticus, ejus incrementa promovit: *Wladislao Bohemiæ Duci*, poſtea Regi, ſic Ordinem ſuum comendavit, ut celeberrimum, atque in primis opulentum Cœnobium *Præmonſtratenſe Pragæ* fundaret, cui *Henricus* ob ſimilitudinem ad montem *Sion Hieroſolymis*, *Sionis* nomen impoſuit; *Litomyslij* deinde alterum eodem *Henrico* impulſore Præmonſtratenſium Collegium B*rzetislaus Wratislai I.* Regis filius fundavit, ùt oſtendit *Peſſina*; Scriptores alij ipſumet *Henricum* nominant Fundatorem (qui rurſus ex Palæſtina *Montis Oliveti*, vel *Olivetanum* Cœnobium appellavit) conciliari poſſunt ſententiæ, ſi *primus Fundator Brzetislaus*, ſecundus (quod frequentiſſimum in Cœnobijs fuiſſe lego) *Henricus* habeatur Fundator ob grande aliquod beneficium. Magnum & illud, quòd (ùt *Crugerius* docuit) primus *Henricus* effecerit, ut ex *Strahovienſi* Cœnobio Olomucenſes Antiſtites lege quâdam inviolatâ diu legerentur. Octoni nominari poſſunt ad eas Inſulas ex *Præmonſtrato Pragenſi* evocati. *Paprocij* obiter refellendus eſt error, qui *Joannem*, cognomento *Ventrioſum* Epiſcopum Olomucenſem An. 1104. electum, eidem ordini (qui nondum fundatus erat) adſcribit. Illud verius, quod idem *Paprocius* ſcribit: *Henricum* à Wenceslao Duce impetrâſſe, ut Parochialis Eccleſia *S. Mauritij* (quæ antea Cœnobium Ordinis S. B*enedicti Hradiſstienſe*, ſeu Gradlicenſe reſpiciebat) ad *Cathedralem S. Wenceslai Eccleſiam* pertineret. Eidem *Henrico* libertates, & immunitates ſuas ex merito adſcribit Virgineum Cœnobium ad *S. Georgium Pragæ*, quod ille ſibi protegendum, ornandum, & in virtute promovendum ſumſit, fuitque Parthenoni à ſacris confeſſionibus; unde ejus poſtea obitu mœſtas Virgines *Euſebius III. Pontifex* Epiſtolâ ſingulari An. 1151. *Ferenti* datâ, ſolatus eſt, ùt in *Epitome hiſtorica* probavi. Perinde verò, ùt boni bonum, ſic mali, & improbi acerrimum vindicem legum ſacrarum *Henricum* ſenſêre: *Clericos concubinarios* (quod tum ob frequentiam, vix pro ſcelere habebatur) cùm aggreſſus ipſe, & *Otto Pragenſis Epiſcopus* eradicare non poſſent, *Henricus Romam ad Evgenium Pontificem* profectus, Legatum *Gvidonem* impetravit, cujus authoritate victi Regij ſangvinis *Principes*, defenſionem omitêre, effectúmque eſt, ut alijs exilio, alijs carcere punitis, alijs adminiſtratione Sacrorum prohibitis, *Clerus* Bohemi*æ*, *&* *Moraviæ* ad ſanitatem, & ſanctitatem rediret (quod infæliciter alijs quibuſdam *Præſulibus* ceſſit, ùt de *Godevvoldo Miſnenſi* legimus apud *Fabricium*) quid tamen per cauſſam hujus itineris, & quàm gravia paſſus ſit *Henricus*, Dubravius, & Hagecius latè commemorant; fuit perpetuus egenorum, & à fortuna, & amicis deſertorum Patronus; deníque vitâ omnibus ſanctimoniæ numeris abſolutâ, prophetiæ ſpiritu clarus, migravit in Cœlum An. C 1151. 25. Junij. Agunt de eo *Dubravius* L. 12. *Hagek* in Annalibus. *Crugerius* 25. Junij. *Paprocius & Auguſtinus* Moravus in Epiſcopis Olomuc: *Aubertus Miræus* in Chronico &c.

Dubrav. l. 12. hiſt. Boh.

ad 25. Junij

Strahovienſe Cœnobium Seminarium Epiſcoporum.

Papr: in ſpeculo Moraviæ: in Epiſ:

Cœnobiũ Hradiſtienſe ad Olom:

Epit. hiſt. l. 3. c. 13.

Dub. l. 12. Hag: in An:

Clerici concubinarij correcti.

Fab. in An: Miſ: l. 1. ad An. 1130.

Obit⁹ ejus.

Digitized by Google

§. XXXI.

B. Amabilia prima Antiſtita Parthenonis Clatovienſis, Ordinis S. Benedicti.

B. Amabiliæ genus, & Vita.

Amabilia Henrici, & Theobaldi (quorum ille *Czerniniorum*, hic *Sſvihoviorum* illuſtriſſimas ſtirpes fundârunt) germana ſoror, *Wladislai I.* Bohemiæ Principis, *& Amabiliæ Wohburgenſis Duciſſæ filia*, ab ineunte ætate DEI ſeſe magìs filiam, quàm mortalium Principum probavit, uni æternitati, non tempori, nulli niſì cœleſti voluptati, quam ex divinis laudibus liquidiſſimam capiebat, iminens, & intenta. Cùm *Theobaldus* frater Cœnobium Religioſorũ *Clatoviæ* (ad quod uni Nobilitati aditus pateret) ſtatuiſſet, *Amabilia* ad idem exemplum Nobilium puellarum Cœnobium ibidem (in ſuburbio Civitatis ſitum, ut probabile puto) fundavit, utrumque Cœnobium ex *S. Benedicti* legibus regebatur. Antiquitas (ſenectuti noſtræ ſimillima) oblivioſa, nihil de illa poſteritati tradidit, niſì *Beatæ*, imò & *Sanctæ* titulum, quem virtutibus, & contemtu rerum omnium terrenarum, ſpiritu prorſus Principali meruerit; deinde & illud, quod comitari ſanctimoniam ſolet: *Miraculis claruiſſe.* Vixit circa An. C. 1170. *Clatoviæ* primùm in Eccleſia *S. Laurentij* tumulata; at cùm impij *Huſſitæ*, non modò ad necem Catholicos viventes quærerent, ſed etiam mortuorum, ac præſertim *Beatorum* hominum corpora iterum quodammodo occidere cuperent, eorum ſacros tumulos violando, oſſa, & cineres diſſipando, urendo, *Sſvvihovij Barones*, qui eam, velut ſui ſangvinis Divam, ab omni memoria coluerunt, eandem *Amabiliam cum Theobaldi Originarij* ſui, ac cæterorum ex ſua gente Procerum corporibus *Clatoviæ* effoſſis, *Plſnam* (quod ex vetuſtis *Sſvihoviorum memorijs* exſcribo) detulerunt. Errat vir hiſtoriæ noſtræ peritus, qui *corpus S. Amabiliæ* ſub ruderibus *veteris Plſnæ* jacere ſcripſit; jacet in duobus Cœnobij Novæ, ſeu hodiernæ Urbis Plſnenſis, ac nominatim *S. Amabilia* ante ſummum Altare in *Sacello S. Margarethæ* (quod alij templum, alij Sacellum *S. Spiritûs* appellant) ad *Cœnobium Ordinis Prædicatorum*, cujus corpus effoſſum (dum Sacellum reparatur) ante annos triginta ſe vidiſſe mihi narravit Illuſtriſsima, & fide digniſsima & pietate inſignis Matrona *Przichovvskiana*, nata ipſa *Kokorzovvciana*; an redditum tumulo ſit, an à Patribus alibi conditum aſſervetur, hactenus ſcire non potui. Egit de ea *Weleslavinus*, *Chanovsky*, *Ferus &c.*

B. Amabilia Plſnam tranſlata.

Ejus Tumulus.

Weleslav. in Geneal: Chanovs: in Veſt: Boh. Piæ. Ferus in Vita S. Agnet.

§. XXXII.

§. XXXII.

B. Eliſabeth Wladiſlai I. Bohemiæ Regis Filia, S. Amabiliæ Soror, Ordinis Præmonſtratenſis in Cœnobio Doxanenſi.

JAm ſæpe dixi, *Wladislai I. Bohemiæ Regis* generationem, totámque adeò cognationem benedictam ex Cœlo videri, tot Sanctimoniæ Viros, ac fæminas protulit, ut unum illud ſæculum, cætera omnia *Bohemiæ* multitudine *Beatorum*, *ac Beatarum* provocare videatur. En iterum *Eliſabeth Wladislai* I. filia, inclytæ Sanctitatis in vetuſto illius Cœnobij Catalogo legitur, ac diſertè *Beata* appellatur. Ob eum nobilitatis, & virtutum ſplendorem, unanimi Virginum ſuffragio, poſt *Mechtildem*, quæ ibidem *prima Priorissa* dicitur, ſuccesſit *Eliſabeth ſecunda* Cœnobij Prioriſſa, Regis Wladislai II. ſoror, cujus *Wladislai* Conjux *Gertrudis S. Leopoldi* filia Parthenonem hunc ſacrum fundavit; ſed & *Eliſabeth* cum fratre Rege plurimùm Cœnobij fundationem promovit; hæc enim in Memorijs Doxanenſibus invenio: *B. Eliſabeth ſecunda Prælata noſtra, contulit pro ſe, & fratre ſuo 80. Marcas argenti ad ædificium Monaſterij; item duas villas; inſuper Calicem cum patena, & ampullas argenteas inauratas.* Dies obitus annotatur ibidem 31. Martij, annus abeſt. Crediderim ad An. 1170. vivendo perveniſſe.

1170.

B. Eliſabeth auget fundationē Doxanenſem.

§. XXXIII.

B. Brzetislaus Henricus Dux Bohemiæ, Epiſcopus Pragenſis.

FUit *B. Henricus Brzetislaus*, filius *Henrici III. Bohemiæ Ducis* ex *Agnete Duciſſa Carinthiæ*, filia *Henrici IV. Imperatoris*, ac proinde ex familia Imperatorum, ac Regum; nam *Henricus III. Wladislai II. Bohemiæ Regis* frater fuit; fratres & ipſe habuit, *Henricum*, à quo ſtirps *Henriciana* dicta, hodie *Czerniniana*; & *Theobaldum*, à quo ſtirps *Theobaldiciorum* (quos hodie *Ssvvihovvskios* appellamus) deſcendunt. A prima ætate bonas literas, tum etiam Philoſophicas, dein Divinas, & interiores Pariſijs *Magiſter & Doctor* percepit; ſed ille omnia virtuti poſthabuit, Religioſam vitam in *Strahovienſi*, ſeu *Sionæo Cœnobio* profeſſus. Doctrinæ, & virtutis comes Honos apud bonos eſt: *Præpoſiti Wiſſehradenſis* dignitas, tandem mortuo *Valentino* etiam Epiſcopatus, *Henrico* defertur. Cùm verò *Wenceslaus II. & Przemyslaus* de Principatu Bohemiæ contenderent (*Spitihnæi* pupilli cauſſam egiſſe in Comitijs *B. Henricum* Solymannus ſcribit; ego quis ille *Spitihnæus* fuerit, ignoro; ſcio alioquin *Wladislai II.* Regis filium, atq;

A. 1196.

Genus.

Doctrina.

Ordo.

Jul Solym: in Elogijs Reg. Boh.

Digitized by Google

Dignitas Regia.

atque etiam *Wenceslai* filium *Spitihnaum* poni à *Weleslavino*, de quibus alij Genealogiſtæ tacent) ergo, cùm illi duo contenderent, *Henricus* à Bohemis *Dux* eſt acclamatus, licèt perinvitus, ac deprecans, probante *Henrico IV.* Cæſare; quod factum An. C. 1191. cùm jam Annos decem in Epiſcopali munere *Henricus* exegiſſet.

Merita & fundationes.

Primum operum Principalium fuit, Regij ſangvinis *Principes* componere, quod etiam armis fæliciter perfecit. *Domum Epiſcopalem* exſtruxit cum Sacello auguſtiſſimo *auguſtiſſimæ DEI Matris* ibidem, atque etiam *Wiſſehradi Eccleſiaſticos Cantores* (Chorali toro, ùt vocant) DEI laudes cantaturos fundavit; ſed hæc minora: collapſam *Cleri in Bohemia* diſciplinam cum *Petro Cardinale Cæleſtini III.* Papæ Legato reſtituit, à quo *Henricus Sapientis* titulum apud Pontificem reportavit.

Henricus à Pont. cognominatur Sapiens.

In ſumma, quæ *Bohemiam* premebat annonæ caritate, *Henricus* de ſuo ingenti frumenti numero comparato, velut alter *Joſeph*, totam aluit *Bohemiam*, & ob Cives ſervatos & apud DEUM, & apud homines im̃ortalem lauream obtinuit. Aliquoties Principatûs inſignibus exuere ſeſe tentavit, ſed nunquam ab amantibus ſubditis impetravit; quod profectò teſtimonium ſubjectorum, electione omni majus eſt.

Amantiſſimus ſubjecti populi.

Denique, cùm vicinam *Sion* in oculis haberet, ipſe in Hieruſalem vetus revocavit *Machabææ* gentis exemplum, ut & *Sacerdos* maximus, idémque bello, & pace *Dux* optimus haberetur ab omnibus, & qui vel uno munere laudabiliter geſto præconium æternum meruiſſet, utroque ſic excelluit, ut paucos *Antiſtites*, paucos etiam pares *Duces Henrico* Bohemia viderit.

Obitus & tumulus.

Obijt 14. Junij *Egræ*, quò ex conſilio Medicorum ad aquas Acidulas valetudinis gratiâ ſeſe contulerat; devectus *Doxanum* ad *Præmonſtratenſes* ſuos, ibíque apud Matris tumulum humatus An. 1196.

Pont. in Ep. Prag. Peſſina in Phoſphoro radio 5. Crug. ad 14. Junij. Mortuar: Doxanenſe M. S.

Scripſêre Sancti Principis encomia, quicunque de *Bohemia* ſcripſêre; at peculiariter *Pontanus*, *Peſſina*, *Crugerius*. Breviſsimè vetuſtiſsimus Codex Doxanenſis: *14. Junij. Obijt beatæ recordationis Henricus Pragenſis Epiſcopus, & noſtræ Congregationis Protector pijſſimus, omniúmq; ſpiritualium optimus Defenſator, qui contulit noſtræ Eccleſiæ circuitum Kolovvecz, & de tentorio ſuo ornamenta Altarium auro texta.* *Beati titulum* omnes Noſtri Scriptores, & omnis retro antiquitas *Brzetislao Henrico* tribuerunt.

§. XXXIV.

B. Adalbertus Wladislai II. Bohemiæ Regis filius, Archiepiſcopus Salisburgenſis.

A. 1200.

Beati titul.

QVicunque *Adalberti* trigeſimi ſecundi à *S. Rudberto* Salisburgenſis Archiepiſcopi meminerunt, titulum ei *Beati* apponunt, quem virtutibus, vitâ innocentiſsimè actâ, & exilio pro defenſione Sedis Apoſtolicæ fortiter tolerato, meruerit. Natus eſt apud nos, Patre Rege *Wladislao*

Digitized by Google

diſlao II. Matre *Gertrude S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ* filiâ; educatus in Cœnobio *Strahovienſi Pragæ*, legitimâ ætate Præmonſtratenſium Inſtitutum ſecutus, votis ſeſe Religioſis illigavit; at Pater (ùt illo ſæculo plerique ex *Strahovienſi* Cœnobio ad Infulas, & dignitates Eccleſiaſticas petebantur) filio prædivitem id temporis *Præpoſituram Mielnicenſem* contulit. Paulò poſt, Anno videlicet 1168. moritur *Conradus Archiepiſcopus* Salisburgenſis, *S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius*, frater *Gertrudis*; eâdem commendatione uſi *Wladislaus* Rex, & agnati cæteri, *Gertrudis* filium *Adalbertum ad Salisburgenſes infulas* promoverunt. Pallium Archiepiſcopale *Adalberto Alexander* Pontifex miſit, Aquilegienſis Patriarcha Præſulem conſecravit. Diviſa tum erat Eccleſia Schiſmate (quod vocabant) *Fridericiano*, cùm ſcilicet *Fridericus* Cæſar *Ahenobarbus* legitimum Pontificem *Alexandrum III.* agnoſcere nollet, alióſque ſacrilegè ſufficeret; *Adalbertus* meliores partes, ùt decebat, ſecutus, in *Cæſaris* offenſam incidit, multíſque ob eam cauſſam appetitus injuris, tandem An. 1174. cùm ei *Cæſar* accuſatores duos ex Sacro, quod minimè decebat, ordine appoſuiſſet, atque ipſe furens, judicio præeſſet, innocentem, neque reſpondere ad calumnias permiſſum, damnavit. Multatus exilio in *Bohemiam Mielnicium* ſe recepit, cùm antè, ſponte an metu, ceſſionem Archiepiſcopatûs ab eo Cæſar extorſiſſet; *Adalberti* igitur locum *Henricus*, deinde *An. 1178. Conradus Wittelſpachius* tenuit, quo in Moguntinam Sedem elato *A. 1183. Friderico* jam reſipiſcente, & bonâ fide pacem cum Eccleſia, & legitimis Pontificibus colente, poſt tot annorum exilium fortiſſimè toleratum *Adalbertus* noſter Sedi ſuæ reſtitutus, oſtendit, virtuti æquè adverſa, ac proſpera ſervire. Paulò ante mortem ſervum ſuum rebus adverſis iterum ſibi approbare Divinitas voluit, quippe chariſſimum alioqui populis *Præſulem*, & ſuorum amantiſſimum (ùt oſtendit *Adeltzreitter*) ſuimet clientes (cauſſa annalibus expreſſa non eſt) cepêre, & captum dies quatuordecim arctè attinuêre; ob rei indignitatem *Sacris* interdictum totâ Archidiœceſi, neque priùs pœna ſublata, donec conſtitit, reſtitutam *Præſuli* innocentiſſimo libertatem. Septem, & decem annis cum ſumma laude & commendatione Pontificum, Cæſarum, Principum, omniúmque ordinum Archiepiſcopali dignitate functus *Adalbertus A. 1200. 4. Aprilis* (Doxanenſe M. S. 7. Aprilis ponit) velut Paſtor bonus ad Paſtorum Principem Chriſtum evocatus eſt, & *Salisburgi* in Cathedrali Eccleſia tumulatus; quem hodiéque *Sanctis, & Beatis* Eccleſiæ ſuæ Præſulibus, Archidiœceſis illa fælicisſima accenſet; fundavit B. *Adalbertus Præmonſtratenſibus* ſuis ampliſſimum ad *Straubingam Cœnobium.*

Chron. Anber: Mirai. Bibl. Joan: de Haye. Henr: Stero in Chron. Avent: l. 6. Boic. hiſt. Hundiuin Metro. c. 4. Reuſner Baſil: Geneal. Munſt. Coſmogr. l. 3. C. 371.

Defendit Rom: Pontificis authoritatem.

Ob eam rē ſede Archiepiſcopali dejicitur.

Adeltz. P. 1. l. 22. n. 34.

Reſtitutus rurſus exercetur adverſis.

Chanov: in Veſtig. Bob. Pia. C. 3.

Digitized by Google

§. XXXV.

B. Agnes Virgo DEO conſecrata, Antiſtita Parthenonis Georgiani Pragæ; & B. Hedwigis Religioſa in Cœnobio Doxanenſi, hæc Inſtituti Præmonſtratenſis, illa Benedictini, Sorores; utraque Wladislai I. Bohemiæ Regis filia.

Circa A.D. 1206.

B. Agnes religioſa Virgo Præmōſtratenſis, & pôſt Benedictina.

AGnes Wladislai I. Regis Bohemiæ filia, ex *Gertrude* (Sancti *Leopoldi* Marchionis Auſtriæ filia) primùm *Doxanæ* inter Virgines *Norbertinas* Religioſam egit vitam, admota etiam gubernationi Parthenonis Sacri circa *A.C. 1200.* tertia numero *Doxanæ Antiſtita*, multâ cum Cœnobij utilitate præfuit; at poſtea *Rege Przemyslao Ottogaro I.* fratre agente, ad *S. Georgij Parthenonem Benedictinum* regendum translata, ùt priùs ſecerat, omnibus ſuis mirâ Sanctitate præluxit, quam ob cauſſam *Agneti* huic *Beatæ* titulum tribuit antiquitas. Ex hac *Agnete* ſatìs imperitè (quòd fieri non poſſe crederent, ut *una*, eadémque in duobus diverſi Ordinis Cœnobijs degeret) *duas* quidam Scriptores fecerunt, quos *Memoriæ Georgianæ*, *deinde Calendarium Doxanenſe* ante 300. annos ſcriptum, refellunt: Calendarium: *7. Junij. Obijt piæ, & beatæ memoriæ Agnes Abbatiſſa, Reſtauratrix Eccleſiæ S. Georgij Pragæ, Congregationis noſtræ Soror Profeſſa, quæ nobis bona multa contulit.* Ex his habemus obitûs menſem, & diem; annum tamen nominare non poſſumus. Scripſit de ea *Crugerius*; mentionem fecit *Weleslavinus.* Tumulata à ſuis in ſacrario *Sanctæ Annæ* prope ipſam B. *Miladam Fundatricem*, quòd à Rege fratre ſuo *Przemislao Otttogaro I.* quàm plurima beneficia, & Privilegia Cœnobio procuràſſet; *Beatæ* titulum ei tribui teſtatur *Tannerus.*

Crug. ad 14 Martij. Weles. in Geneal. Prin. Boh. Tanner. ad C.3. Veſtigij Boh. Piæ.

Controverſia de B. Agnete & Hedwige.

At quid de *Hedvvige*, quam (antè Profeſsionem in eodem *Doxanenſi Cœnobio* factam) *Agnetem* appellatam, affirmat *Crugerius*, faciemus? an eadem eſt cum priori B. *Agnete?* addit idem: *Hedvvigem Wladislai I. & Gertrudis* filiam, & primùm annis XX. privatam, deinde *Doxanæ* itidem *tertiam Prioriſſam* XV. & ampliùs annis Parthenoni præfuiſſe, & A. 1205. 14. Martij morientem *Doxanæ* in elatiore, marmoreóque Tumulo ſepultam fuiſſe, quæ omnino non cohærent: fuerit *Regum filia*, fuerit 20. annis privata, ſanctiſſimè vixerit, ſanctiſsimè obierit, & ob illam Sanctimoniæ authoritatem extante tumulo honorata ſit à ſuis; at neque 14. Martij obijt, neque dignitatem *Antiſtitæ* geſsit; ut *Hedvvigem* non fuiſſe *Agnetem* neceſſe ſit dicere: nam ad 20. Martij in Mortuario legitur: *Obijt Beatæ memoriæ Hedvvigis filia Regis.* ad 7. Junij verò: *Obijt piæ, & beatæ Memoriæ Agnes Abbatiſſa Reſtauratrix Eccleſiæ S. Georgij Pragæ*, ùt ſuprà retuli. *Agnes* igitur ad *S. Georgium*

Digitized by Google

gium, *Hedvvigis Doxanæ* Tumulum invênit, hæc privata, illa Parthenonis Georgiani Antiſtes; illa 20. Martij, hæc 7. Junij evolavit in cœlum. Unde evidenter probatur (adverſus *Crugerium*) diverſas fuiſſe, neque *Hedvvigem Prioriſſæ* munere functam; quod ſine dubio ad nomen ejus in *Mortuario* Virginum additum legeremus. Tandem ex eodem Mortuario *tertia Prioriſſa* non vocabatur *Hedvvigis*, ſed *Margarita filia Fundatorum*, ùt eſt ſcriptum ibidem 13. Julij. Sed notandum hoc loco, primò. *Margaritam tertiam* appellari *Prioriſſam*, licet B. *Agnes* (ut initio hujus numeri dixeram) *tertia* etiam appelletur: ſcilicet electa fuit quidem à ſororibus *Agnes Doxanæ*, ſed paulò pòſt *Pragam* eſt evocata, cui viventi *Margarita* ſucceſſit; quæ propera *Electio & Succeſſio* effecit, ut in Catalogo Prioriſſarum Doxanenſium B. *Agnes* numerata non ſit, ſed *Margarita*, quæ videlicet hoc munus uſquè ad mortem tenuit, adeóque *tertia Prioriſſa* conſtanter nominatur ab omnibus, *B. Agnete* ad aliud Antiſtitium translatâ. Ajo ſecundò: *tres Agnetes Beatæ memoriæ*, in Mortuario Doxanenſi reperiri, quas diverſas eſſe ipſa mortis dies evidenter oſtendit. *Agnes*, quæ poſtea ad *S. Georgium* tranſijt, 7. Junij obijt. *Secunda Agnes* Prioriſſa obijt 17. Maij. *Tertia Beatæ Memoriæ* Agnes 31. Julij. *Hedvvigis* autem, quam malè cum *Agnete Crugerius* confudit 20. Martij deceſſit. Jam ad *Agnetes* duas illas reliquas veniamus.

§. XXXVI.

Agnetes duæ Prioriſſæ, ùt illæ vocant, Virginum Sacrarum Doxanæ, Inſtituti Norbertini.

IN *Calendario* vetere Doxanenſi, præter allatam *B. Agnetem Wladislai I.* Regis filiam, duæ leguntur ejuſdem nominis, ùt paulò antè dicebam, quæ rarâ opinione Sanctitatis relictâ, admotæ Cœnobij Virginei gubernaculis, deceſſerint; altera 17. Maij (anni non adduntur) altera 31. Julij, leguntur obijſſe; & quanquam natalium nulla ſit mentio, dubitari tamen non poteſt ex illius ſæculi more, nobiliſſimas Virgines fuiſſe, ídque ipſum de poſteriore ſatìs indicant divitiæ, quas illa Sacro Parthenoni donâvit. 31. Julij (ità M. S.) *Obijt beatæ memoriæ* (Nota) *Agnes Prælata loci hujus, quæ eidem contulit vineam, & 80. marcas argenti.* Superior verò *Agnes* (17. Maij) & ipſa *Beatæ* titulo inſignitur. Hanc poſtremam ego ſuſpicor *Wenceslai I.* Bohemiæ Regis ſororem, & *Przemyslai Ottogari I.* filiam fuiſſe: *Fabricius* ex publicis Tabulis commemorat, *Wenceslaum* Bohemiæ Regem Eccleſiæ Miſnenſi donâſſe caſtrum *Leſnam* pro ſalute animarum *Ottogari* Patris ſui, *Wladislai* filij, & *Agnetis* ſororis ſuæ An. 1247. X. Calendas Octobris. Non potuit alia *Agnes* eſſe, quàm hæc *Doxanenſis*; ſiquidem *S. Agnes* Ordinis S. Claræ nondum obierat (An. 1281. mortua) neque altera *Henrici I.* Saxoniæ Du-

Circa An. 1210.

Tres Agnetes filiæ Regis Ottogari I.

Fabric. l. 2. in Miſnicis ad A. 1247. Supplementum Chron. Miſniæ.

cis conjux, quæ An. 1268. ùt paulò antè dixeram, deceſſit; atque ità evidenter probatur: *Przemyslaum Ottogarum I.* præter alias filias, *tres Agnetes* filias habuiſſe, ſed ex ijs, an ex *Adela* prima uxore, an & quæ ex *Conſtantia* ſuſceptæ ſint, certò dicere non poſſum. Objicere hoc loco Sciolus quispiam poſſet: etiam *pro vivorum ſalute* donari multa Eccleſijs, & Anniverſaria fundari, adeóq; ex hac fundatione *tres Agnetes* non ſat evidenter probari. reſpondeo: clariſſimè ex toto fundationis contextu apud *Fabricium* evinci, hoc cœleſte Sacrorum anniverſariorum auxiliū *mortuis*, *non vivis à Wenceslao Rege* fuiſſe impenſum: nam ſi pro vivorum ſalute fundare anniverſarium ſtatuiſſet *Rex*, cur ſe, cur *Ottogarum* filium, cur cæteras proles ſuas tum adhuc viventes, cur ſorores ſuas reliquas prætermiſit? nimirum quia vivebant, & tres illi, pro quorum ſalute anniverſarium in *Eccleſia Miſnenſi* Sacrum fundabatur, jam deceſſerant; idem comprobat perpetua eorum temporum conſvetudo: quis enim Anniverſarij alicujus fundator, ſi vivant ij pro quorum ſalute Miſſa fundatur, non addat continuò, id *Sacrum* poſt eorum mortem inchoandum? hîc autem ſine omni exceptione (nimirum pro mortuis, ut conſtabat inter omnes) *Anniverſariū* fundabatur, & cùm duo illi (*Ottogarus pater*, & *Wladislaus filius*) vitâ exceſſerint, quâ ratione *Agnes* vivens & valens cum mortuis *Anniverſarium* haberet? cur id ſoli *Agneti* viventi præſtaret *Rex frater*? an aliæ *Agnetes* ſorores tam charæ Regi non erant? imò chariores, ut de *S. Agnete* Ordinis Seraphici S. Claræ, ex ejus Vita ſatis datur intelligi. Maneat igitur in hac cauſſa inconcuſſum: *Przemyslao Ottogaro I. Regi, tres Agnetes filias fuiſſe.*

Objectio ſolvitur.

§. XXXVII.
Beatus Hroznata Ordinis Præmonſtratenſis Confeſſor, & Martyr.

A. 1217.

ACtum agerem, ſi hoc loco B. *Hroznatæ* vitam, résq; ejus geſtas deſcribendas ſuſciperem; vulgavi eam pridē in *Originibus Guttenſteinianis* ex vetere M. S. Codice Cœnobij *Teplenſis* excerptam; hîc ſuccinctiſſimè, & paucis complectar omnia: *B. Hroznata Comes* (ità eum diſertè appellat *Henricus Epiſcopus*, & *Dux Bohemorum in literis Originalibus*) ex *Comitibus de Mielnik* (qui poſtea ab arce *Guttenſtein*, *Guttenſteinij*, vel *Guttæ* dicebantur) patre *Sezymâ* Comite, Matre *Dobroslavvâ* eſt genitus, *Przemyslao Ottogaro I.* (qui ab An. 1191. uſque ad 1230. regnavit) cariſſimus, primóſque inter Proceres numeratus, conjuge, & filio unico orbatus, totum ſe ad ſtudia pietatis & virtutum cæterarum convertit, ac primùm *aſſumtâ Cruce Hieroſolymam* peregrinationem vovit, ſed mox urbem *Romam* accedens, *Cœleſtino Papâ* voti loco injungente, nobile *Cœnobium Teplenſe* Ordinis Præmonſtratenſis in Bohemia, in *honorem Beatiſſimæ DEI Matris*, terram ipſe è ſolo

Beati Viri genus.

Fundat duo Cœnobia Ord. Præmonſt.

Digitized by Google

è ſolo eggerens, & efferens, fundavit; legi in pervetuſtis ſacri hujus Ordinis Annalibus, cùm Cœnobij fabricam compleſſet *B. Hroznata*, *Chriſtum D. eidem* apparuiſſe per quietem, ac dixiſſe; *Hroznata! audivi Orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij*; quo oraculo percepto lætus Vir beatus pronus in terram corruens, Dominum adorârit, illa repetens identidem: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus!* at verò ſuper Cœnobium dum dedicatur à *Joanne Epiſcopo Pragenſi*, toto die *Stella lucidiſſima* fixa ſtetit, nec niſi nocte deſijt apparere; brevì pòſt *Virgineum Cœnobium* quoque (cui *Chotieſſovium* quaſi dicas *Sponſarum Domum*, nomen indidit) adjecit, fundavit, dotavit, inſtruxit *Hroznata*; in quo *Beati* Viri Sorores Virgines, *Beatrix*, *Bohuslava*, & *Juditha* ſanctiſſimè vixerunt. Neque hac pietate liberaliſſimâ *Beatus Hroznata* ſibi fecit ſatìs, ſed iteratò Romam contendens, habitum *Præmonſtratenſis Ordinis* ab ipſomet Pontifice ſuſcepit, & religioſam amplexus eſt vitam. Procedente tempore *Præpoſitus* factus eſt *Chotieſſovienſis*, aut potiùs ditionum quas ipſe Cœnobijs donaverat, *Adminiſtrator*, quæ viriliter adversùs Religionum hoſtes (non cognatos, ùt aliqui nullo nixi fundamento ſuſpicati ſunt, quod pridem refelli) *ſed adversùs æmulos de Egrenſi Provincia* (ùt vita M. S. loquitur) *defendens*, cum in *Hroznietin* (*Lichtenſtat* hodie vocant) proficiſcitur, captus, & tractus in *Tevtoniam* (non in *Bohemiam*) *carceri mancipatur*; ibi fame, ſiti, frigore, aliiſque pœnis excruciatus, cùm redimi à Fratribus ſuis recuſaret, morte affectus, *cum palma Martyrij cœli aulam ingreditur*; redemtum poſt mortem à *Fratribus* corpus, ſinè omni vulnere, & incorruptum apparuit, quod ante majus altare *Teplæ* condiderunt. Eâdem, quâ obierat, nocte, immenſo lumine circumfuſus, famulo, qui in alio carcere vinctus tenebatur, videndum ſe *Beatus Hroznata* præbuit, & catenis divinitus exemtum, & altiſſima de turre, innoxiè ut caderet adjutum, *Teplam* ad fratres mortem ſuam nunciaturum ire juſſit. Miracula tum ad ejus ſacrum Tumulum, tum alibi patrata, in *Originibus* ejus familiæ memoravi. Sed memorabilis præcipuè Nativitas ejus eſt: nam mortuus in lucem à Matre editus, voto ad B. V. MARIAM à *Dobroslavva* matre facto, repentè revocatur in vitam; *Cracoviæ* apud Sororem *Woyslavvam* (quæ Poloniæ Duci nupſerat) puer educabatur; ibi malo caſu in *Viſtulam flumen* decidens, ab hora diei tertia uſquè ad occaſum in aquis ſinè omni damno delituit, aſpectabili DEI Matre, verticem ejus manu tenente, donec diu in undis quæſitus extraheretur; plura ejusmodi mira loco citato *Lectores* invenient.

M. S. de Origine Ordinis Præmonſtrat.

Religioſam amplectitur vitam.

Verba ſunt pervetuſti Codicis M. S.

Capitur ab æmulis, & necatur.

Miracula B. Hroznatæ.

Porrò *Hroznatam Beati* nomine, ùt ibidem oſtendi, omnis retro antiquitas honorat: vidimus ejusdem effigiem capite radiato ab ejus Inſtituti Patribus editam; de eo *Natale Sanctorum Ordinis Præmonſtratenſis* ad 14. Julij hæc habet; *In Bohemia Natalis Beati Hroznatæ ex nobiliſſimo Regni Primate*

Beati titul.

mate, Fundatoris Cœnobiorum Teplenſis, & Chotieſſovienſis, Canonici Ordinis Præmonſtratenſis; *qui pro tuendis Eccleſiæ ſuæ Juribus, contra impiorum conatus ad mortem uſquè agonizans, fame, ſiti, aliiſque teterrimi carceris exhauſtus injurijs, inter diuturna vincula, DEO dignam animam ſuam, Martyrij laureâ illuſtrem, exhalavit, varijs in vita, & poſt obitum nobilitatus miraculis.* hæc ibi. Meminêre Senes adhuc An. Ch. 1642. in *Eccleſia Teplenſi* in altari quodam *Effigiem Hroznatæ* cum *Beati & Martyris* titulo ſtetiſſe; unde intelligi datur, ejus cultum ab immemorabili tempore viguiſſe; quem ſubtractâ imagine aliquis nimium anxiè religioſus abolevit. Vitam mortalem *Beatus Hroznata* An. 1217. 14. Julij finivit. *Sezyma* verò Pater *B. Hroznatæ*, ùt in vetuſto *Codice Parthenonis Chotieſſovienſis* lego, 22. Januarij obijt (annus non additur) *Dobroslava* Mater *B. Hroznatæ.* Stirpe *Czerniniana* fuit; ſic enim in Manuſcripto Chotieſſovienſi, ſed anno non addito: *XI. Calendas Septembris* (id eſt 22. Aug:) ⊖ *D. Henricus Czernin de Chudenicz, Avunculus Fundatoris.* Avia Fundatoris Bohuslavva dicebatur, obiitque 3. Octobris; ſed incurioſa Antiquitas, & annum, & genus ejus conſignare omiſit. Adjiciam hoc loco *B. Hroznatæ* vitæ Elogium, quod rogatu Religioſi Patris F. *Joſephi Schmid* Ordinis Præmonſtratenſis *Teplæ* (cariſſimi quondam in Rhetoricis Diſcipuli) pridem confeci.

Mater ejus Czerninia.

Calen. M. S. Chotieſſovienſe. Mortuarium Doxanenſe M.S.

BEATO CONFESSORI, ET MARTYRI HROZNATÆ.

Vitæ Elogium.

HROZNATAM

Candidiſſimi Ordinis Præmonſtratenſi*s candidiſſimum*
& vèrè lacteum ſidus Bohemia *genuit*;
Ex ea ſtirpe prodijt,
Quæ cum Czecho *gentis authore in has oras adveniens,*
à mille, & pluribus annis Comitum *titulum tulit*;
Imò Ducibus, ac Regibus Bohemiæ *per Matres*
Sangvinem, & Lac *dedit*;
Ex hac gente S. Ludmilla *prodijt,*
cui ſuum Wenceslaum *debet Bohemia:*
At Beatus Hroznata *Illuſtriſſimam ſuam proſapiam*
Sic illuſtravit, ut obtenebraret;
Ultima enim illius laus eſt, quæ prima fuit:
Ex Illuſtriſſimis ortum eſſe.
Infans, cùm ederetur è Matris alvo,
mortuus *apparuit;*
Noluit vivere, niſi à MARIA,
Cui commendatus vitam accepit.
Ità illi MARIA *non tantùm* Mater, *ſed (quia ſola vitam dedit)*

Guttenſteinij ſemper Comites.

etiam

Digitized by Google

Etiam Pater *fuit:*
Ergo Hroznata MARIÆ creatura.
mira rerum facies!
Priùs Hroznata foris natus eſt, quàm foris viveret,
(Quia mortuus erat, antequam ex utero naſceretur)
Priùs occidit, quàm mundo oriretur,
Priùs *in eo edito mors vixit, quàm vita illuxit,*
Sed ab ea vitæ lumen accendit, à qua Chriſtus lux mundi;
verè itaque ſcriptum eſt:
Chriſtum eſſe MARIÆ filium primogenitum,
Ut plures à MARIA *filios numeraret Eccleſia.*
Creverunt cum Hroznata *creſcente miracula:*
Puer in Viſtula *flumine ſubmerſus*
Totâ die in alveo fluminis latuit,
Sed ejuſdem Divinæ Matris *Patrocinio,*
aut mortem evaſit, aut mortuus vitam accepit;
Bis vitam accepit, ter mortem ſenſit,
(ſi ſentiri Mors poteſt)
Primùm *in matris utero,*
Iterum *in fluminis alveo,*
Tandem in Martyrio,
Ità per tres mortes venit in cœlum,
Ut vitam abundantiùs *acciperet.*
Tot miraculis vitam auſpicatus Beatus Hroznata,
Ipſe etiam in virtutibus miraculum fuit:
Sedebat Przemyslao Bohemiæ Regi *proximus,*
Humilitate *infra omnes jacebat;*
In aula pijſſimus
Inter medias voluptates temperantiſſimus,
Denique omnes Beatitudines *humanas, & divinas in ſe uno complexus.*
Crucem Chriſti ſic amabat,
Ut non modò ferret eam in corde, *ſed etiam in* veſte.
Hieroſolymitanæ Peregrinationis incenſus amore,
Eò properans, ad Romæ ſacra limina *impegit,*
Et in melius mutato conſilio,
Candidiſſimi, *& à* DEO *ſibi* Præmonſtrati Ordinis
Sacram veſtem aſſumpſit,
ab ipſo Pontifice Cœleſtino Romæ *indutus;*
Nominis hujus auſpicio cœleſtem vitam *inchoavit.*
Opes ſuas omnes, duobus à ſe fundatis Cœnobijs,

(Teplenſi

Digitized by Google

(Teplenſi, & Chotieſſovienſi)
Cùm donâſſet pro Chriſto,
Poſtea ſeipſum Chriſto *in Religione donavit.*
Omnia dedit, qui nihil ſibi, quod Chriſto *donare poſſet, retinuit,*
Illud Divinum ſecutus: ſi vis perfectus eſſe.
Quantis (putamus) deinde virtutibus claruit,
Cujus primus gradus ſumma virtutum fuit?
Totus Charitas, totus Virtus, totus Sanctitas,
Ut ad Martyrium educari videretur,
Quod ei per viſum DEUS antè revelavit.
Ità amicos, & dilectos ſuos erudit, & educat DEUS:
Revelat conſilia, ſed cumulat dura,
Ut Chriſtus formetur in illis.
Captus tandem ab hoſtibus B. Hroznata,
Cùm grande lytrum peteretur,
Ipſe, nè quid pro ſe Fratres darent, petijt:
Nam mors *illi pro Chriſto* pretioſior, quàm vita *videbatur.*
Tormentis excruciatus duriſſimis,
Vitam priùs amiſit, quàm conſtantiam;
Cujus rei argumento poſt mortem candidiſſimè apparens,
Cœleſti luce circumfuſus,
Illæſum, & ſinè ullo vulnere corpus oſtendit:
Vivere ſe tertiò *in cœlo, multis in terra probavit miraculis.*

§. XXXVIII.

B. Woyslawa Vidua, Beati Hroznatæ Soror, cum tribus præterea Sororibus Sanctimonialibus Virginibus Ordinis Præmonſtratenſis, Beatrice, Bohuslawa, & Juditha.

An. 1227.

Beata *Woyſlavva* Soror natu major *Beati Hroznatæ*, eundem apud ſe *Cracoviæ*, Matris *Dobroſlavva* vice, ſanctiſſimè educavit, & ad omnem pietatem adoleſcentulum informavit; fuit enim *Ottoni Duci Cracovienſi* ante An. C. 1180. in Matrimonium data; Conjuge fatis erepto, diu ſuperſtes, eam longiſſimam vitam uſquè ad An. 1227. omnibus ijs virtutibus conſpicuam perduxit, quæ viduas, ac præcipuè *S. Ludmillam Viduam* (ex cujus ſtirpe Illuſtriſſima *Woyſlavva* nata fuit) commendabiles reddiderunt. Poſt An. C. 1190. cùm Frater ejus *Hroznata Teplenſe* Virorum Religioſorum Cœnobium, deinde Parthenonem ſacrum *Chotieſſovienſem* fundâſſet,

B. Woyslavva inter Converſas Præmonſt:

dâſſet, *Woyſlavva* ſanctioris vitæ ſtudio flagrans, cum Virginibus Chriſti ſponſis *vidua Chotieſſovij* ſeſe incluſit. Errat Vir Patriæ hiſtoriæ ſcientiſſimus, qui *Chotieſſovienſe Cænobium*, exemplo Fratris, ab ea fundatum eſſe ſcripſit: hanc enim ſententiam non modò vetera Cænobij monimenta, ſed etiam hiſtorici omnes, atque ipſe *Lapis Sepulchri* refellit, ubi apertè legimus: *Anno Domini: 1227. hîc ſepulta eſt Domina Domina Woyſlavva, illuſtris Comitu DD. Hroznatæ, Templi, & Monaſterij hujus Fundatoris Soror.* Adjecta ſunt Inſignia Stemmatis Guttenſteiniani. Non dubito tamen, auxiſſe eam fratris fundationem auro, cimelijs, & muliebribus divitijs *Woyſlavvam* ex Principali ſuo Conjugio; id enim perpetua Parthenones ſacros ingredientium conſvetudo perſvadet, *Woyſlavvæq;* Sanctitas, & *Memoriæ Doxanenſes* ſignificant, cùm eam *Fundatricem Eccleſiæ Chotieſſovienſis* appellant? ☉ 26. Novembris (at rectiùs *Chotieſſovienſes Memoriæ* 22. Novembr:) *Generoſa* Domina *W*oyſlavva *Generoſi Comitis DD. Hroznatæ, Teplenſis, & hujus Monaſterij Fundatoris Soror, quæ in medio Eccleſiæ eſt ſepulta* An. 1227. Porrò ab aliquibus *Svvoyſlava* nominata reperitur; cujus rei cauſſa ſcilicet eſt, ipſa *Woyſlavvæ* Sanctimonia; cùm enim in *vetuſtis Memorijs S.* id eſt, *Sancta*, vel *S. Woyſlavva* legeretur, quidam non animadverſo Sanctitatis titulo, conjunxêre literas, & pro *S. Woyſlavva Svvoyſlavvam* appellârunt. Ea verò tam de ſe humiliter ſentiebat, ut (licèt eſſet *Ducis Conjunx* olim, & *Fundatoris Soror*, atque ob divitias Cœnobio illatas *propè Fundatrix*) non inter Sanctimoniales, & Capitulares Virgines, ſed inter *Converſas*, ùt vocant, vitam exegerit, *Advocatæ* gerens, ſeu Patronæ officium *in habitu, quem Viduæ hujusmodi conſveverunt deferre*, ùt ait *Abbas Joannes*. Primæ Virgines ſacræ in hoc Chotieſſovienſe Cœnobium inductæ ſunt cum B. *Woyſlavva* Sorores ejus tres: B. *Bozena*, *ſeu* Beatrix, B. *Bohuſlavva* (quidam Boleſlavam appellant) & B. *Juditha*; *&* Beatrix quidem primùm *Doxanæ*, deinde etiam *Chotieſſovviæ*, ùt in Manuſcripto Martyrologio ejus Cœnobij nuper legi, *Prælatæ*, ſeu *Antiſtitæ*, ùt illæ vocant, munus geſſit. Jam priùs tres iſtæ Gratiæ Religioſam vitam agere cœperant in *Cænobio Doxanenſi* ſub *Agnete* III. Prioriſſa, ſed *Chotieſſovvium* invitatæ è Doxanenſi cum alijs Virginibus coloniam duxerunt, & ad Fratrem *Hroznatam*, ac Sororem *Woyſlavvam* volentes, lubentes advolârunt. *Woyſlavva* plurimis annis ſupervixit, ad *extremum* (verba recito Codicis) *in pace Chriſti quievit*; cujus corpus ibidem in medio Monaſterio eſt honorificè tumulatum. Poſt obitum B. *Hroznatæ*, miracula quædam, utì & viſionem, quâ Beato *Hroznatæ* mortem inſtantem revelavit DEUS, ipſa narravit. B. *Woyſlavvæ* mortis dies, ùt dixi, 22. Novembris, *Beatricis* 13. Novembris. *Judithæ* 25. Septemb. celebratur; B. B*ohuſlavvæ* natalis dies mortis ignoratur.

Fundationem Parthenonis auget

Mortuar: Doxan: M. S.

Calen. Chotieſſovienſ. M. S.

L. S.

Humilitas B. Woyſlavvæ.

In Vita B. Hroznatæ.

Tres Sorores B. Hroznatæ.

Obitus earum.

Calen. Chotieſſ. M. S. Epi: hiſtor; l. 3. c. 11.

Digitized by Google

§. XXXIX.

B. Andreas Epiſcopus Pragenſis, & Martyr.

A. 1224.

Peſſ: in Phoſporo Rad. 5. pag. 534:

Caput B. Andreæ venerationi publicè expoſitum.

Beneſſ. l. 4. Chron. Hagek ad An. 1369. Pont: in Epiſcopis Prag: Lup. 7. Jan: Epit. noſtr: l. 3. C. 13.

Andreas Regem excommunicat ob tributa Sacerdotibus impoſita.

Ejus exilium.

M. S. Lib. Diſtribut. Eccl. Prag.

B. Andreas Epiſ: Prag: pro Bohem: à S. Dominico impetrat Ordin: Prædicato:

Fovet Ord. Prædicato:

QVod Eccleſia Anglicana in *S. Thoma* Cantuarienſi miratur, & laudat, hoc habet *Eccleſia Pragenſis* in ſanctiſsimo & fortiſsimo ſuo *Præſule Andrea.* Audiatur Eccleſiæ Pragenſis Decanus, & Samandrienſis Epiſcopus *Thomas*: *Beatus Andreas ex Præpoſito Epiſcopus Pragenſis, acerrimus Eccleſiaſticæ libertatis adversùs Regem Przemyslum Ottogarum I. vindex; innocentiâ vitæ præſtans, victu frugaliſſimus, in pauperes beneficentiſſimus, miraculis in vita, & poſt mortem clarus. Defuncti caput in Metropolitana Eccleſia in Sacello S. Wenceslai eâ parte, quâ Crux aurea poſt ſummum Altare in muro viſitur, An. 1369. reconditum, adeóque publicæ venerationi expoſitum hodiéque manet.* hæc Peſſina. videatur *Beneſſius, Hagek, Pontanus, Lupacius.* Sed potiora ſunt, quæ ex hiſtoria temporum exſcribo: *Przemyslauus* Ottogarus *I.* Rex, cùm parum Religioni tribueret, & Sacerdotibus nullo jure per contemtum ex raſura coronæ tributa imponeret, *Andreas Epiſcopus*, monita pia aſpernantem, & contumacem Regem anathemate perculit; annis ſeptem *Bohemia* gemuit *ſub Interdicto* (etſi illud aliquo tempore ab *Archiepiſcopo Moguntino* laxatum, interruptúmque fuerit) ipſe *Andreas Epiſcopus* Romam ſeſe recepit. Obijt Andreas in Caſſanæa Italiæ urbe in exilio An. C. 1224. corpus in *Cœnobium Welehradenſe*, ad cujus fundationem plurimùm contulerat, devectum; *caput Pragam* allatum à *Nicolao* Pragenſi Epiſcopo, in Sacrario, velut Martyris, An. 1369. 1. Martij locatum eſt, claruítque miraculis; anniverſaria A*ndreæ* obitûs dies 30. Julij, Eccleſiæ Pragenſi erat in benedictione. A*brahamus Bzovius* Ord: Prædicatorum Vir prudentiæ & doctrinæ authoritate etiam apud ſummos Pontifices magnus, in M. S. Vita *B. Ceslai* narrat: *B. Andream Epiſcopum Pragenſem*, cùm in exilio *Romæ* degeret, *S. Dominico* Ord: Prædicatorum Fundatore familiariſſimè uſum, ejuſdémque virtutum & miraculorum admiratione captum à *Dominico* petijſſe: *dignaretur aliquos ſui inſtituti Sodales Septentrioni concedere, qui & gelu malitiæ* (ùt loquitur) *concretos inflammarent, & veterno dormientes ad veræ lucis aſpectum ſuſcitarent; nec habente Dominico, qui idioma gentis calleret, ecce divino ſpiritu acti viri ad cœleſtis vitæ perfectionem ſpirantes, Hiacynthus &* Ceslaus Odrowanſij *fratres, Henricus Moravus, & Hermannus Tevto familiares Iwonis* (Cracovienſis Epiſcopi) *in medium exilierunt, jugo Religionis longè ſvaviſſimo colla ornari à Dominico flagitantes; annuit Dominicus, ſuſcepit, Prædicatoriâque togâ texit in S. Sabinæ religioſiſſimo Cœnobio &c.* poſthæc (An. 1220.) *emenſo tirocinij curſu his verbis à S. Dominico Româ dimiſſus eſt Ceslaus: perge in DEI nomine annunciare pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.* Primùm de via *Friſacum*, dein *Pragam* cum *Henrico*

co

Digitized by Google

co Moravo advenêre, & impetratâ à B. *Andrea Epiſcopo* verbi DEI prædicandi poteſtate, cùm id munus cœleſte ingenti in animis profectu peragerent, non procul ab Regis aula in *Porzicz* ad ripam *Muldavæ Eccleſiam S. Clementis* obtinuêre; ubi *Przemyslaus Ottogarus Rex* ampliſſimum Cœnobium (quod poſtea ad aliam Eccleſiam S. Clementis *in Majore Praga* translatum eſt) exſtruxit. Sed hæc omnia ſuo tempore copioſiùs *in Cœnobijs Bohemiæ* tractabuntur. Itaque *B. Andreæ Epiſcopo* primus in Bohemiam ſanctiſſimi hujus Ordinis acceſſus debetur.

§. XL.

Adela, vel Abda Ottonis Divitis, Marchionis Miſnenſis filia, Conjux Przemyslai Ottogari I. Bohemiæ Regis.

P*Rzemyslaus Ottogarus* Bohemiæ Rex, primam Conjugem habuit A*delam*, vel A*bdam*, Ottonis Marchionis Miſnenſis filiam (non, ùt habet *Crantzius*, ſororem) ſed eam deinde, poſt quatuor ex ea liberos ſuſceptos, repudiavit; cauſſas divortij in *Epitome* noſtra allegatas, & examinatas invenies; plerique odio *Diterici*, fratris *Adelæ*, Marchionis Luſatiæ quòd partes *Philippi* Cæſaris adversùs *Ottonem* (cujus *Ottogarus* totus erat) *Ditericus* foveret divortium imputant. *Adela* fœdè à Rege deſerta, ad *Epiſcopum Pragenſem* recurrit, à cujus Satellitibus repulſa, *Innocentium III.* Pontificem appellavit, qui hujus cauſſæ cognitionem *Alberto II.* Archiepiſcopo Magdeburgenſi, & *Præpoſito Sebergenſi* commiſit, ùt teſtatur *Conſtitutio Decretalis* l. 2. Tit. de Teſtibus, & atteſtationibus 20. cap. 46. ventilata diu lis eſt, neque unquam ad ſententiam perducta, dum denique *Adela* in exilio diem obiret; magna hujus *Viduæ* in ferendis rebus tam adverſis, & fæmineo ingenio propè intolerabilibus, fortitudo fuiſſe narratur; totam ſe ad res cœleſtes cogitandas, amandas, & ſectandas *Adela* tranſtulit, cúmque *Ditericus* frater ex *Adelæ* dote Virgineum Cœnobium W*aſſerburgi* (quod poſtea locum mutavit ex urbe ad ripam *Albis* translatum) fundâſſet, introductis ſacris Virginibus, *Abdela* humili gradu contenta, inter C*onverſas*, omnium virtutum exemplis editis, diem clauſit extremum An. C. 1211. 1. Februarij. ſepulta in Eccleſia W*aſſerburgenſi*, marmore altè elato, ac cæteris cultûs indicijs, ùt D*ivorum* corpora humare Veteres ſunt ſoliti.

A. 1211.

Adelæ fortitudo in rebus adverſis ferendis.

Fabr. in Miſnicis l. 1. ad A. 1211.

Fundatio Cœnobij Waſſerburgenſis.

Digitized by Google

§. XLI.

B. Abdela, ſeu Adela, ſeu Abda, Filia Przemyslai Ottogari I. Bohemiæ Regis, Antiſtita Gerenrhodenſis.

poſt A. 1220. HUjus *Adelæ* filia cognominis Matri, ipſam Matrem vitæ Sanctimoniâ, & virtutum honore ſuperavit; *Fabricius* locuples teſtis (nam etiam *ſalus*, & veritas *ex inimicis* noſtris peti poteſt, & ſolet) eam inter *Divas* relatam, & in ſuo Cœnobio pro *Sancta* cultam fuiſſe teſtatur. Ingreſſa *Gerenrhodenſe Ordinis Ciſtercienſis* Cœnobium, innocentiam vitæ cum virtutibus, & mirâ Prudentiâ conjunxit, ut meritò & titulis omnibus, *Antiſtitæ* munus ei Sorores deferrent, quod illa ſanctiſſimè obiens, curis illis immortua, & ſuis eſt inſepulta virtutibus. Mortis annus, & dies ignoratur.

Fabric. in Orig. Sax.

Elogiũ vitæ

§. XLII.

S. Hedwigis Dux Sileſiæ.

A. 1243. HEdvvigis *Bertholdi Marchionis Meraniæ* (non *Moraviæ*) *Sanctæ Eliſabethæ* matertera, ex *Henrico Barbato* Poloniæ Principe filios tres, totidémque filias ſuſcepit. Ex quibus *Henricus* fortia pro religione Chriſtiana aggreſſus, dum caſtra DEI, & Religionem Chriſtianam contra *Tartaros* protegeret, occubuit. Filia *Gertrudis* Virgo permanſit. *Mater* in matrimonio omnem jejunij, feſtúmq; diem merito continentiæ celebrabat. Tandem etiam ipſa, marito conſentiente, in manu Epiſcopi vovit caſtitatem. Itaq; fructibus redditis matrimonij, ſoli DEO feriari incepit, & in ſuum, filiæque à turba ſæculari receſſum, exædificavit in *Sileſia* ampliſſimum *Trebnicenſe* Monaſterium. Eò præmiſsâ filiâ cum magno grege Virginum, mox ſubſecuta *Mater* inſiſtebat orationi diurnæ, ac nocturnæ, nudis ſemper pedibus incedens, quantumvis aſpera foret hyems, ac in jejunijs multis totos quadraginta annos perſeveravit. Die enim Dominicâ, tertiâ, & quintâ feriâ tantùm veſcebatur piſcibus, & lacticinijs; *Sabbato*, & feriâ ſecundâ, aridis leguminibus, quartâ autem, & ſextâ feriâ, ad panem ſolius aquæ potum adhibebat. Tredecim pauperes alebat, lavabat, & curabat ab ulceribus, captivos liberabat, ſubditos ab oppreſſione tutabatur, nunquam viſa irata; ſi tamen reprehenſio neceſſaria erat, hæc vox: *parcat tibi DEUS!* omnis erat ipſius objurgatio. Hanc tantam vitæ Sanctitatem DEUS ſignis admirandis, & dono prophetiæ illuſtravit: duabus enim Sanctimonialibus reſtituit viſum, & duos, qui laqueo vitam finierant, ad vitam coram multis revocavit. *Mariti* mortem, & temporis, ac omnium circumſtantiarum

S. Hedvigis virtutes.

Miracula.

ſeriem

Digitized by Google

ſeriem multò antè prædixit; cædem autem filij eo ipſo die, quo fiebat, quamvis remotiſſimè abeſſet, cognovit. Sui quoque obitûs diem præſentiens, priusquam morbo graviore corriperetur, ſacrâ unctione roborari voluit. Multâ deinde hilaritate ſalutans *Sanctos*, qui magno cum ſplendore ad morientis lectulum deſcenderant, ſpiritum DEO reddidit, die *S. Matthæi* horâ veſpertinâ, quâ eâdem jejunia ſua ſolo pane reficere ſolebat, Anno 1243. Dum autem *Clemens IV.* eam in Sanctorum numerum referret, cæca viſui eſt reſtituta. *Raderus* noſter in *Bavaria Sancta* refert ex ejus apud Surium vita: *S. Hedvigem* aliquando ad *Chriſti* de cruce pendentis effigiem preces fundentem, Imaginis dextrâ clavo ſolutâ, in bene precantis modũ cruce ſignatam fuiſſe; eandem ubicunque poſſet, ſacrificanti Sacerdoti adfuiſſe; hinc ille natus verſiculus: *Rader. in Bav. S. in Hedv. f. 147.*

In ſola Miſſa*, non eſt contenta* Duciſſa,
Quot ſuns Presbyteri, tot Miſſas optat haberi.

At, quod idem addit: fuiſſe eam *S. Benedicti* alumnam, defendi non poteſt, cùm conſtet, *Trebnicenſem Parthenonem* & hodie, & à primis initijs, *Ciſtercienſis Inſtituti* legibus parêre. De *Joachimi Curæi* ineptijs, qui *S. Hedvigem Lutheranam* facere voluit, diximus alio in loco. Obijt Matrona ſanctiſſima An. 1243. 15. Octobris, inter Sanctas relata An. 1267. Viterbij 26. Martij. *Obitus & Canonizatio. In Epit.*

§. XLIII.

Henricus II. cognomento Probus, Sileſiæ Dux, & B. Anna ejus Conjux Przemyslai Ottogari III. Bohemiæ Regis filia.

A. 1241.

HEnrici Ducis Sanctitatem, ipſum *Pij, & Probi* cognomen ab Antiquitate ei jure merito tributum oſtendit; locupletavit multis opibus & plurimis Privilegijs, atque immunitatibus ornavit *Cathedralem S. Joannis Eccleſiam Wratislaviæ;* conſulantur rerum *Sileſiticarum* Scriptores; *Mors ab Henrico* pro Chriſtiana Religione obita, majorem commendationem ſinè dubio meretur: Tartari An. C. 1241. ſubjugatâ *Poloniâ, Sileſiam* ingreſſi, aliquot centenis millibus armatorum; *Henricus* animi pleniſſimus Princeps, collecto quàm maximo potuit Chriſtianorum Exercitu non dubitavit occurrere. In campum proceſſuro exiliens ultro *Lapis* ex muro Eccleſiæ, indicium dedit cladis futuræ, prædixit eandem Chriſtianorum cladem *S. Hedvvigis* Mater, juſſit tamen ire filium, & in conſpectu univerſæ Chriſtianitatis pulchre mori pugnantem; ivit in certam mortem *Henricus* & pene ipſa fata vicit, ut jam dubia ſtaret *Tartarorum victoria*; ſed DEO aliter viſum. Cecidit igitur cum maxima Provinciarum noſtrarum, ac præcipuè *Henrici Sileſiæ Ducis magnanima fortitudo. Mors.*

Digitized by Google

cipuè *Sileſiæ* Nobilitate, & vitam probitate inſignem, non minore fortitudine concluſit, 9. Aprilis, anno, ùt dixeram 1241. *Anna Bohema* ejus conjux, nîl viri morte perterrita, cùm *Tartari Lignicium* ſibi tradi poſcerent, forti reſponſo Tartarorum belluinam rabiem avertit: genuiſſe ſe plures conjugi proles, quorum ſinguli Patri ſimiles, mori mallent, quàm indecorè vivere. Fuit *Anna* Matrona ſingularis pietatis, poſt mariti cædem annos 24. vidua exegit. Fundavit *Wratislaviæ Parthenonem S. Claræ*, ſuáſque in eo, & in Virginum dulci pietate reponebat delicias; *S. Jacobi Baſilicam*, quàm Maritus inchoârat, de ſuo perfecit, ac ponè *Conventum*, ùt vocant, *Minorum S. Franciſci*, ſuis etiam ſumtibus erexit, & dote ſtabilivit. Ejuſdem *Annæ* liberalitate fundata eſt *Hoſpitalis Domus Divi Mathiæ* pro *Crucigeris cum Rubea Stella*, agente primo Ordinis hujus Generali Magiſtro *Alberto de Sternberg*; quibus etiam *Anna* magnificam Baſilicam *S. Eliſabethæ*, Eleemoſynis celebratiſſimæ Divæ à ſe excitatam ſubjecit. Vitam *Anna* innocentiſsimè, & ſanctiſsimè actam An. D. 1265. 23. Junij. *Wratislaviæ* mors abrupit; tumulata eſt ibidem apud Virgines ſuas, ùt vocant *Clariſſanas*, cujus tumulum miraculis à DEO honoratum teſtantur Annales, qui eandem etiam *Sanctam* appellant.

Fundationes Annæ Bohemæ in Sileſia.

Annæ ſanctitas.

Curæus in Ann: Sileſ: Schikfuſ: An. Sil: Henel. in Breslogr: & Sileſiogr.

§. XLIV.

S. Agnes Ordinis S. Claræ, Virginitate, Sanctitate, & miraculis illuſtris.

S. Agnes Deo ſe totã conſecrat

AGnes *filia Przemyslai Ottogari I.* Bohemiæ Regis, & *Conſtantiæ* (Belæ III. Ungariæ Regis, filiæ ſororis *Andreæ* itidem *Regis Ungariæ* qui *S. Eliſabetham Thuringiæ Dominicam* procreavit; unde *Agnes* noſtra & *S. Eliſabeth* conſobrinæ fuerunt: illa ex ſorore hæc ex fratre) edita, nata eſt An. C. 1205. poſt *Wenceslaum Regem* fratrem; hæc *Friderici II.* Cæſaris conjugium recuſavit, & contemtâ Auguſtæ dignitate, fidem ſuam, honorem, caſtimoniam, & quidquid pretioſum inter regales delicias cogitare potuit, *Chriſto Sponſo Virginum* conſecravit. Cœnobium *Ordinis S. Claræ* (quod *S. Franciſci* dicitur) in veteri Urbe Pragenſi de ſuo, fratris tamen auxilijs uſa A. 1233. fundans, in eóque vitam Religioſam, & pauperem (nam ſolâ ſtipe piorum vivebant, nullâ ſtabili dote, ideóque *pauperes domicellæ* nomen habebant) profeſſa, detonsâ coram ſeptem Epiſcopis virgineâ cæſarie, cum ſeptem illuſtriſsimis ex gente *Bohema Virginibus*, ibidem exactis 48. annis ſepulta, multis in vita, & poſt mortem miraculis à DEO honorata. Fuit dilecta *S. Claræ Socia*, ejúſque tempore inter primas inſtitutum illud amplexa, quæ etiam & per ſe, & per fratrem effecerat, ut virgineum hoc conſilium *ex legibus S. Franciſci* vivendi, à Pontificibus approbaretur; *miſsitabant ſibi viciſ-*

ſim

Digitized by Google

ſim literulas, ait vetus Scriptor *Pulkava*, *Clara ad Agnetem*, *Agnes ad Claram*; vitâ exceſſit Agnes 1282. 6. Martij, ùt habet vetuſtiſsimum *Mortuarium Doxanenſe* (alij 2. Martij, alij 10. poſuerunt) quæ ut inter Divos Cœlites *Romæ* adlegeretur, & ſacris coleretur officijs, *Eliſabetham Caroli Cæſaris* matrem An. 1328. multum legimus laboràſſe; educata primùm fuerat *Agnes Doxanæ* inter Inſtituti Præmonſtratenſis Virgines, pòſt ad *Benedictinas Veſtales Trebnicium* translata eſt; illa tamen neutri Ordini ſe conſecravit, ſed DEI ipſius monitu *S. Claræ* exemplum reſpexit, & in Parthenone ſuo cum 100. Virginibus (quarum quinque à *S. Clara* ex Italia ſibi miſſas acceperat, cæteras ex prima *Bohemiæ* nobilitate lectiſsimas adſciverat) vixit eâ vitâ ſanctimoniâ, ut etiam mortuos excitaret ad vitam. Fundavit quoque cum fratre ſuo *Wenceslao I. Rege Hoſpitalem* pauperum domum *S. Spiritûs ad Pontem Pragenſem*, quam *Crucigeris cum rubea Stella* commiſit regendam. Sanctiſsimæ Virginis vitam admirabilem ex M. S. Codice antiquiſsimo primus evulgavit *Georgius Ferus S. J.* quam in Latinum à ſe converſam *Georgius Crugerius Joanni Bollando S. J.* transmiſit, legitúrque in *Martio* Typis edita inter Vitas Sanctorum. Agunt de ea plurimi, *Pontanus*, *Chanovvsky*, *Weleslavinus*, *Crugerius*; *S. Agnetis* corpus inter illas ab hæreſi turbas remotum ab oculis, poſtea mortuis, qui latebrarum conſcij erant, planè amiſſum eſt, ut hodie, ubi ſit, neſciatur; prædixit *Papauſſek Litomericenſis Præpoſitus*, Vir à Sanctitate, ante annos ducentos, & quod excurrit, celebris, pacem optatiſsimam *Bohemiæ* reſtituendam, cùm hujus *S. Virginis* corpus amiſſum invenietur. Noſtrâ memoriâ ſub Ferdinando III. cùm neſcio quid in illa, quam *S. Agnetis* vulgus appellat Eccleſia, exſtrueretur, repertum eſt Virgineum corpus cœleſti odore, qui omnes roſas & lilia ſuperaret, fragrans: ſuſpicio multorum fuit, *S. Agnetis* corpus eſſe: miſsi ab utraque poteſtate, qui rem arbitrarentur, cùm nihil certi conſtituere poſſent, rem in medio indeciſam reliquêre. Porrò plurima Divorum corpora bellis, aliíſque de cauſsis amitti contigit (nè Majores noſtri ſoli negligentes fuiſſe exiſtimentur) ùt *S. Simperti*, quod ſecundo inventum eſt; Vir Illuſtris M. *Velſerus Sanctæ Afræ* corpus omni diligentiâ ſe quæſiſſe, ſcribit, ſed nihil inveniſſe, neque eſſe ſpem in poſterum. Quid *S. Wolfgango* celebrius habuit *Ratisbona*, quem apud *Sanctum Emmeramum* annos quingentos ſeptuaginta ſeptem latuiſſe, tandem ætate ſuâ repertum, ſumma cum religione & publicâ celebritate translatum *Raderus* eſt author? plurima hujuſmodi Exempla, & *Inventiones Sacrorum Corporum*, in Hiſtorijs Eccleſiaſticis leguntur, præſertim apud *Bollandum*, ejúſque cœleſtis laboris ſocios *Henſchenium*, & *Papebrochium* Viros eruditiſsimos, & Eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſsimos.

Pulk. in hiſtor. Boh.

Divino monitu S. Claræ Ordinē ingreditur.

Chron. Aul. Reg. C. 20.

Fundatio S. Agnetis.

Weles. in Calend. ad 2. Martij.

Corpus S. Virginis fatale Bohemiæ.

Steng. Commen. de reb. Auguſt. P. 2. C. 61. & P. 1. C. 18.

Amiſſa Sanctorum corpora.

Rad. in Bavar. S. in S. Wolfgango.

§. XLV.

§. XLV.
B. Caſtulus, Præpoſitus Siloënſis, ſeu Zelivenſis Cœnobij, Ordinis Præmonſtratenſis.

Circa An. 1200.

BEatus *Caſtulus* in ipſis initijs *Cœnobij Siloënſis* vixit, egítque loci *Præpoſitum*, miraculis & in vita, & poſt mortem clariſsimus; fontem elicuit meſſoribus areſcentibus ſiti, qui hodiéque *B. Caſtuli fons* dicitur, mirè ad omne genus morbos ſalutarem; ad eam implorato ſimul B. *Caſtuli* auxilio certatim vulgus accurrit, & ſanitatem, & vitam reportat. Titulus Beati tribuitur *Caſtulo* ab omni retro antiquitate: conſule *Auberti Miræi Chronicon*, & quos citat *Georgius Crugerius*. 26. Martij obijſſe *B. Caſtulum* inter omnes conſtat, de Anno controvertitur; etſi nihil certi definire poſſimus, omnibus temporum adjunctis penſatis, ſatis probabiliter dici poteſt, inter An. 1170. & 1200. ad æterna præmia evolâſſe; plura, quæ moveri poſſent, de *Titulo Præpoſiti*, de *Siloë*, aliáque hujusmodi, diſſolvit loco citato *Crugerius* Vir patriæ hiſtoriæ ſcientiſsimus.

B. Caſtuli fons. *Crug. ad 26 Martij.*

§. XLVI.
Beatus Gerlacus Abbas Milovicenſis, Præmonſtratenſis Ordinis, vitæ ſanctimoniâ, ſpiritu prophetico, & miraculis in vita & poſt obitum clarus.

Hagek in Ann. Boh. ad A. 1239.

NOtus eſt Bohemiæ Scriptoribus *B. Gerlacus*, primus Abbas *Milovicenſis*; deducta porrò *Milovicium* Colonia eſt Religioſorum Virorum An. C. 1200. ex *Strahovienſi* Inclyto Cœnobio, Abbate *Adamo* deducente, & *Beatum Gerlacum* Fratribus præficiente. Rexit Cœnobium *Gerlacus* non tam imperijs, quàm exemplis, prophetiæ dono ante, & poſt mortem clarus, ac plurimis ſupra naturam prodigiosè patratis, ſic ut ſtatim à morte populi univerſi voce *Beati* titulo honoraretur. Cœnobio *Milovicenſi* A. 1420. die S. Georgij ab Huſsitis incenſo, nè ſacra *B. Gervici* ab impuris illis violarentur, priùs *Ssvvambergici Proceres Catholici* in Arcem *Zvikovv*, ſeu *Clingenberg* (olim *Templariorum*) munitiſsimam intulerunt, & in Sacello arcis reverenter depoſuerunt, additâ etiam Imagine, quæ cultum oſtenderet: viſebantur videlicet picti in pariete Cœleſtes Genij, *B. Gerlaci* oſſa cum arcula ſuſtinentes, infrà *Proceres Ssvambergici* genibus flexis *B. Gerlaci* apud DEUM gratiam implorantes, adſcriptis hiſce verbis Bohemicè: *S. Gerlace, Deum, & ejus Matrem deprecare pro nobis.* Obijt *Gerlacus An. Ch. 1227.* vitâ

7. Febr. Res B. Gerlaci. Canoniſmus ejus, & Reliquiæ.

Digitized by Google

vitâ ſanctiſſimè exactâ, Regiminis ſui Anno duodetrigeſimo, 7. Februarij. Hodie corpus *Viri Sancti* nuſquam apparet: *Ssvvambergicam* hanc ditionem ad *Roſenbergios* devolutam conſtat, ab his ad *Lobkovicios* ſacra lipſana pervenerunt; an deinde aliò, ignoramus. Utinam qui celant, & Theſauros Eccleſiæ hujusmodi plures aſſervant, aliquando Regni calamitoſiſſimi auxilio, & ſolatio, proferrent! Agunt de eo cum titulo *Beati*, *Chryſoſtomus Sterren* in Natalibus Sanctorum Ord. Præmonſtratenſis. *Joannes de Paige*. l. 2. Bibliothecæ Præmonſtratenſis.

Chanovs:in Veſt. Boh. Pia.

Bollan.T.2. Maij.die7. in Præter:

§. XLVII.

Sancta Eliſabetha Regina, Princeps Thuringiæ, Vidua.

A. 1231.

E*Liſabeth Andreæ Regis* Hungariæ filia, ab infantia DEUM timere cœpit, & creſcens ætate, crevit etiam devotione. Hæc poſtea *Ludovico Landtgravio Thuringiæ* in Conjugem copulata, etſi ea, quæ viri erant, curaret, non minùs tamen, quæ DEI ſunt, ſedula exequebatur. Nocturno tempore à latere Viri ſurgens, ferventer orabat, ſicque *dum eſſet vir in accubitu ſuo, nardus ejus dabat ſvavitatem odoris.* Et licèt exteriùs indueretur Regalibus, nè mariti oculos offenderet, interiùs tamen ſub cilicij tegmine ſponſum gerebat abſconditum. Pietatis officijs dedita, viduis, pupillis, ægrotis, carcerum incluſis ergaſtulis pro uniuscujusque neceſſitate ſubveniebat: cujusdam pauperis capitis langvore correpti, quaſi filij curam gerens, capillos manu propriâ totondit, caput in pomarij ſecreto lavit, ut oculos fugeret ancillarum. Cùm *Teuthoniam* gravis urgeret inedia, captatâ viri abſentiâ, domûs ſuæ frumenta egentibus erogavit. Sùmtibus proprijs nobile hoſpitale conſtruxit, & amplâ poſſeſſione dotavit. Pauperum, & ægrotorum receptam ibi multitudinem corporali viſitabat obſequio, affluenter eis neceſſaria ſubminiſtrans, pedes, & capita incredibili lavabat humanitate, & leproſorum ulcera, etiam aſpectu horribilia, capitis velo mundabat. Poſtquam autem à lege Viri ſoluta eſt, depoſitis gloriæ ſæcularis exuvijs, *Ordinem Pœnitentium Beati Franciſci* ingreſſa, vilis tunicæ decore veſtitur, ac divitiarum contemtâ jactantiâ, & generoſitate parentum, nobiliſſimis orta natalibus ſe mundo fecit ignobilem, ut nobilitaretur in cœlis, pro corona ſuſcipiens cinerem, & cilicium pro faſcia pectorali. Pallebant ora jejunijs, abſtinentiæ tenuitate confecta, & martyrem adhuc viventem caro præmortua teſtabatur. Demum propinquiorum deſtituta præſidio, caſtris, & poſſeſſionibus ſpoliatur, ſed miſerationis ſolitæ non oblita, *operata eſt conſilio manuum ſuarum*, de ſui laboris impendio nudos pauperum humeros veſtitura. Dum autem die quadam defixis in cœlum oculis contemplationi vacaret,

Ex Brev: Boh. antiq: ad 19. Nov:

Virtutes S. Eliſabethæ, præſertim amor pauperum.

ut quaſi de humanæ converſationis conſortio videretur abſtracta, DEI Filium, dulcem JESUM, ad ſe inclinatum, cœlis patentibus, vidit inter alia ſibi conſolationis lenimenta dicentem: *Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum.* Cui reſpondit: *Ità Domine, ut tu mecum eſſe digneris, ego à te nullatenus ſeparabor.* Cùm verò in his, ac pluribus alijs ſanctis operibus uſquè ad finem vitæ perſeveráſſet, domeſticis ſuis obitum prædicens, DEO ſpiritum reddidit A. C. 1231. 13. Kalendas Decembris. Corpus poſt ſanctiſsimæ animæ ſeparationem ſtatim cœpit pluribus, & maximis coruſcare miraculis, quibus auditis & certâ fide compertis, *Gregorius IX.* eam Sanctarum Collegio adnumeravit. Hæc ex pervetuſto *Officio Divino Eccleſiæ Pragenſis.* Sanctiſsimam Reginæ hujus vitam innumeri Scriptores evulgârunt, ſummam Exemplorum, & virtutum exquiſitiſsimâ diligentiâ publicavit *Raderus* noſter in *Bavaria Sancta*, quem obvium Authorem deſcribere operæ pretium non eſt. Illud agendum magìs, ut eam ad *Bohemiam* quadantenus pertinere doceamus: eſt autem facilis ratio, vel ex inſpectione prima Genealogicarum Tabularum tam apud *Ungaros*, quàm apud noſtros Scriptores: tot enim connubijs *Przemyslæa Bohemiæ Regum* ſtirps *Hungariæ* antiquis Regibus ſeſe inſeruit, ut longâ ſerie *per Matres, Bohemiæ Reges ab Hungaris, Hungari à Regibus* noſtris ritè deſcendant, quod in *Originibus Guttenſteinijs* Tabula A. ſatìs, ùt reor, à nobis eſt demonſtratum. Quod propiùs *Divam Eliſabeth* contingit: habuit hæc *Andream Regem* Patrem, *Belam IV. Regem* fratrem; *Andreæ ſoror*, *Belæ III.* filia *Conſtantia* dicta, *Przemyslao Ottogaro Regi Bohemiæ* nupſit; ex eo conjugio *Wenceslaus Rex*, *& Przemyslaus Moraviæ Marchio*, tum quatuor filiæ, omnes Sanctimoniâ, & innocentiâ vitæ illuſtres prodierunt: *S. Agnes* S. Claræ, *B. Abdela* Ciſtercienſe Inſtitutum amplexæ, *B. Anna* Henrici Probi Sileſiæ Ducis, *Borzislavva* Ulrici Carinthiæ Ducis Conjuges, ex quibus tres priores in præſenti opere ſuum obtinent locum; unde facilè perſpici poteſt *B. Eliſabethæ* cum ſtirpe Regum noſtrorum conſangvinitas, eáque tam propinqua, ut *ſororia* dici poſsit: quippe illa *ex Rege fratre*, iſtæ ex Regis (*Andreæ* videlicet) *Sorore* proceſſerunt; adde, quod *Bela IV. S. Eliſabethæ* frater filiam ſuam *Annam Wenceslao II.* ſi vera ſunt, quæ *Elias Reuſnerus* affirmat, elocârit; ſed hoc poſtremum quia mihi ſuſpectum, prætereo; certiora ſunt, quæ primùm adduxi: vidit, & agnovit hanc cognationem *Anna Henrici Probi Sileſiæ Ducis* conjux Sanctitate Matronali inſignis, quæ pulcerrimam Eccleſiam Wratislaviæ in *S. Eliſabethæ* honorem conſtruxit, & *Crucigeris cum rubea ſtella ad D. Mathiam* ſubjecit. Eam *Eccleſiam primam* in orbe toto *ſub titulo S. Eliſabethæ* conditam, probabilis eſt ſuſpicio: quippe Anno Chriſti 1231. ad cœlum abijt *Eliſabeth*, *Anna* verò An. 1265. inter quod tempus neceſſe eſt Eccleſiam illam ſurrexiſſe. Sed alias duas Eccleſias *B. Eliſabethæ nomine* habet *Praga*: alteram ſub *Wiſſehra-*

Viſio cœleſtis amabiliſſima.

Bullar. T. 1. in Greg. IX. Conſt. XI.

S. Eliſabeth cum Bohemia, & Regibus connexio.

Reuſ. in Op: Baſilico in Geneal. Regum Unga:

ſebrado ab Joanne Ocello *Archiepiſcopo* cum hoſpitali domo (in qua peregrini recipiebantur ad SS. Reliquias Pragæ honorandas advenientes) exſtructam, & dotatam; alteram ſupra *Hradczanum in Monte Sion*, ſeu *Strahov*, quam unà cum Hoſpitali domo alendis duodenis pauperibus, *Caſpar Queſtenbergius* Abbas Strahovienſis noſtrâ memoriâ excitavit.

§. XLVIII.
S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorum.

HYacinthus Polonus, nobilibus, & Chriſtianis Parentibus in Camienſi villa *Epiſcopatus Wratislavienſis* natus eſt. A pueritia literis inſtructus, poſt datam Juriſprudentiæ, & ſacris litteris operam, inter *Canonicos Cracovienſes* adſcîtus, inſigni morum pietate, & ſummâ eruditione cæteros antecelluit. *Romæ* in Prædicatorum Ordinem ab ipſo Inſtitutore *Sancto Dominico* adſcriptus, perfectam vivendi rationem, quam ab ipſo didicerat, uſquè ad finem vitæ ſanctiſſimè retinuit. Virginitatem perpetuò coluit: modeſtiam, patientiam, humilitatem, abſtinentiam, cæteráſque virtutes, ùt certum religioſæ vitæ patrimonium, adamavit. Charitate in DEUM fervens, integras ſæpe noctes fundendis precibus, caſtigandóque corpori inſumens, nullum eidem levamentum, niſi lapidi innixus, ſive humi cubans, adhibebat. Remiſſus in patriam, *Friſaci* primùm in itinere ampliſſimum ſui Ordinis monaſterium, mox *Cracoviæ* alterum erexit. Inde per alias *Poloniæ Regni* provincias, alijs quatuor exædificatis, incredibile dictu eſt, quantum verbi DEI prædicatione, & vitæ innocentiâ apud omnes profecerit. Nullum diem prætermiſit, quo non præclara aliqua fidei, pietatis, atque innocentiæ argumenta præſtiterit. *Sanctiſſimi Viri* ſtudium erga proximorum ſalutem maximis DEUS miraculis illuſtravit; inter quæ illud inſigne, quod *Vandalum* fluvium prope *Viſogradum* aquis redundantem, nullo navigio uſus trajecit, ſocijs quoque expanſo ſuper undas pallio traductis. Admirabili vitæ genere ad quadraginta propè annos poſt profeſſionem perducto, mortis die ſuis fratribus prænuntiato, ipſo *Aſſumptæ Virginis feſto*, horis Canonicis perſolutis, Sacramentis Eccleſiaſticis ſumma cum veneratione perceptis, ijs verbis: *In manus tuas Domine, ſpiritum* DEO reddidit, Anno ſalutis 1257. quem miraculis, etiam poſt obitum illuſtrem, *Clemens Papa VIII.* in ſanctorum numerum retulit. Hæc, quæ attulimus ex *Officio Divino*, ſummâ Eccleſiæ authoritate nituntur; ſpecialia quædam, & longè majora attulit *Abrahamus Bzovius in S. Hyacinthi vita*, quam in Italia titulo *Thaumaturgi Poloni* vulgavit. Admirabile illud, & paucis, ùt arbitror, notum, ſpiritu Divino incitante, munijs omnibus Ordinis ſui valedicto, ad barbarâs nationes abijſſe, & *Regem* quendam *Tartarorum* cum populo adjun-

An. 1257.

Ex Breviar. Rom. ad 16. Auguſt.

S. Hyacinthi res geſtę

An. 1606.

S. Hyacinthus Vir Apoſtolicus.

xiſſe Chriſto, tum *Ruſſis*, *Halicienſibus*, *Livonibus*, *Walachis*, *Muldavis* fæliciſſimè Chriſti Evangelium prædicâſſe, imò adeò in *Græciam*, & in *Peloponneſum* penetrâſſe; quæ, ſi vera ſunt, ut dubitare fas non eſt, profectò jure meritiſſimo *Apoſtoli nomen Hyacinthus* meruerit; miracula, quæ deſcribit B*Z*ovius, infiniti foret operis recenſere. Etſi autem *Regno Poloniæ Hyacinthum* eripere non poſſumus, tamen multis de cauſſis eum inter Regni noſtti *Indigetes*, ac *Divos* numeramus, ſperamúſque *fraternam Polonorum Gentem* non indignè, pro ſuo in *Hyacinthi* gloriam ſtudio, laturam, ſi eum ab illa aliquatenus participemus. Natus eſt in *Sileſia*, in *Diœceſi Wratislavienſi*, in *Oppolienſi Ducatu*, qui perinde, ùt olim *Poloniam*, ità nunc *Bohemiæ Regnum* reſpicit, eodémque jure *Coronæ Bohemiæ* ſubjectus eſt. Patrem habuit *Euſtachium Comitem de domo Odrovvanskia*, quæ *Sagittam veterem* gerebat in Clypeo; eadem *Illuſtriſſima* Stirps, non modò per *Poloniam*, ſed etiam per *Bohemiam*, *& Moraviam* diffuſa, hodiéque in *Sileſia in Kravvarzijs*, *& Sedlnic**Z**kijs*, *Laſſotis*, aliíſque perſeverat. Invocandus magìs eſt votis, & precibus *Hyacinthus*, ut *Sileſiæ Patriæ ſuæ* hæreſi corruptæ, & lethaliter ægrotanti ſubveniat, impetrétque lumen fidei, ad totius *Regni Bohemiæ*, & Regum noſtrorum ſecuritatem, & Pacem!

Quomodo S. Hyacinthus in Bohemiam pertineat.

T. II. Febr. ad 12. in S. Alexio Kiovienſi, in Vitis SS.

NOTA.

S. Hyacinthum Kiiovvia in Ruſſia Cœnobium ſui Ordinis erexiſſe circa Annũ C. 1226. & pluribus Annis Kiioviæ habitaſſe author eſt *Henſchenius*, quæ ad XVI. Auguſti probaturum ſe promittit.

§. XLIX.

B. Ceslaus S. Hyacinthi germanus frater, ejuſdem Prædicatorij Ordinis.

Ceslai genus.

An. 1243. Bzovius in Vita S. Hiacynthi. C. 8. & in Propagine ejusdẽ. C. 1. & 4. & in M.S. tractatu de Vita B. Ceslai.

Ordo religioſus.

BEatum *Ceslaum* eodem quo *Hyacinthus* genere, & natione apud *Sileſios* Anno 1180. editum, meritò, multíſque titulis ad *Nos* etiam pertinere conſtat. Innocentiſſimè, & procul vitijs omnibus adoleſcentiâ decurſâ, *Theologiam*, *Canonicum Jus Lutetiæ & Bononiæ* didicit, in utraque ſcientia lauream conſecutus; pòſt in Patriam reverſus *Ivone Cracovienſi Præſule* connitente, in *Canonicorum* ejusdem Eccleſiæ numerum adlectus eſt, adjectâ etiam *Prælaturâ* (ùt vocant) *Cuſtodiæ Sandomirienſis*. An. Ch. 1219. Patruum in negotijs Eccleſiæ ſuæ *Romam* proficiſcentem ſecutus, cum *Hiacyntho* fratre, in *S. Dominici Patriarchæ* familiaritatem intravit, & cùm ab eo *Neapolionem* quendam *Stephani Cardinalis nepotem* coram ſe à mortuis excitari orationibus ad DEUM fuſis vidiſſet, commotus intimè, in ipſum *ſacrum Ordinem* admitti precibus impetravit. Virtutibus omnibus excultus, à *S. Dominico* in Patriam cum fratre remiſſus eſt anno ſequenti; compoſitis rebus

rebus omnibus in *Polonia*, *&* *Cœnobio Cracovienſi* excitato, in *Bohemiam* A. 1222. cum *Beato Henrico Moravo*, aliíſque ſocijs acceſſit. Sunt tamen, qui *Beatum Ceslaum* cùm *Româ* in *Poloniam* rediret, *Pragam* tranſijſſe, & aliquod *Cœnobio Pragenſi* jam tum datum initium, ſuſpicentur; utut ſit, *Pragam Ceslaus* advenit. *Przemyslaus* Ottogarus I. regnabat eo tempore, qui *Sancti Viri* cœleſtibus moribus, & vitæ innocentiâ captus, primùm ante *Pragam majorem in Porzicz* vico, *Eccleſiam S. Clementis*, deinde alteram ad pontem Pragenſem in ipſa Urbe Majore Eccleſiam itidem *S. Clementis*, jam antè non ignobilem, areámque ampliſſimam pro Cœnobio excitando liberaliſſimè donavit. Hoc à *Bzovio* appellatur *Seminarium Cœnobiorum ejusdem Ordinis per Bohemiam, Saxoniam, Moraviam, & vicinas latè Regiones.* primus Cœnobij hujus Clementini Prior *F. Hieronymus* nominatur. Redijt deinde *Wratislaviam Ceslaus*, *& Laurentio Epiſcopo Wratislavienſi Eccleſiam Sancti Adalberti* offerente, & Cœnobium erigente, An. 1223. primus eum Conventum rexit *Prioris* nomine *Ceslaus*. Vita ejus univerſa conſtabat virtutibus, humilitate, & animi demiſſione, pietate in DEUM, charitate in proximum, vigilantiâ, orandi, ſéque, ſuáſque omnes cupiditates vincendi ſtudio ardeſcebat. Miracula plurima ab eo patrata teſtatur *Bzovius*, intérque ea quatuor mortuos revocatos ad vitam. Trajecit & ipſe ſinè navigio flumina, ſacris veſtibus ſibi ſuppoſitis; arcanis, futuríſque noſcendis ſæpiſſimè *Ceslaum* admovit Divinitas. cùm *Tartari Wratislaviam* obſiderent An. 1241. ſinè dubio occupaturi, *Ceslaus* ad preces converſus, & urbi perituræ illacrymans, è Cœlo ſuppetias deduxit: columna ignea ſtativis hoſtium imminens, ità barbaros perculit, ut panico metu correpti, obſidionem deſererent; alij globum igneum ſuper orantis *Ceslai* caput vidiſſe *Tartaros*, alij etiam fulminibus è cœlo verberatos affirmant. Obijt vitâ, & morte Sanctorum *Ceslaus* An. 1242. poſtquam nuper An. 1235. *Provinciam* ſui Ordinis gubernâſſet, in Cœnobio ſuo *S. Adalberti* tumulatus. *Wratislaviâ igne deflagrante*, ait *Bzovius*, *An. 1570. ſuper aëra conſpicuum ſe oſtendit Ceslaus, ab incendio protegens ſuæ requiei Depoſitorium, videlicet S. Adalberti Monaſterium.* Vide plura apud eundem Scriptorem. At in *Vita B. Ceslai* M.S. (quam ſervo) plura alia commemorat miracula, ijs ſæpe nominatis, in quibus ea ad *Sepulchrum Ceslai* patravit Divinitas: à malo dæmone obſidente liberatorum; morientium ad valetudinem, quin adeò mortuorum ad vitam redeuntium; ſæpe ad ſacrum ejus tumulum temere collectum pulverem ad capitis dolores valuiſſe, & alia extrema vitæ pericula propulſaſſe; *Wratislavienſem S. Catharinæ* Parthenonem *An. 1581.* à flammis Urbem longè latéque depaſcentibus incolumem ſervaſſe; cuidámq; Virgini ex eodem Cœnobio, non diu poſt ſuam mortẽ, de ejus cœleſti gloria nonnihil dubitanti *Apoſtolorum choro* ſeptum apparuiſſe cum dicto: *Apoſtolico choro aſſociatus, ac fæliciter*

Ceslaus Or: Prædicatorum in Boh: primus inducit.

Miracula B. Ceslai.

In vita M. S. B. Ceslai. Cromer. in hiſt. Polon. Ann. Monaſt: Wratislav. M. S.

Obitus.

Veneratio B. Viri.

ter glorificatus ſum! his adjecit *Bzovius* non de trivio Scriptor, rituum Eccleſiæ, ſi quiſquam alius, callentiſſimus: *ob innumera miracula* Ceslai *corpus An. 1330. humo ignobili erutum, de ſubaltare ſub ejus invocatione excitatum illatum, ſumma in veneratione populorum fuiſſe.*

§. L.

B. Henricus Moravus, & B. Hermannus Teuto, uterq; S. Hyacinthi ſocij, qui Cœnobia Sileſiæ vivendo, & moriendo conſecrârunt.

Bzovv. in Propagine D. Hyacin: C. 5.

CEslaum, *Henricum, & Hermannum* totâ hiſtoriâ ſuâ, tum etiam in vita *S. Hyacinthi*, nunquam aliter, quàm *Beatos*, peritiſſimus Romanarum rerum, ac Rituum *Bzovius* appellat. *Henricus* Wratiſlaviæ diem clauſit extremum; eundem apud *Moravos* ortum, eorum temporum in cognominibus uſitata conſvetudo demonſtrat, licèt eum *Humbertus* in Chronico ob Poloniæ Provinciam, in qua vivebat, *Polonum* cognominârit. Vir fuit Apoſtolicus, & prorſus *Hyacintho & Ceslao* Sanctis Fratribus conformis, ſimili in DEUM, & proximum charitate. Sacramentis ritè omnibus munitus, & mortem operiens, arrepto crucis ſigno, *S. Andreæ* verba iterabat: O *bona crux! ſecurus, & gaudens venio ad te*, & quæ ſequuntur. Tum veniente ad ſe cum *Apoſtolis Chriſto*, commendare mortem ſuam cœpit, dulciter ridens, vultu toto, ac manibus plaudens in crucis amplexu; nec defuêre dæmonum terribiles viſu formæ, in quos dum verba illa: C*redo in DEUM* Pa*trem, & Filium, & Spiritum Sanctum* elatâ voce contorquet, exſpiravit *Wratislaviæ*; quod Cœnobium alijs multis rebus, ſed potiſſimùm B. *Ceslai*, B. *Henrici, &* B. *Joannis* Inquiſitoris ſacris corporibus illuſtratur.

Geſta B. Henrici Moravi.

A. 1245.

Beatus Hermannus Teuto, multis in *Germania* Cœnobijs excitatis, *Oppolij An. 1245.* deceſſit è vita; admiranda de eo habent Sacri hujus *Prædicatorum Ordinis Annales*. Paſſioni, & morti *Chriſti* meditandæ diebus, & noctibus incumbebat, illum verſiculum iterabat ſæpiſſime: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi &c.* Admovit eum aliquando vulneribus ſuis Chriſtus apparens, & pretioſiſſimas anhelanti ſui ſangvinis guttas inſtillavit; nec *Virgo* Beati*ſſima ab Hermanno* orata defuit, ſed aſpectabilis lingvam balbam correxit, & eloquentiâ, lingvarum dono, prudentiâ, & conſilijs, ſcientiâ ſacrarum literarum, & Theologiâ infuſâ, cœlitus inſtruxit, ut inter diſertiſſimos, & acutiſsimos haberetur, cùm ante id, rudis, ſegnis, & præter Orationem, parum ad alia idoneus cenſeretur. Morienti *Crux* aureis radijs pellucida ſuper *Eccleſiam Oppolienſem* Sole lucente apparens, Sanctitati, & prædicationi, & ab eo in corpore ſuo portatæ cruci teſtimonium ampliſsimum dedit.

Bzov. l. c.

geſta B. Hermanni Ord: Præd.

Humbertus in Chron. Fernan: Caſtill. 1. P. l. 2. C. 22.

Familiaritas cũ Chriſto D. & ejꝰ SS. Matre.

Hæc

Hæc de B. *Henrico*, *&* *B. Hermanno*, ut in *Bzovio* legeram, ſcripſi, cùm ecce in quibusdam pereruditi è Societate Noſtra Viri chartulis ad 20. Februarij annotatum reperio: *B. Henricum Moravum* Pragæ ad S. Clementem, deinde *Budvicij in Bohemia* (primi utrobique) *Prioris* munus in Cœnobijs ſui Ordinis geſſiſſe, ac *Budvicij* in honoratiore Tumulo compoſitum jacêre. Non parum ea res me perculit; an ſatis credibile eſt *Bzovium* hæc ignoraſſe, qui ejus obitum ſanctiſſimũ cum tot adjunctis rerum & verborum narraverit? adde: quòd *primus Clementini Cœnobij Prior F. Hieronymus à Bzovio*, non *Henricus* appelletur; exiſtimo *B. Henricum Wratislavviæ* tumulatum, longè à primo *Budvvicenſis Cœnobij Priore* diverſum eſſe, utrumque tamen virtutis excelſæ Virum, & famâ ſanctitatis conſpicuum, ídque Chronologia & temporum ratio firmat. Vidi tamen, & oſculo ſemel atque iterum honoravi ſaxeum *primi Budvvicenſis Prioris* Tumulum in Eccleſia ejus Ordinis, altè ab humo eductum, & Muro Eccleſiæ inſertum: expreſſus eſt ſaxo in Ordinis ſui habitu, quem percontando, *Priorem* fuiſſe, & primum Cœnobio didici præfuiſſe, Sanctimoniæ exemplis clarum, ideóque Tumulo diviſum à cæteris. Optabile foret, ſi iſta nobis ignota ab ijs quorum intereſt, commendarentur memoriæ! nam etiam hujus Budvvicenſis ipſum nomen ignoratur. Porrò Cœnobij hujus origo, Anno 1265. antiquior non eſt, ut *Weleslavvinus* oſtendit; adeóque ad illam ætatem *B. Henricum Moravum* vivendo perveniſſe veriſimiliter dici non poteſt.

De B. Henrico Moravo controverſia.

Tumulus ſaxeus Budvicenſis.

Weleſl. in Calen. hiſt. fol. 187.

§. LI.

Beatus Bertholdus è S. Franciſci diſciplina, Apoſtolicè per Bohemiam, ac potiſſimùm Glacij concionatur.

NAtale, & fatale ſolum habuit *Bertholdus Ratisbonam*, germaniſſimus *S. Franciſci Alumnus*, magiſtro virtutis uſus viro pari religione *B. Davide*, quem ab Urbe vocabant *de Auguſta*, cujus religioſiſſima ſcripta nuper *Auguſtæ* prodierunt, huic *Bertoldo* ſummæ tum ſpei ſurculo olim dedicata; quæ ſanè ſpes *Davidem* non fefellit, cùm adeò progreſſus eſt in cœleſti philoſophandi diſciplina, ut doctorem ſuum ſuperâſſe videatur. Tantum potuit in dicendo Chriſtianâ eloquentiâ, ut veluti philtro quodam traheret auditores, quorum interdum cenſa ſunt ſexaginta millia, interdum centum millia. Sic enim *Andreas Presbyter* in Deſcript: Monaſteriorum Bavariæ: *Anno Domini 1251. Frater Bertholdus, natione Ratisponenſis, Ordinis Fratrum Minorum prædicare cœpit. ad cujus prædicationem dicuntur aliquando centum millia hominum confluxiſſe. Hic ſepultus eſt Ratiſponæ ad Fratres minores, hoc habens Epitaphium*:

An: 1272.

Ex Radero in Bav. S.

Bertholdi cœleſtis Eloquentia.

1272.

1272. 19. CAL. JANUAR:
OBIIT FRATER BERTHOLDUS. MAGNUS PRÆDICATOR.
HIC SEPULTUS. LUCIÆ VIRGINIS.

Laudatur idem in libro *Conform. vitæ S. Franciſci* ad vitam *JESU Chriſti*, & narratur miracula patrâſſe, intérque *Beatos à Gonzaga* numeratur. Inſectabatur pro Cathedra, cùm ad populum diceret, vitium acri, & vehementi oratione, de quo ſibi clàm conſcia fæmina quædam territa, & exanimata metu, in media populi concione mortua ſubitò concidit: tantus dolor ſimul pœnitentem oppreſſerat. Sed cùm admonitu *Bertholdi*, omnes in genua fuſi, pro ſalute miſeræ deprecarentur, revixit, cauſámque mortis palàm expoſuit: juſſam ſe in vitam redire, ut peccatum, quod exanimârat infelicem confeſſione dilueret. Adjecítque inter alia, quæ coram ad tribunal ſupremi Dictatoris mundi citata ſpectârat, hoc tremendum ſanè, & narratu horrificum, nè dicam ſpectatu: Adducta ſimul eodem puncto temporis ſexaginta animarum millia, quæ in omni orbe varijs caſibus ex corporibus & vitâ ejectæ deceſſerant, tréſque ex omnibus illis millibus ad piaculares purgatorij ignis flammas deſtinatas, reliquas omnes præcipites abijſſe ad ſempiterna inferorum ſupplicia, & tormenta, unum è cœtu *S. Franciſci* tranſijſſe per loca purgatoria, ſecúmque duos ex olim familiaribus ad cœlum, intactum ipſum, deduxiſſe. In M. S. Conventûs Monacenſis hæc de eodem *Bertholdo* cognoſco: *His temporibus Frater* Bertholdus *de Ratiſpona Ordinis noſtri eximius prædicator, exequens injunctum ſibi prædicationis officium tantum profecit univerſitati tam populi, quàm cleri, ùt omnium in cordibus, & auribus fuerit admirandus.* In eiſdem chartis An. 1271. & 72. hæc de eodem traduntur: *In Feſto S. Luciæ Virginis obijt etiam fæliciter ipſe Frater* Bertholdus *de Ratiſpona, Prædicator magnus in diverſis Provincijs, videlicet Thuringiâ, in* Bohemia, *ubi habuit Interpretem Fratrem Petrum cognomento* Oderincium, *ſepultum in Glaz, & ibidem prædicavit Frater* Bertholdus *in campo ſub tiliâ, quæ uſque hodie dicitur* Bertholdi, *quam ego oculis meis vidi prope Glaz. Hujus prædicatoris verba utilia, & magnifica facta, ùt alterius Heliæ, peccatores convertentia ad Dominum fuerunt; nam multos Ungaros convertit, cùm infideles Cumani multos ſeduxiſſent. Verbum ejus, quaſi facula ardebat. Poſuit enim Deus os ejus, quaſi gladium acutum. Super caput ipſius in Thuringia à fide dignis religioſis utriusque ſexûs, cùm ſecundùm morem faceret, plures coronæ fulgidæ videbantur. Hîc ſepultus jacet in Eccleſia Fratrum Minorum Ratiſponæ, juxta murum versùs ambitum, & pluribus miraculis à die tranſitûs ſui claruit, ſicut latiùs continetur in majori Chronicâ.* Hęc chartæ Monacenſes.

Miraculum mulieris reſuſcitatæ à B. Berthol:

B. Bertold per interpretem in Boh. prædicat Verbũ DEI.

Digitized by Google

§. LII.
Beata Margareta Wladiſlai II. Bohemiæ Regis, & Gertrudis Auſtriacæ filia; tertia in Doxanenſi Cœnobio Prioriſſa.

DE hac *Margareta*, quæ ſe DEO in Doxanenſi à Matre ſua fundato Parthenone conſecravit, nihil prorſus habet Genealogia Regum noſtrorum à diverſis Scriptoribus vulgata; ſed jam ſæpe monui: *Przemyslææ* gentis Tabulas non eſſe abſolutas, & plurima in ijs nomina deſiderari. Fidiſsimæ memoriæ *Doxanenſes*, de *Margaretæ* hujus nomine (quod rariſsimum eſt) adjecto *Beatæ* titulo, meminerunt: *Beatæ memoriæ Margareta, tertia hujus loci Prælata, filia Fundatorum 13. Julij* (annus non adjicitur) *obijt. Præfuerat Cœnobio piè, & in ſuo ingreſſu donavit Cœnobio 80. marcas argenti.* Hucuſque manuſcriptum.

Titulus Beatæ.

§. LIII.
Beata Zdislawa Berkiana, Ordinis Prædicatorum.

PRocerum *Berkarum* vetuſtiſsima, & Illuſtriſsima ſtirps multos inſignes Sanctimoniâ, cæteríſque dotibus viros, ac matronas protulit; inter has non poſtrema *Beata Zdislavva*, quæ de Mariti conſenſu ſacrum Parthenonem *Jablonnæ* ingreſſa, vitam exegit ſanctiſsimam, atque ùt animi demiſsione eminebat, *Converſarum* infimo in gradu ſtetit uſquè ad mortem. Egêre de hac *Beata* Matrona *Pontanus*, *Chanovvsky*, *Crugerius*. Sacrum *Beatæ Zdislavvæ corpus Jablonnæ* in Eccleſia Fratrum Prædicatorum (ad quam olim Cœnobium Virgineum ſteterat) quieſcit; innumera in antiquitate patrata miracula circa *Zdislavvæ Tumulum* picta viſuntur, quæ antequam obliterentur tempore, ex uſu foret deſcribere, & poſtea piorum beneficio novis coloribus excitare. Adoravi oſculo hujus *Beatæ Tumulum* non ante multos annos, & ſingulari perfuſum me pietatis dulcedine perſenſi. Manuſcripti Codices, in quos bonâ fortunâ his jam ſcriptis, nuper incidi, referunt: B. *Zdislavvam* ſeptennem puellulam, DEO vocante, in ſolitudinem quandam procul à ſuis fugiſſe, vitam egiſſe aſperrimam, & innocentiam ſuam cilicijs, jejunijs, cubatu duriſsimo, miſeríſque alijs modis vexaſſe, tam pertinaciter ſaxa & rupes geniculis orantem preſsiſſe, ut ſæpiſsime ſaxa cruentaret. Nihilominus jam adultiorem *Parentûm* imperijs (à quibus poſt *DEUM* ac *Cœlites* unicè pendebat) adactam nupſiſſe; *Marito* immiti, tamen audientem dicto fuiſſe ſemper; *Matris pauperum* nomen ex merito con-

Ord. Prædicatorum ingreditur.

Pontan. in Bohem. Pia Chanovs: in Veſtig. Boh. Pia.

Septennis fugit in eremum.

Mater pauperum.

Digitized by Google

conſecutam, conſarcinandis aut de novo parandis, & conſuendis induſijs earum ac tunicis continenter occupatam, earum pedes abluiſſe, ulcera oſculando & lambendo (quòd in tam tenella *Matrona* permirum!) ſæpius miraculo perſanaſſe; tandem *Marito*, quem delicatiſsimis precibus flexerat, & ſibi devinxerat, lubente, *Ordinem Prædicatorum S. Dominici* inſtituto viventium Virginum ingreſſam, omnes alias Virtutibus cæteris, ſed obedientiâ præcipuè, & humilitate obſequiorum ſuperâſſe, *Cænobium Virgineum* ex dote ædificaſſe, lapides ad ædificationem manibus proprijs aut tuliſſe, aut advolviſſe, ancillarum munia omnia ſuſtinuiſſe. Tandem de mortis inſtantis tempore divinitus admonitam, *Jablonnenſem Eccleſiam* ad tumulum ſibi elegiſſe, & poſt mortem plurimis claruiſſe miraculis. *Maritum* ſuperſtitem mœrentem, & fortè de priore ſua adverſus mitiſsimam & innocentiſsimam Conjugem duritia ſeſe angentem, aſpectabili ſpecie conſolatam eſſe, & *purpuram cæleſtem*, quam pro meritis mortalis vitæ à *cæleſti Sponſo* accepiſſet, oſtendiſſe, ac juſsiſſe nè mœreret; inſuper ad omnium injuriarum oblivionem indicandam, fruſtulum quoddam *cæleſtis* illius *Veſtis ac purpuræ* abrupiſſe, eidémque *Marito* jam gaudenti, memoriæ & ſolatij cauſſâ in manibus reliquiſſe. Hæc *Manuſcripti Codices*.

Cœnobiũ ædificat.

Apparet poſt mortẽ in purpura cœleſti.

§. LIV.

B. Cunegundis Antiſtita S. Georgij Pragæ.

A. 1321.

Genus.

Ordo religioſus.

CUnegundæ hujus (Bohemis Kunhutæ) literas complures ad fratrem Regem in *Archivo S. Georgij* vidi. Nata eſt *Patre Ottogaro II.* bellicoſiſsimo, ad extremum infælici Rege, Matre *Cunegundâ Roſislai Bulgarorum Regis filia, ſoror* fuit *Wenceslai II.* pijſsimi Regis, ab ineunte ætate puella nihil niſi DEUM, & Divina ſpectabat; occiſo Patre, nacta libertatem DEO ſeſe devovendi An. 1278. cum alijs 14. lectiſsimis, & nobiliſsimis Virginibus *S. Agnetem* avi ſui *Wenceslai I. Regis* Bohemiæ *ſororem* imitata, *Parthenonem S. Claræ* ad Salvatorem in antiqua *Urbe Pragenſi* ingreſſa eſt; ſed poſt annos duodecim ad fratris ſui in *Regnum Poloniæ* jura firmanda, P*apâ* annuente coacta, *Maſoviæ Duci* in conjugem datur; Duce marito viduata, ſub Annum Chriſti 1302. 22. Julij DEO ſeſe reſtituit, neque tamen prius illud *S. Claræ* clauſtrum repetijt, ſed *Fratre* optimo apud Pontificem agente *S. Georgij Parthenonem* ſubivit, ac poſt editam rurſus profeſsionem, cùm vitæ Sanctiſsimis exemplis cæteris prælucеret, perpetuóque tenore vitæ omnes virtutum, & ſanctimoniæ partes impleret, communi Virginum ſententiâ, etſi priùs in conjugio vixerat, *Antiſtita* creatur; omnia apud Fratrem Regem poterat, ideóque ampliſsimis Privilegijs, gratijs, favoribus, *Cœnobium* ſuum permuniri, locupletari etiam ditionibus (quæ, cùm de Cœnobijs agetur, adferemus)

ſeremus) procuravit, ut *Mater, & altera Cœnobij Fundatrix* appellari poſſit. *Beneſ. l. 2. Chronicor.* Obijt relictâ apud omnes illimis cujuſdam Sanctitatis opinione An. C. 1321. 13. Februarij, ùt habet *Beneſſius;* corpus demortuæ altiore Regium in modum Mauſolæo intra ambitum clauſtri in peculiari Sacello B. Virginis conditum jacet. *Beatæ titul.* Vide plura in *Crugerio* ad 13. Februarij. in MM. SS. Cœnobij libris, omnibus locis *Beatæ* titulo inſignitur.

§. L V.

B. Euphemia Virgo Ordinis Prædicatorum, Leſconis Ratiborienſis Ducis filia.

HAbet *Sileſia* complures apud ſe natos, & natalia ſua ſidera, quibus *1359. 17. Januar. Crug.* Cœlum glorioſè adauxit: *B. Euphemia* Leſconis Ratiboriæ Ducis filia, & *Przemyslai Ratiboriæ Ducis* ſoror, cùm fratrem An. 1336. *Genus.* ad fundationem Sacri Parthenonis (donato cum ſeptem villis, oppido *Javvorovv*) perpuliſſet, de ſuo eundem locupletavit, & ſeipſam, & vitam innocentem ſuam, *Chriſto Sponſo* donavit, vixit in eo Cœnobio ad An. 1359. tam exquiſitâ vitæ Sanctimoniâ, ut *Beatæ* titulum in ſepulchro, & in omnibus *Sileſiæ Scriptoribus* meruerit; hodiéque ipſe *Virginis Sanctiſſimæ* Tumulus *Prodigioſ. Tumulus.* miraculo eſt: nam clade Urbi, aut Cœnobio imminente, ſepulchri lapis ex imo intus pulſatur, & validè verberantur, admonentúrque eo ictu omnes, ut *Bzovius in Propagine D. Hyacin.* quæ DEUS intentat verbera, patienter ferant, vel ut *fugiant à facie arcûs, & liberentur electi.* Agit de hac Virgine Sancta inſignis ex Ordine *Sancti Dominici* Scriptor *Abrahamus Bzovius.*

§. LVI.

B. Conradus Ord. Prædicatorum Pragæ in cauſſa Religionis occiſus.

BEatus *Conradus Inquiſitor* hæreticæ pravitatis, Ordinis Prædicatorum, quâ gente, & patriâ ſit editus, nondum invêni; *Poloniæ* ſuæ eum ad- *A. 1341.* ſcribit *Abrahamus Bzovius*, uti & B. *Joannem*, de quo ſtatim agemus *Ep. rer: Boh l. 3. C. 18.* (quem tamen fuiſſe *Ssvvidnicij* natum, conſtat inter Authores) at cùm eo tempore *Polonici, & Bohemici Prædicatorum Conventus* una *Provincia* cenſerentur, nullum inde pro natione confici poteſt argumentum; ad Sanctam ejus mortem veniamus: *Nancerus Epiſcopus Wratislavienſis Joannem Bohemiæ Regem* diris devinxerat, B. *Conradus Inquiſitor* pro officij, & muneris ſui ratione *Pragam* advênit; ad Regis colloquium, imò & ad menſam admiſſus, omnia ſe confecta habere, & tam difficili negotio apud irritabilem *Occaſio & cauſſa cædis.* *Principem* ex animi ſententia finem impoſuiſſe credebat, cùm ecce duo ſicarij

Cædes. *à Wratiſlavienſibus* ſubornati (*Wratiſlavienſibus* enim præcipuè *Bonorum Eccleſiaſticorum occupatio*, & artes fruendi præ cœteris placebant; quamvìs *Bzovius* disertè *Joannis Regis* juſſu interfectum eſſe ſcribat) *Inquiſitorem* apud ſuos ad Pontem antiquæ *Urbis Pragenſis in S. Clementis Cænobio* degentem, per ſpeciem ſacræ Confeſſionis ex cella ad ſe evocari poſtulant, nihílque mali ſuſpicantem, atque in Impluvium Cænobij deſcendentem adoriuntur in tenebris, pugionibus, & gladijs nefarij homines confodiunt, & relinqvunt pro mortuo. Id geſtum An. 1341. *Conradum* poſt mortem multis claruiſſe miraculis affirmat Bzovius, iiſque adductos homines ſæpius apud *Sedem Apoſtolicam* egiſſe, ut in numerum *Sanctorum* ſolenni cerimoniâ & ritu ſolito referretur.

Bzovius in Progag. D. Hyacin: C. 8

A. 1341.

§. LVII.

Beatus Joannes Schwenckfeldius Inquiſitor, pro Immunitate Eccleſiaſtica, & Fide Catholica ſtrenuè dimicans à Senatu & Populo Wratislavienſi, è Cœnobio ſuo extractus, crudeliſſimè per Urbem raptatur, & confoditur.

1341. 6. Octo: Educatio religioſiſſima.

JOannes *Swenckfeldius Swidnicij* in Sileſia bono loco natus, cùm ſeſe juvenis *Sacro Prædicatorum Ordini* adjunxiſſet, tantos in virtutibus, & ſcientijs progreſſus fecit, ut inter ſuos authoritate plurimùm emineret, eóque nomine, hæreticæ pravitatis *per Sileſiam Inquiſitor* (quod munus eo tempore hominem fortem, doctum, & prudentem requirebat) conſtitueretur. Interdixerat ſacris Urbi *Wratislavienſi* (ut paulò antè dixi) *Nankerus Wratislavienſis Epiſcopus*, quòd bonis Eccleſiaſticis imminerent, & à *Rege Joanne* animati Clerum vexarent; Interdictum hoc gravem contumeliam interpretati *Wratislavienſes* per populi tumultum, *Monaſterij* (in quo B. *Joannes* degebat) ad *S. Adalbertum* portas effringunt, B. *Joanni* manus injiciunt, per civitatis vicos, & plateas proſtratum trahunt, tandem multis ictibus confoſſum, cerebro eliſo occidunt immaniter. Diris devoti à *Benedicto XII. Pont. Max*: agente potiſſimùm *Carolo Marchione Moraviæ Joannis Regis* filio, reſipiſcere cœperunt, & ipſo *Carolo* comitante, capitibus, & pedibus nudis, ſinè pallijs, & cingulis reorum habitu à prætorio uſquè ad Cœnobium progreſſi, humi proſtrati per modum Crucis, veniam, & miſericordiam oraverunt, *Epiſcopo Przeczlao* (qui *Nankero* mortuo ſucceſſerat) veniam faciente. Nihilominus 8. *Maij* die, graviſſimas de Civibus pœnas ſumſit DEUS, totâ urbe fortuito incendio in cineres redactâ; quo tempore viſus eſt ſuper urbem *Cœleſtis Angelus* ſtricto enſe terribilis cum ſocijs, qui ardentes pru-

nas

Digitized by Google

nas in urbem cœlo effunderent. Hæc geſta ſunt An. 1342. ùt narrat ex *Miechovio* *Bzovius*. De hoc B. *Joanne* memini, olim vidiſſe me in Manuſcriptis *Bibliothecæ Pragenſis Codicibus* exemplum Apoſtolicarum literarum in membrana ſcriptum, quibus *Joanni* velut Martyri inter Divos cultus, dies item Sanctæ ejus memoriæ per totam *Diœceſin Wratislavienſem* conſecratus decernitur. Has literas, quibus nunc egerem maximè ad gloriam Viri ſancti, nullâ diligentiâ invenire potui, ſed vel juratus legiſſe me teſtor. *Abrahamus Bzovius in vita M. S. B. Ceslai* narrat: *Pallium* B. *Joannis* ſangvine aſperſum, & vulnetibus non tam deformatum, quàm illuſtre, *Wratislaviæ in Cœnobio S. Adalberti* hodiéque ſervari, ídque ita recens, acſi pauculis abhinc annis cædes peracta fuiſſet: *noſtris manibus*, inquit, *ſæpe ſangvineas illas guttas attrectavimus, & piè exoſculati ſumus*, *An. 1607*. nimirum prædixerat moriens Vir ſanctus, quòd pro fide Catholica, próque veritate & juſtitia moreretur, pallium hoc nunquam à tineis corrumpendum.

Miech. l. 4. hiſt. Polon: C. 23. Bzov. in Propag. D. Hyac. C. 8.

Pallium ejus cruentum hodiéque oſtenditur.

NOTÆ IN B. CONRADI & B. JOANNIS MARTYRIUM.

His jam ad Typum datis, magnâ cum admiratione meâ, *Abrahamum Bzovium* (quem in hiſtoria *B. Conradi, & B. Joannis* ſecutus ſum) à ſe diſſidere animadverto: nam cùm in *hiſtoria ſui Ordinis in Polonia*, ſeu in *Propagine S. Hyacynthi* (quam edidit An. 1606.) *& in vita M. S. B. Ceslai*, *Joannem Schvvenkfeldium* per compita Wratislavienſia raptatum aſſeruiſſet, poſtea in *Annalibus Eccleſiaſticis* (quos An. 1618. vulgavit) *Joannem Schvvenckfeldium Pragæ* in Cœnobio S. Clementis (nullâ *Conradi* factâ mentione) confoſſum commemorat. Idem ex eo deſcripſère *Spondanus, & Raynaldus*, ubique *Joannem non Conradum* nominantes; diverſos tamen eſſe diverſæ mortes, & alia adjuncta oſtendunt, & quod *Bzovius* citans antiquiſſima Manuſcripta nominet *Conradum Pragæ, & Joannem Wratislaviæ* occiſos. Hæreo inter ſacrum & ſaxum! utinam qui iſta utpote ſua norunt, quid tenendum ſit edoceant, & veſtigium cui firmiùs inſiſtamus, oſtendant. Fortaſſe *Malpaus Ord. Prædicatorum in Palma fidei* (qui liber non eſt ad manum) hunc nodum diſſolvit.

C. 8.

Bzo: in An: Eccl. T. 14. ad A. 1341.

Sponda. & Rayn. in An. Ecc: ad A: 1341.

In Prop. S. Hyac. C. 8.

§. LVIII.

B. Arneſtus, ſeu, ùt nunc loquuntur, Erneſtus I. Archi-Epiſcopus Pragenſis.

AD LECTOREM.

UT nihil ad fælicitatem meam (quam in hoc opere, dum ſcribo, faventem ſemper, & affluentem ſenſi) deeſſet, dum in *Crumlovienſi Roſenſium Bibliotheca* manuſcriptos Codices nuper excutio, incidi bonâ fortunâ in librum vetuſtiſſimum, ſapphirini coloris membranâ tectum, umbilicis, & claviculis olim probè munitum, nunc omnibus ornamentis ſpoliatum, cui initio præfixa eſt litera *D. XVI*. In eo multa Antiquitatis monumenta,

1364.

Vita B. Arneſti reperta inter Codic: manuſ: Coll. Crumlovien: S. J.

Digitized by Google

menta, multorúmque Authorum pervetuſtorum quædam particulæ leguntur, quas inter *Vitam* hanc *Arneſti* novam, & antè ineditam, hinc atque inde in diverſis folijs exaratam, inveniſſe me mihi ipſi ſum gratulatus. Eam verò nè periret, hîc adjiciam. *Typographia Societatis JESU Pragæ Vitam Arneſti, ab Joanne Glacenſi Præpoſito ſcriptam, Mariali* præfixit: hæc alia eſt, majorémque etiam authorem præfert, *Wilhelmum* videlicet *ab Hazenburg, Arneſti* diſcipulum, eidem ſummâ amicitiâ junctum, nobilitate vetuſtâ clariſſimum, *Wiſsehradenſem* Præ*poſitum*, *Caroli Cæſaris ad* Pon*tifices Legatum*; quâ de re mentio fit in Epiſtolis *Innocentij VI.* Anno Pontificatûs VII. 12. Cal: Maij. An. 1359. Fuit *Wilhelmus* Vir doctrinâ ſummus, cujus Bibliothecam pretioſiſſimam, *Carolus IV.* poſt ejus obitum emtam, *Univerſitati Carolinæ* donavit. Porrò *vitam Arneſti* ſummâ quà licuit diligentiâ à me conſcriptam, & juſto volumine comprehenſam, ab utraque & *Joannis, & Wilhelmi* diſtinctam, An. 1665. Pragenſibus Typis expreſſam, *Erneſto II. Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo* probante, & laudante *Glacenſi Comitatui* dedicavi; eam conſulat, quisquis *SS. Præſulis* geſta, & ſingulas actiones avet cognoſcere; hæc interim vita ſufficiet, ùt reor, (etſi generatim ferè ſcribat) ad ideam aliquam *Arneſti* Sanctimoniæ animo effingendam, & efformandam.

Odor. Raynald. in An: Ecc. ad A. 1359.

Triplex B. Erneſti vita

Incipit Vita Venerabilis Arneſti primi Archi-Epiſcopi Pragenſis, Authore Wilhelmo ab Hazmburg, Decano Wiſſehradenſi. Ex Codice pervetuſto Bibliothecæ Collegij Crumlovienſis Societ: JESU.

Erneſti à vigilantia & Iuſtitię conſtantia inſigne encomium.

APparuit *gratia DEI Salvatoris noſtri* diebus iſtis noviſſimis in Servo ſuo *Arneſto*, quem *Pater miſericordiarum, & luminum*, tam largâ dulcedinis benedictione prævenit, ut eſſet coætaneis ſuis in ſpeculum, & poſteris evidens in exemplum. Sicut enim hunc ſibi amabilem, nobíſque imitabilem reddidit, itâ & modo per conſequens admirabilem dereliquit; perfectis etiam virtutum prærogativis, & meritis celebrem, & præclaro circa eum oſtenſo miraculo inſigniter demonſtravit illuſtrem. Ad hoc videlicet: ut qui *Sanctorum veſtigia* ſequi, mundi prohibente concupiſcentiâ non poſſumus, hujus ſaltim, qui noviter nos præceſſit, converſationem laudabilem, honeſtos mores, benignitatem, & patientiam imitari pro viribus ſtudeamus. Hic enim quaſi *Stella in medio nebulæ*, claris vitæ pariter, & doctrinæ fulgoribus micans, & ſuper commiſſum ſibi gregem ſolerter invigilans, non ſolùm hunc viam veritatis edocuit, ſed & ab eo, quibus tum involvebatur, errores, & negligentias, ſolicitudine præcedente repreſſit. Non hunc Magnatum timor pro juſtitia ſupprimenda concutere, non theſauri oblati corrumpere,

ſed

Digitized by Google

ſed neque parentum, aut confinium amor ſuam in hoc potuit conſtantiam obtruncare. Maluit enim obtrectationum lingvis, culpâ non ſubeunte, redargui, quàm ob defectum juſtitiæ ante tribunal ſuperni Judicis, durâ propter hoc ſententiâ condemnari. Pater ipſius *Arneſtus de Pardovitz Miles*, qui tunc caſtrum, & *Provinciam Glacenſem* ex commiſſione Regis *Bohemiæ* obtinebat, hunc in *Glacenſi Oppido*, liberalibus tradidit ſtudijs imbuendum. Ubi dum ſub ætate tenera ſcholas cum ſuis condiſcipulis frequentaret, *Imago Beatiſſimæ Virginis MARIÆ* ſibi coram ea genua flectenti, dorſum advertit, quod quidem miraculum ipſe, quamdiu vixit, ſubticuit, ſed in agone laborans, propriâ manu conſcriptum, ad ædificationem fidelium publicè revelari mandavit. Verùm dum hunc jam debita in ætate conſtitutum ad honores Eccleſiaſticos Clementia vellet Divina provehere, primò ipſum *Decanum Pragenſem* conſtituit, & demum ſede vacante, ad *Epiſcopalis dignitatis apicem* benigniùs elevavit. Erat autem idem *Arneſtus Vir longæ ſtaturæ*, venuſtâ facie, omníque merum præditus honeſtate. A tempore quoque ſui Regiminis, ſicut erat diſcretus ſilentio, ità & utilis manſit in verbo, ut nec tacenda proferre, ſed nec quidem vellet proferenda tacere. Sciebat enim, quòd ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita & indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant, in errorem perducit. Nempe quotidiana ipſius familia, nunquam audivit ex ore ejus verbum iniquum, aut doloſum procedere, quo aut inferre cuipiam vellet injuriam, aut reprimere conaretur illatam; & ſi quempiam ex ſua Familia, verbo quantumcunque levi ſe offendiſſe perſenſit, mox pœnitentiâ ductus, ab eo veniam verbis humilibus poſtulavit. Ex adverſo verò, dum ei aliquis injurioſum quid, ſeu diſplicibile loqueretur, mox digitum ori ſuperpoſuit, & pronum ad inferendas vindictas animum, tanquã veræ humilitatis diſcipulus effectualiter mitigavit, recurrens ad illud propheticum: *Pone Domine cuſtodiam ori &c.* Nimirum ad hoc, ut in anima ſua virtutum poſſet ſtructura conſurgere, ſtuduit Vir DEO dilectus in corde ſuo, veræ humilitatis *Fundamentum* locare. Qui licèt in *Bononienſi*, *&* *Paduano* ſtudijs per quatuordecim annos continuos moram continuans, licentiari promeruit, tamen cor ejus, ùt plerumque fit, acquiſita ſcientia non inflavit; quando omni ſe petenti benevolum, & ejus auxilium invocanti, ſe redderet innatâ pietate manſvetum; inerátq; ſibi mos, & conſvetudo laudanda, ut quoties coram eo Divina peragerentur Officia, ipſe cum *Prælatis*, *Capellanis*, *&* *Clericis*, tento coram ipſo Miſſali, officium Miſſæ perlegeret, ac demum horas *de Beata Virgine*, ordinatis, & moroſis accentibus ruminaret, nec audebat hunc quiſpiam, pro re quantumcunque gravi, quamdiu *Miſſa* legeretur, accedere, ſeu cum ipſo de negocijs, etiam arduis, publicè, aut ſecretè conferre. Qui tamen officio expleto, publicam procedens ad ſalam, tam pauperibus, quàm divitibus audientiam præbuit, facti quoque circumſtan-

Arneſti natales & educatio.

Miraculum quod cum Arneſto ad huc juvene patravit DEUS.

Arneſtus parcus verborum.

Pſal. 140.

Oratio Arneſti plena dignitatis.

Digitized by Google

ſtantijs penſatis ad debitum, ipſos ſinè intervallo temporis benigniùs expedivit. Quod autem propter abſentiam propriam, vel negotij qualitatem, per ſeipſum expedire non potuit, id ipſum à Prælatis ſibi aſſiſtentibus, cum omni celeritate terminare mandavit. Quid ultrà? ex fructu arbor cognoſcitur, & fructus ex arbore comendatur. Præceſſit in radice Divina copia muneris, ut in ramuſculo ſequeretur abundantia honeſtatis. Tantâ etenim Deus excelſus in ſervum ſuum condeſcenſione reſpexit, ut ſicut hunc vidit de virtute in virtutem proficere, ſic & commiſſam ſibi Eccleſiam ad laudem propriam, & Bohemici Regni honorem, voluit magnificè ſublimare. Procurante namque *Sereniſſimo Principe Domino Joanne Bohemiæ Rege*, & ejus primogenito *Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Bohemiæ Rege*, An. Domini 1344. *Pragenſis Eccleſia in Metropolitanam* erigitur, & à ſubjectione *M*oguntinenſis Eccleſiæ, quâ eidem tenebatur obnoxia, per Sanctiſſimum in Chriſto *Patrem Dominum Clementem*, ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ *Summum Pontificem*, abſoluta, *duas Suffraganeas Eccleſias*, *Olomucenſem* videlicet, & *Litomiſslienſem* felici diſpoſitione ſortitur. Recepto quoque per eum pallio, ſibi ab Apoſtolica ſede transmiſſo, in quo nomen, & plenitudo Archiepiſcopalis dignitatis conſiſtit, juribus etiam, & canonibus præſcriptis rationabilibus, & quæ pro lege habentur, conſvetudinibus recollectis, attento nihilominus, quia diverſitatem corporum diverſitas ſequitur animorum, ſtatutis *Moguntinenſis Eccleſiæ*, quæ tum propter abuſum, tum etiam propter inconvenientiam, modicum, aut nullum fructum afferebant, ſuppreſſis, nova & utilia *ſtatuta edidit*, *Provinciali* propter hoc Concilio celebrato; interſerens ſtatutis ipſis de Jure Canonico multa utilia, Presbyteris quoque ipſis, *Eccleſias Parochiales* regentibus, ſummè neceſſaria, & his præſertim, quos interdum à ſtudij cura paupertas prohibet, non voluntas.

Vigilia Arnesti. Inerat & huic viro talis Judicij futuri memoria, ut qui de talento ſibi credito rationem diſtricto Judici reddere tenebatur ſuper commiſſo ſibi grege, adeò ſolicitas obſervare ſtuderet excubias, ut nunquam ſomno corpus reficeret, niſì eum aut violentus ſopor opprimeret, aut langvor inſolitus vigilare per amplius prohiberet; ſciens quoque, quòd humana natura ſicut laboribus diutiùs inſtruitur, ità nihilominus per otia torpentia ſatuatur, ad hoc ut mentem ſolicitam quotidianis virtutum incrementis inſtauraret, lectione hanc continuâ refovebat. Habens quoque in ſubteriori veſte ſacculum ab utroque latere dependentem, certos in eo libellos, & memorialia deferebat, & nunc in curru pergens, nunc etiam à Cæſaris conſilio, quoties ibi minùs utilia tractarentur, ſe abſtrahens, tam ad ſuam, quàm aliorum ædificationem in eiſdem aut per ſe legit, aut legi per alios verbis intelligibilibus procuravit.

Nunquam otioſus. Nunquam hunc poterant à bono proſequendo otia deteſtanda retrahere, quin inſtar potiùs Supernorum in ſcala Jacob, aut aſcendebat in DEUM, aut de-

deſcendebat in proximum. Die autem ad occaſum Solis vergente, dum hunc cubile conſvetum ſuſciperet, ſibi fecit Vitas Patrum, aut alium codicem ædificativum tam diu legere, donec ipſum ingens ſopor lectionem non ſineret auſcultare. Noverat enim de cujuslibet ore legentis elicere, quod animæ proſit; ſciens, non minoris eſſe prudentiæ, de rudi quandoque ſpina florem decerpere, quàm fructum ex arbore nobili manducare. Capto quoque ſomno, ſed modico, dum hunc crederet Cubicularius in loco ſibi præparato recumbere, ipſe mollem lectum declinans, interdum in humo, interdum verò ſuper vili repertus eſt matta cubare. Mediâ autem nocte, dum aliorum oculi concepto gravantur à ſomno, iſte *Paſtor ſolicitus*, quem non vincere acedia, non frangere potuit torpens ignavia, proprio conſurgens è lectulo, ſecum manentes advocat *Capellanos*, cum quibus tam horas *Canonicas*, quàm & *Beatæ Virginis*, devoto corde, diſtinctâ quoque voce complevit. Poſtquam verò ijdem *Capellani* feſſa membra ſolitis adibant refovere cubilibus, ipſe in oratione pervigil, & invictus manebat, & ſi erat de manè Miſſam celebraturus, devotas ſe dabat in lacrimas, ut tunc venas divini ſuſurri furtivè ſuſciperet, quando ſopor cæteros opprimebat. Ad hoc quoque majora ſtuduit ſeminare ſemina fletuum, ut majores tandem fructus perciperet gaudiorum. Solitus etiam erat à promotionis ſuę tempore uſquè ad obitûs ſui diem in quodam libello ſingulos ſuos defectus ſpirituales propriâ manu conſcribere, ut & eiſdem deinceps virili mente reſiſteret, & ea, quæ fragilitate ipſum impellente commiſerat, per ſatisfactionem debitam emendaret; in quo etiam conſcripſit injunctas ſibi pœnitentias & conſilia Confeſſorum. Aderat & ejus præcordijs divinitus indita quædam ad pauperes miſericordia liberalis, quæ ſecum ab infantia creſcens, tantâ cor illius benignitate repleverat, ut meritò dici poſſet, hanc cum ipſo ex eodem naturæ utero proceſſiſſe. Nimirum Evangelij non ſurdus auditor, omni ſe diſpoſuit petenti tribuere, & ei præſertim, quem audivit, amorem divinum ferventiùs allegare. Sciebat enim, quòd dives eleemoſyna ſuis amatoribus hæreditatem præbet immarceſcibilem, & cæleſtis curiæ dignitatem. Sed neque hunc latuit miranda miſericordiæ virtus, quæ peccatorum omnium rubiginem purgat, frementium vitiorum incitamenta mortificat, & ſplendore cœleſtis gratiæ, tenebroſas hominum mentes illuſtrat. Hanc igitur per affectum amplecti deſiderans, multos in *Bononienſi, & Paduano* ſtudijs pauperes tenuit *Clericos*, quibus de libris, ſinguliſque vitæ neceſſarijs providebat, quos & in adipiſcendis beneficijs Eccleſiaſticis, proprijs conſangvineis præferebat, tranſiénsque per viam, eleemoſynam pauperibus, quos obvios habuit, largitus eſt. Singulis etiam diebus duodecim pauperes pavit, & eorum cuilibet duos parvos denarios, currentis pro tunc monetæ, donavit, & nihilominus ſingulis annis 70. ſtamina panni criſei inter pauperes dividebat, ut ad Divinæ legis imperi-

Arneſtus Eleemoſynarius.

M um,

um, nudum operire, carnémque ſuam nequaquam deſpectui videretur habere. Conſtat igitur in ipſius arcano pectoris plantatam fuiſſe arborem miſerationis, cujus dum fructus reficit animam, præbent exteriùs folia medicinam. Certum eſt etiam, hunc fuiſſe veſtigiorum glorioſi Pontificis, *Beati* ſcilicet *Nicolai*, fidelem, & ſolicitum ſectatorem; ſicut enim auro ille Virginum inceſtus, auro patris inopiam, auro utrorumque deteſtabilem ademit infamiam; ſic & iſte fidelis ſervus, & prudens, rem ſub ſilentio tegens, per duos Presbyteros, ad hoc ſpecialiter deputatos, *Virgines pauperes*, dote competenti oblatâ, matrimoniali diſpoſuit fœdere copulari, nè paupertate premente, in dedecus honoris Virginei admittere cogerentur publicos amatores. Similiter & eos, quos natura nobiles, & caſus fecit ſiniſter egenos, quíque, prout apparet ad oculum, non valent fodere, & erubeſcunt veriſimiliter mendicare, nè ipſos aliena per furtum, aut rapinam inſequi bona contingeret, competenti pecuniâ relevabat; quibus etiam, aut alijs ad hoc idoneis expreſsè commiſit, ut hoſpitalia infirmorum viſitare, defectus quoque inibi degentium, ejus ſumtibus debeant utiliter reformare. In anno quoque Domini 1362. dum in *Regno Bohemiæ* cariſtia magna ſæviret, in tantum, ut propter defectum victualium, multos fames exhorreſcenda captivaret, multas fecit eleemoſynas in pane pariter, & frumentis, per quas civitatum, & oppidorum incolæ ab imminentis ſunt mortis periculo liberati. Ad ædificationem quoque tam propriam, quàm etiam aliorum, multos libros ſcribi, & de alienis partibus procuravit afferri, quos etiam *Monaſterijs*, & alijs pijs locis, juxta neceſſitatis eorum indigentiam, tradidit, & donavit. Advertant hîc deſides *Clericorum, Sacerdotúmque Rectores*: illi, illi nimirum, qui ad corrigendum ſubditorum exceſſus deputati, cæteris præeminent, & inconſiderato ſilentio peccandi ſubditis licentiam præbent. Audiant, inquam, & prudenter intelligant, quantam hic *Præſul* ſolicitudinem in correctione *Cleri* ſibi comiſſi adhibuit, & circa hoc ſtudioſis laboribus deſudavit. Hic etenim inter cogitationum varietates innumeras, quibus animum ſuum cura officij paſtoralis involvit, præcipuè *Correctorum, & Inquiſitorum officium* cenſuit exerceri, ut videlicet alter eorum nunc ſalutaribus monitis, nunc perſvaſionibus, atque minis, nunc etiam pœnis inflictis, *Cleri* petulantiam, & ipſius errores reprimeret; & *alter* hæreticorum perfidiam, & ipſorum doctrinam deteſtabilem realiter, & efficaciter confutaret. Fuit etiam bene agentibus per humilitatem conſocius, contra delinquentium vitia per Juſtitiæ zelum erectus. Bonis ſe in nullo prætulit, & cum pravorum culpa ſubfuit, poteſtatem ſui prioratûs agnovit. Nimirum *Clerus* illius temporis modicè, prô dolor! legi ſubjacuit, atque ideo ſeipſum carnis voluptatibus, rigore deficiente, ſubegit: alius enim tabernam frequentans, quadriformi cum bibentibus colludebat in teſſera; alius concubinis adhærens, & nec tonſuram, ſeu coro-

Occultos pauperes fovebat Arneſtus.

Inquiſitores Arneſti duplices.

Digitized by Google

coronam deferens, turpi ſeipſum polluit fæditate; quorum tamen inſania, ſub ipſius regimine, penitùs conquievit. Hic etiam judicia peregrina, videlicet candentis ferri, & aquæ frigidæ, quibus *Bohemi* uſquè ad ipſius tempora utebantur, exerceri prohibuit, & eadem totaliter, *Baronum* reſiſtentiâ non obſtante, ſuppreſſit. Similiter & vagos homines, quos vulgus *Flagellatores* appellat, quíque ſub ovina pelle conſcientiam nôrunt vulpinam abſcondere, non ſolùm à tali præſumtione compeſcuit, ſed & à ſuæ Diæceſis finibus eliminari curavit. Ut autem pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucris inſiſteret, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe, nec tam præcipere, quàm parêre. Propter quod in *Monaſterio Canonicorum Regularium in Glacz*, quod ipſe de novo extruxit, & tam reditibus, ſufficientibus libris, & ornatibus pretioſis, quàm etiam picturis varijs adornavit, *Archiepiſcopali* dimiſſo faſtigio, eandem voluit *Regulam* profiteri, ut eò liberiùs poſſet præconium tranſitoriæ laudis contemnere, tumentis jactantiæ faſtum comprimere, & fraudulentæ ſimulationis mendacium confutare. Nimirum tempus ſibi conceſſum ad meritum dividere ſic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laborioſis impenderet, aliud contemplationis tranquillis proceſſibus dedicaret; ſíc factum eſt, ut arrepto itinere ad ipſum *Monaſterium*, in comitiva unius tantùm familiaris, perveniens, ſéque *Romam* aditurum confingens, in cella, quam pro ſeipſo conſtruxerat, *Omnipotenti DEO*, & ejus *Genitrici MARIÆ* penſum ſuæ ſervitutis exſolveret, & occultè ac latenter matutinali tempore ſolus *Eccleſias* circumiret. Etenim tantâ prævenire hunc DEUS dignatus eſt gratiâ, ut mentem ipſius intrinſecùs incendio dilectionis adureret, & abſynthio quoq; paſſionis impleret. Et licèt pro tunc, quibus in ſolitudinem avolare poſſet, diſpoſitas pennas haberet, adeò tamen erant nexibus præceptorum adſtrictæ, ut abſque ipſorum permiſſione liberum non poſſet habere volatum. Et ideo ſubſcriptos *Romanos Pontifices*, videlicet *Clementem*, *Innocentium VI. Urbanum V.* ſive *modernum*, nunc per ſe, nunc etiam per Legatos, & idoneos nuncios de danda ſibi cedendi licentia, humiliter requiſivit; qui videntes hunc de culmine velle Pontificali deſcendere, nec cauſam quoad hoc cognoſcentes ſubeſſe, ipſum ab ejus vinculo abſolvere minimè curaverunt. Videbant etenim, quòd in ipſo vigor devotionis, & fidei, etiam corpore ſeneſcente, non perijt, ſed vergente deorſum conditione corporeâ, fervor ſpiritûs in ſublimiora conſcendit, & ideo oportebat hunc in regiminis paſtoralis perſiſtere labore, Creatoríq; ſuo deinceps cum *Martha* ſolicita miniſtrare. In ſignum tamen deſiderij ſui præfati, coram imaginibus *DEI, & Beatæ Virginis MARIÆ*, quas in vitris, & alijs coloratis picturis fieri procurabat, ſeipſum, deflexo in terram poplite, Archiepiſcopalia verò inſignia ante pedes ſuos jacentia, tanquam quæpiam abjecta, & ob amorem DEI procurabat dimiſſa depin-

Amor religioſæ vitæ in Arneſto.

Ætas hujus Scriptoris hinc poteſt colligi.

Digitized by Google

Magnificentia Arneſti in ſacris, & liberalitas.

pingi. Hic etiam *Monaſteria in Saczka, in Jaromir, in Rokiczano* dicti Ordinis de novo erexit, & ſumtuosè fundavit. *Hoſpitalia in Broda Bohemicali, in Przibramo, & in Libano* conſtruxit, & munivit neceſſarijs appendijs competenter. Hic reædificavit omnia *caſtra* ſui *Archiepiſcopatûs*, quæ erant ex nimia vetuſtate collapſa, & in *Przibramo* de novo unum caſtrum conſtruxit. Oppida ſuæ Eccleſiæ, videlicet *Brodam Bohemicalem, Thyn Horſsov, & Rudnitz* muris munivit; piſcinas multas, præſertim *Kyge* villam, *Rokiczanum, Thynhorſsovienſe, Przibram, Rzeczicz, Zerczicz & Cheinovv*, cum magnis impenſis de novo exſtruxit; mediam Baroniam *de Roſenthal*, datis plurimis reditibus ad vitas Eccleſiaſticarum perſonarum, *Archiepiſcopali* menſæ acquiſivit. Hic omnes *libros Pragenſis Sacriſtiæ*, nimiâ vetuſtate conſumtos, ligari, & meliorari, *Chorales* verò libros, videlicet *Gradualia, & Antiphonaria*, in multis voluminibus, pulchriora, quàm unquam in Eccleſia viſa fuerant, pro magnis pecunijs ſcribi fecit, aliósque pro ſtudio ſacræ Scripturæ condonavit, & ipſam *Eccleſiam* plurimis ornatibus pretioſiſſimis donavit. Dedit etiam *ſuæ Eccleſiæ* in mortis articulo pro ſtructura ipſius de proprio patrimonio *mille marcas*; *& unam Capellam*, proximam ei, quæ eſt in fronte chori novi, à fundamentis uſquè ad perfectionem ſuis ſumtibus extruxit, & feneſtris vitreis exornari procuravit. Item dedit *centum marcas pro panibus, Altariſtis Pragenſis Eccleſiæ*, ut unà cum Vicarijs Canonicorum, perceptione panum gauderent, pro quibus emti ſunt reditus perpetui in talibus villis, &c. Hic in eadem *Pragenſi Eccleſia Lectorem in ſacra Theologia* ſuis pecunijs inſtituit, pro quo emit certos reditus in villa *Zlatnik* prope *Pragam*, ut *Canonici*, & alij *Clerici Pragenſis Eccleſiæ*, ampliùs ſtudeant divini verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Et quid plura? comparavit namque pauperibus *Clericis* duodecim ſexagenas redituum in villa, ut bis in anno habeant tunicas, & liberiùs, ac ſeduliùs in choro nocturnis, & diurnis horis vacent in Divino officio. Huc accedit, quòd inter cætera chariſmatum dona, quæ à largo datore *Arneſtus* obtinuit, quâdam ſpeciali prærogativâ excreſcere promeruit in *divitias Juſtitiæ* obſervandæ. Hæc quidem *Juſtitia*, ſicut priſcis temporibus ob Judicum ignorantiam, quæ plerumque eſt Innocentum calamitas, quaſi pedibus calcata ſubſiluit, ſic & ſub illius felici regimine, tam in *Conſiſtorio publico*, quàm etiam privatis judicijs ſuas fimbrias dilatavit. Conſtans enim hic vir contra biformes fortunæ eventus, uniformi mentis conſtantiâ præmunitus, in judicio non contemſit pauperem, non oppreſſit viduam, perſonam divitis non recepit, in omnibus operibus juſtitiam reſervavit. Verùm, nè cæleſtis hujus benedictionis vena, quæ tunc *in Regno Bohemiæ* ſcaturijt, intra breves terminos occludatur, ſic eam Divina Providentia derivavit in amnē, ut fluminis impetus (caput orbis *Romani*) *letificaret Civitatem.*

Juſtitiæ patrocinium ab Arneſto ſuſceptum.

Digitized by Google

tem. Spargitur in *Curia Summi Pontificis, & Cardinalium* fama tanti Viri, omniúmque tenet aſſertio: *neminem huic in Germania fore ſimilem in conſervando legem Excelſi.* Quanto autem favore idem *Romanus Pontifex*, & ejus *Cardinales* ipſum proſecuti fuerint, experientiam loqui, & convenit metacere. In Legationibus enim *Cæſaris Romam* tranſmiſſus, & ibidem ſingulari honore ſuſceptus, commiſſa ſibi negotia tam fideliter, quàm etiam legaliter expedivit. Sæpe hunc *Romanus Pontifex* in altum erigere, & in majore voluit dignitate locare. Sed qui commiſſam ſibi *Eccleſiam*, Divino ipſum amore impellente, dimittere diſpoſuit, ad majores dignitates per eum aſſequendas minimè anhelavit; Mortuóque *Innocentio* hujus nominis *Papâ ſexto*, poſcentibus ipſius moribus, atque virtutibus, *per certos Cardinales* fuit in *Summum Pontificem* nominatus, & fuiſſet indubitanter electus ab omnibus, ſi promotionem ſuam non impedîſſet natio aliena. Quanquam autem de laude tanti viri multa per me adhuc poſſent interſeri, & præſertim ea, quæ ego *Wilhelmus Decanus Wiſſehradenſis*, non relatione teſtium, ſed per me ipſum cuncta cognovi; malo tamen à proſecutione ulterioris famæ ſuæ manum ſimul, ac ſtylum retrahere, quàm in ejus, & meum opprobrium lingvas detrahentium excitare. Nimirum ſcio, quòd nulla eſt tam modeſta felicitas, quæ poſſit malignitatis dentes vitare; alienis enim malis, ſicut ſuis bonis detractores lætantur, alienis jacturis ſunt divites, calamitatibus locupletes, & funeribus immortales. Nunc igitur mens mea nube mœroris obducitur, finis quoque gaudij luctibus ſequentibus occupatur. Qui cùm tam laudabilis viri famam ſimplicibus, ſed veridicis verbis, & hilari quidem mente tranſcurri, nunc ad referendam ipſius mortem fletu ſingultuoſo perveni. Sub Anno igitur Domini 1364. iſte *Venerabilis Pater*, pro expediendis arduis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ negotijs, *ad Imperatorem*, pro tunc in *Budiſſin* moram trahentem, proficiſcitur, & tam ab eo, quàm alijs Curiæ ſuæ Magnatibus, honorificè ſuſcipitur, & benigniùs pertractatur. *Die quoque Sancto Pentecoſtes*, facto ſermone vulgari ad populum, ipſiúſque feſti *Sacris Miſſarum* celebratis ſolemnijs, mox febrium ſupervenientium atrocitate gravatur. Artubus quoque ſuis, morbo invaleſcente detentis, nova cumulatur debilitas, quæ & proximam vocationem ad Dominum inducit, & diſſolutioni irrevocabili viam parat. Propter quod ab *Imperatore* obtentâ licentiâ, & negotijs proprijs expeditis ad votum, ſe jubet ad *Caſtrum Rudnicz* langvidum deportari, cúmque à ſuis inibi fuiſſet delatus, cœpit paulatim corporis virtute deſtitui, & langvore ingruente graviùs fatigari. Egit enim circa eum Divina Clementia, ut qui ſanus dotatus fuerat meritis operum, infirmus dotaretur meritis Paſſionum. Facto igitur per eum, prout ſibi ex Conceſſione *Apoſtolicæ Sedis* licebat, provido Teſtamento, dum adhuc in eo ratio nativa vigeret, multis familiæ ſuæ impenſis muneribus, non ſinè magna devotione, cordiſque

Arneſti in Curia Romana authoritas.

NB.

Arneſtus à certis Cardinalibus ſuffragium habuit ad Summum Pontificatum.

Arnaſti obitus.

que contritione, animâ in DEI manibus commendatâ, die ultimâ menſis Junij, quæ fuit dies Dominica *in feſto Commemorationis S. Pauli Apoſtoli*, horâ quaſi Completorij, feliciter obdormivit. Tranſijt autem iſte *venerandus Antiſtes* ex hujus mundi naufragio, Anno Pontificatûs ſui vigeſimo ſecundo, & *in Eccleſia Parochiali Sanctæ MARIÆ in Glacz*, in qua dudum ſepulturam elegerat, ubi etiam ſibi *glorioſæ Virginis MARIÆ* imago, prout ſuperiùs tactum eſt, dorſum averterat, ante majus Altare ſepultus; ad cujus reverentiam, & honorem, diebus ſingulis in aurora, *Miſſa ſolennis* cum Antiphona *Salve Regina*, ipſo procurante, cantatur. Quantus autem luctus hominum, quanta præcipuè ob ipſius mortem lamenta fuerint *Clericorum*, mihi non expedit, ſed nec conſultum apparet, particularibus debere verbis deſcribere, nec ſermonem meum in hoc diutius protelare. Hoc ſolùm pro concluſione inferenda ſufficiat, quòd illo irrevocabiliter ſublato, mater amaritudinis Mors, nobis non ex alia cauſa pepercit, niſi ut nos crudeliùs laniaret. Unicum tamen nobis hujus ægræ ſeparationis datum eſt ab alto remedium, ut qui corporalem nobis exhibere præſentiam prohibitus eſt vivus, nobis tamen remaneat jam defunctus. Diſcant igitur *Præſules*, ad inſtar hujus Viri mores animi ſub debito pacto componere, litium in ſe flammas extingvere, verámque concordiam cum ſuis proximis efficaciter obſervare. Scriptum eſt enim: *Quisquis corpus affligit, & concordiam deſerit, DEUM laudat in tympano, ſed non laudat in choro.* In caſſum quoque corpus atteritur, ſi inordinatis motibus dimiſſa mens vitijs diſſipatur. Super iracundiam eorum nequaquam Sol occidat, ſed ut cum ijs ad inferendam vindictam duritia concepta ſeneſcat; fervidam enim vindictam ſequi non poteſt juſtitia temperata. Diſcant orationibus ſacris ſincerâ devotione inſiſtere, diviníſque laudibus animam jugiter occupare; Juſtitiam in ſuo rigore non habito ad perſonas reſpectu, confoveant; ſubditorum exceſſus, conditione ipſorum penſatâ, recorrigant, & de facultatibus Eccleſiæ ſuos conſangvineos non extollant; Diſcant in pauperes Chriſti largas manus extendere, ſibíque per *virtutem Eleemoſynæ* theſauros in cœleſti Patria congregare. Hæc eſt enim illa peramabilis ſuffragatrix, quæ velut fluentum fontis irrigui, & peccatorum inquinamenta detergit, & æſtuantium vitiorum flammas extingvit. Diſcant in ſeipſis vitiorum motus comprimere, ut poſſint Subditis lucis exempla monſtrare. Tunc enim ſummus locus bene regitur, dum is, qui præeſt, vitijs potiùs, quàm Fratribus dominatur.

Lamentationes ob mortem B. Arneſti.

Adhortatio Authoris ad Prælatos Eccleſiaſti.

Explicit vita Venerabilis Patris, & Domini Domini Arneſti Archiepiſcopi Primi Eccleſiæ Pragenſis, & Legati.

Hactenus Vita *Arneſti SS. Præſulis à Wilhelmo ab Haſenburg* oculato rerum geſtarum teſte conſcripta, quam ut Typis ederem, Amici authores fuère; eorundem votis quasdam aſpirationes ejuſdem *B. Erneſti* manu ſcriptas adji-

Digitized by Google

adjicere hoc loco æquum putavi; quas quidem in alia Codicum MM. SS. *Bibliotheca* (*Trebonenſi*) repertas, manu meâ (quòd Amanuenſes characterem legere non poſſent) deſcripſi; eſt *Liber de Apibus*, ſeu *Apiarius*, titulum præferens, quem dum illam Bibliothecam recenſerem, literâ A. notavi. In eodem Codice mihi auro contrà caro, deſcripta eſt *Vita S. Wenceslai*, & *S. Ludmillæ*, quam (quia hactenus Typi auxilio lucem non aſpexerat) in Epitomen noſtram inſerui; ago immortali DEO gratias, quòd in hunc Codicem tam præſtantem inciderim. Sed jam ad ipſas *Arneſti* aſpirationes veniamus, quas vel ideo adfero, ut Sanctitatis ſtudioſi ejus exemplo Methodum addiſcant, utiles, & præſtabiles libros legendi, útque eorum lectionem (quod hîc apparet) comitetur oratio, quæ cum Lectione *geminam alam* conficit (ùt alicubi probat Noſter *Nigronius*) quâ volemus in Cœlum, & vel in hoc vitæ mortalis carcere clauſi, æterna, & quæ mutari non poſſunt, mente guſtemus. *In Opuſculis ſpirit.*

In Codice M. S. Cœnobij Trebonenſis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, folio primo Codicis hæc leguntur:

Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Arneſtus Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ primus Archi-Epiſcopus Vir magnæ litteraturæ, miræq́ pietatis, tantæ erat contemplationis, quòd pauliſper nocturno tempore ſomni capiebat. ità quòd cùm compleret devotarum orationum Sacrificium matutinum, ſacris lectionibus inhærens in Lege Domini meditabatur. nocturna ſilentia (ùt religioſarum, & notabilium perſonarum ſibi commorantium veridicâ didicimus relatione) taliter indeſinenter expendendo. Inter cætera verò opera ſuæ devotionis idem Pater legendo Libellum de Apibus poſt quamlibet hiſtoriam ipſius libelli, ſeu narrationi manu ſuâ venerabili oratiunculam, qualem ſe à DEO diſponi ſecundùm narrationem ejuſdem hiſtoriæ affectabat, per modum cujuſdam recapitulationis in marginibus ipſius libelli conſcribebat. Quem quidem libellum ſic manu ſuâ propriâ annotatum de Monaſterio Saczenſi accepimus mutuatum, & eum reſcribi procurantes, etiam ipſas Oratiunculas ob memoriam ipſius & devotionem legentium, in præſenti noſtro libro in marginibus fecimus conſignari. Amen. Authoritas hujuſce libri ad B. Arneſtum pertinentis.

Incipit Prologus in *Librum de Apibus*, quem *bonum univerſale* vocant. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri Fratri Humberto Ordinis Prædicatorum Sacerdos humilis, cujus nomen ad præſens non urget neceſſitas nominari &c.* Hæc Author Apiarij.

Arneſtus: *Oro te D. DEUS meus, ſi quid boni fecero, nomen meum non nominem, & quæ ad ſtatum omnium, & maximè Prælatorum, & ſubditorum pertineant, revolvam. orari pro me ſollicitans.* B. Arneſti propoſita mentis nata ex ſacra lectione.

Ad Præfationem. *Uni Capiti Eccleſiæ, quod eſt, Chriſtus, tanquam Regi obediam.*

Ad Cap. I. adſcribit Arneſtus: *In moribus ſim ſincerus; famâ redoleam; cogitem, qualis ſit vita mea; gaudium habeam animi, hoc eſt, bonæ conſcientiæ; provocem alios ex vita mea, & in virtutibus complear, & hominibus non me ingeram. Veri Paſtoris vitam geram; materno affectu Eccleſiæ defectui condoleam, & pro his ad Orationes devotorum confugiam, ut Eccleſiæ dignus præficiar operam dem, officium meum maximâ humilitate prædicationi in baculo, & zelo animarum vacando exequar, nec fallar effectu. De honore, & divitijs non confidam. Per lites Eccleſiam non deſtruam. Deliberativus ſim, qualis*

qualis Prælatus eſſe debeat, ex Regulis Auguſtini, & Benedicti colligam. & plus factis, quàm dictis doceam; aliquem eligam, quo tanquam præſente, mores, & vitam meam corrigam, & eum imiter.

Ad Caput II. adſcribit Arneſtus: *Sapientibus mundi, & ſecundùm carnem nobilibus morigeratos, & ſpirituales viros præferam. Et ſi ante adeptam dignitatem levis vitæ fueram, nunc gravis in moribus, & in cura proximorum ſim ſolicitus. Subijciam me in omnibus rationi, & in rectum impetum meum dirigam.*

Ad Caput III. Arneſtus: *Cornua ad indignè promoventes elevata, totis viribus reprimam. Scientiâ, nobilitate, potentiâ non abutar. Proximos exemplo Joſeph traham, nè beatiſſimâ viſione DEIficæ faciei caream; flagellis tuis non abutar, ut cùm tempus habeo, operer bonum. Regibus recta conſilia dem.*

Ad Caput IV. *Aculeo, id eſt, ſeveritate, ſeu crudelitate caream. humilis, & mitis ſim. apud ſubditos meos in timore, & amore habear, irâ non abſorbear. Qualem in clementia te DEUM eſſe volo mihi, ſic alijs ſim. In virtute ſim conſtans.*

Ad Caput V. *Quòd unus principetur, & dominetur, operam dem. Schiſma & diviſionem non faciam.*

Ad Caput VI. *Coronam argenti, & auri, id eſt, eloquia Domini caſta, & puritatem conſcientiæ deferam in capite.*

Ad Caput VII. Arn: *Cultu veſtium ſuperfluo, & cibo non utar, Auguſtini exemplo, Chriſti, Joannis Baptiſtæ, & Benedicti. laſciviâ non diſſolvar. ſeorſum ob voluptatum epulas non conſideam. non me denudem libenter. immundus, & lubricus non ſim. alterius periculo corrigar: quamvis intolerabili labori, ipſam etiam vitam, pompas, & divitias contemnam, vocem illam attendens: quare pannus ante pannoſum? potiùs pauperibus, quæ habeo, diſtribuam, quàm ſæculares diſtrahant.*

De hac voce cœlitus miſſa, vide Caput citatum.

Ad Caput VIII. *Qui cæterorum pondus portare debeo, præ alijs charitate, & virtutibus excellam.*

Ad Caput IX. & X. Arneſt. *Querulo ſus propter occupationes varias non ſim, quia pluribus intentus. Sed tanto moderamine rerum ſpiritui ſerviam, ut ſuo tempore ſpiritualibus, temporalibus, & orationi vacem. Prædicatoribus, quia laudant, benedicunt, & prædicant, faveam.*

Ad Cap. XI. *Prælatum ſequar, & non ùt lupum fugiam. & ſubdito occaſionem fugiendi non præbeam. cum inferiore ſic vivam, qualem mecum meum velim vivere ſuperiorem, & clementer inſtruam, & cum eo converſer, ſtetit enim JESUS in medio diſcipulorum, & dixit: Pax vobis.*

Ad Cap. XII. Arn. *Chriſto D. obediam. non ſerviam ad oculum. Prælatum meum tanquam ſemper præſentem, reſpiciam, & ſi gravis ſit, ſolum DEUM precibus invocem adjutorem.*

Ad Cap. XIII. Arn: *Exeuntem Prælatum ad negotia ſubditi orationibus adjuvent, & compatiantur.*

Axiomata boni Paſtoris Eccleſiæ

Ad Caput XIV. *Per contemplativa non impeditur Regum familiaritas.*

Ad Caput XV. *Prælati priùs ſubeant gravia, quàm ſubditis imponant.*

Ad Caput XVI. *Nunquam Prælatus otietur, ſollicitetur circa actus ſubditorum etjam exempli gratiâ manibus laboret.*

Ad Caput XVII. Arn. *Solum, ubicunque ſit, non decet eſſe Prælatum.*

Ad C. XVIII. *Aſſiſtant Prælatis adjutores, & defenſores. Et moderatè debent vitia corrigi.*

Ad C: XIX. *Nota contra Prælatos impatientes quietis, & vagos.*

Ad C. XX. *Prælatus ad negotia ſinè neceſſitate non exeat. Item exire volens priùs ſe DEO devotè commendet. cura animarum, niſi ex cauſſa valde neceſſaria, periculum eſt.*

Ad C.

Digitized by Google

Ad C. XXI. Arn. *Prælati, errantes cum omni dulcedine revocent exemplo Chriſti.*

Ad C. XXII. *Intereſt cuilibet homini pacificè vivere. etiam exemplo irrationabilium odia, & diſcordias vitare, maximè Eccleſiaſticis.*

Ad C. XXIII. *De obedientia, & malis, qui non obediunt Superioribus.*

Ad C. XXIV. *Bellum cum orationibus contra Sathan ineundum.* Oratio eſt bellum cũ Satana.

Ad C. XXV. *Impoſſibile eſt Præſides non fatigari, & ſunt à ſubditis relevandi. Item diſſimulari poteſt nequitia, ſed non in longum.*

Ad C. XXVI. Arn. *Lugendus eſt Prælatus mortuus. Salvatoris Paſſio eſt valde plangenda, & mors pro eo expetenda.*

Ad C. XXVII. *Nullus præſumat de ſe, quia & diabolus Dominum tentavit, etiam in Cruce morientem. Item nullus decedit ſinè horrore dæmonum.* Liber II. de Apibus.

Ad C. XXVIII. *DEUS iratus multis non parcit. Orationibus bonorum totus mundus juvatur.*

Ad C. XXIX. *Priùs ſubdi debebant pecora homini, ſed modò homo homini. Item ſubduntur homines duræ cervicis propter peccata. Item Chriſtus habuit membra ligata, ſed patens os ad orandum.*

Ad C. XXX. *Adversùs Sacerdotem de facili non admittatur accuſatio.*

Ad. C. XXXI. *Clerici vilia ſervitia ſibi fieri non patiantur, maximè ab humilibus.*

Ad C. XXXII. *Tutius eſt in turbationibus ſtare.*

Ad C. XXXIV. *De diligendis, & honorandis Parentibus, in quo turpior eſt homo omni animali*

Ad C. XXX. VI. VII. *Nota, quàm diligenter laborandum, & otium vitandum ſit. Item excuſantur Prædicatores, & minores à labore manuum, & nota hîc de eorum ſpirituali labore. Nota hîc de B. Virgine Patrona. Quàm periculoſum eſt tribulare homines innocentes!*

Ad C. XXXVIII. *Simul eſt habitandum, & maximè religioſi non ſint ſinè ſocio.*

Ad C. XXXIX. *Religioſi propter hoſpites non fraudentur. Extra refectorium inordinatè, & ſinè debita cauſſa non eſt veſcendum. Nè facias ipſe, quod vetas.*

Ad C. XL. *Silentium commendatur, & maximè Religioſis.*

Ad C. XLI. *Nota pulchra de Pace, & priùs cum Deo, cum corde tuo, & proximo.*

Ad C. XLII. *Sancti diverſis, ſed non adverſis vijs diriguntur ad Patriam.*

Ad C. XLIII. *Hìc eſt meliùs corrigi, quàm in futuro. Natura licèt delicata, & conſvetudo, virtutis exercitio vincuntur.*

Ad C. XLIV. *Contra peccata rigiditas eſt habenda.*

Ad C. XLV. *Clauſtrales nimìs exterioribus ſe commodantes, fiunt iracundiores.*

Ad C. XLVIII. *Hoſpitalitas non ſit ſimulata.*

Ad C. L. *Felix MARIA propter virtutes ſingulares Api aſſimilatur.*

Ad C. LII. *Si non habes omnimodam virtutem, certes ſaltèm habere aliquam. Subveniendum eſt pauperi, ſuſcipiendus hoſpes, veſtiendus nudus. proximus non deſpiciendus, ſed fovendus.*

Ad C. LIV. *Prælati deficiente auxilio humano recurrant ad Orationes.*

Ad C. LV. *A ſervitio Chriſti nulla ætas excipitur.*

Ad C. LVI. *Virgo Sancta MARIA da veram Confeſſionem!*

Ad C. LVIII. *Libido fel dici debet omnium peccatorum. hoc vitium de omnibus eſt verecundum. Maxima pœna eſt peccare. Caſtitatem tueri licet, ſicut corporis vitam.*

Ad C. LX. *Propter peccatum gratuita perduntur, & etiam naturalia debilitantur.*

Ad C. LXV. *Maximè fructificantibus bona opera, nocere non debemus.*

Ad C. LXIX. *Grati eſſe Deo debemus, in Pſalmodia, & Cantu. Item de contemplatione animæ, quæ eſt mentis jubilus.*

Digitized by Google

Ad C. LXXIII. *Tempore Pacis, juſtitia, doctrina, & alijs bonis poterit vacari, non ſic tempore turbido. Nota: contra te, & negligentias, & procraſtinationes tuas, cùm tempus habes &c.*

Ad C LXXVII. *Applauſu Diaboli, & tinnitu, ſervi ejus gaudent, ùt in torneamentis, quæ valde ſunt periculoſa. Ludus taxillorum plenus eſt vanitate.*

Ad C. LXXVIII. *Conſcientiâ malâ nihil eſt triſtius. In morte cuilibet pavendum eſt. In morte, & in infirmitatibus, per diabolum vana, & præſumtuoſa exaltationis audacia ſuggeritur.*

Ad C. LXXIX. *Virtus vera Pœnitentiæ vita eſt animæ. Habitum negare in extremo vitæ non debemus. In recipiendis Apoſtatis pœnitentibus difficiles eſſe non debemus. Magna prudentia eſt in præſenti pœnitentiam agere.*

Ad C. LXXXI. *Ad mortuos plurima Sanctorum ſuffragia referantur. Magni peccati, & periculi eſt tardare, vel negligere Teſtamenta. Magna merces eſt inſcientes docere. Quàm bonum eſt dare operam, ut Sacerdotes fiant!*

Ad C. LXXXII. *Quàm feliciſſimum erit videre Chriſtum! Fratres non debent ſolicitari, quis eos ad refectionem ſuſcipiat.*

Ad C. LXXXIV. *Efficax locus deceptionis eſt diabolo, ſuper cibo & potu effuſo.*

Nocte dæmonibus plus permiſſum, quàm die.

Ad C. LXXXVI. *Nocte quadam Dæmonia virtutem nocendi accipiunt, quam luceſcente die habere non poſſunt.*

Ad C. LXXXVII. *Diligendus Deus, quia formoſus, bonus, dulcis, generoſus. ſemper ſuper ſe pingenda eſt manu Domini Crux contra dæmones, qui & dormientes vexant.* Ibid: *Nota hic contra Reges pretioſis, & purpuratis veſtibus utentes, & unam Miſſam audientes.*

Explicit Liber bonus de Apibus. Incipiunt quædam notabilia bona de gaudio, & pulchritudine cœleſtis Patriæ.

Arneſtus: *Summe Pater patra, ut in cœlo eſſe deſiderem, ad videndam tui vultûs claritatem!*

De devotione. Arneſt: *In ſpecie parvuli JESUM tuum videre deſiderem!*

De Pagano. Arn: *Omnia pro te relinquam, ut centuplum accipiam, & vitã æternam poſſideam.*

De Cruce. Arn: *Crucem aſſumam! amor mei me non trahat! horror viſi putei nunquam diſcedat à mea memoria.*

De B. Virgine. Arn: *Eccleſias libenter viſitem, & orem. contractos, & infirmos relevem. crucifixo obediam.*

Iterum de B. Virgine. Arn: *Eleemoſynas faciam, & B. Virginem frequenter ſalutem cum lacrymis. ad Confeſſionem veniam, ut à dæmone per MARIAM liberer! ad evadendum peccatum, confuſionem, & triſtitiam, ad MARIAM confugiam! dæmones non conjurem! & MARIAM, quæ ità mihi fideliter ſubvenit, ſemper honorem!*

De B. Virgine. *Ave MARIA, cum reverentia ante altare tranſiens dicam! & vitia, quibus delectatus ſum, deſeram! tibi Domine, & Matri miſericordiæ ferventiùs ſerviam, & in bonis operibus vitam præſentem finiam. Amore carnali in fœminam maximè illuſtrem non accendar! In omni tribulatione, & opere Ave MARIA murmurem! conſveſcam honorare Virginem, & ex devotione audaciam colligam. Et, ſi nîl aliud diſcere, & dicere poſſum, ſaltèm floridum, & aureum Ave MARIA ſemper ruminem! Ad ſpem ſalutis Divinis eloquijs reducar. Silebo ob honorem MARIÆ. ab omni latrocinio, & iniquitate ceſſem! Ego mutus, ſilebo: ob reverentiam in Cœlis coronatæ jejunem, & à peccato carnis omnino abſtineam, ut per Virginem à dæmonibus eripiar! In tribulationibus non turber! dæmonis voluntatem nequaquam perficiam, & Virginem nunquam abnegem. Lauta non quæram, ex viſione corrigar, ut Electuario Virginis refociller. Imaginem Virginis ornem.*

Ad

Digitized by Google

Ad C. de Sacramento Euchariſtiæ. Arn. *Corpus Chriſti valde reverear, ut qui peccavi omni modo peccandi in carne mea. Recipe me in gratiam tuam, & merear audire à te: recognoſco &c. Appropinquare ad Corpus Chriſti, nullus me horror impediat, & ipſum reverenter, & devotè ſuſcipiam, & ſaltèm unum Pater noſter cum Ave MARIA Corpori Chriſti ad honorem dicam, ut in fine viatico muniar. Devotè communicare cupiam, & utinam cùm communico, decantari audiam ab Angelis: ſpecioſus formâ præ filijs hominum. Ubi Corpus Domini invenero improvidè locatum, cum ſumma diligentia ad Eccleſiam deferam. O ſalutaris hoſtia &c.*

Ad C. de Pœnitentia. *De eo, quod malè feci, ſummè doleam, & noctes inſomnes ducam. Nullum in deſperatione ponam; pœnitentem benignè pertractem. hoſtiâ ſalutari, & eleemoſynis, & ſuffragijs peccata mea redimam, nè maximo tempore in Purgatorio puniar.*

Ad C. de Pœnitentia. Ar: *Honores non ambiam, & maximè ad Epiſcopatum non anhelem, nec pro favore Canonicorum expendam, vitam duriſſimam ducam, peccata lugeam, & paucitatem ſalvandorum reſpectu damnatorum ponderem. Hîc purger & corripiar. De omnibus factis meis ore infrunito crucier. Ubique peccare timeam, quia Dominus ubique eſt. occaſionem ex me alijs peccandi non dem. ex omnibus peccatis meis quaſi ſarcinam faciam ſemper illa deflens, & confitens. Nihil habeam terreni cum quo me occupem, nè per diabolum decipiar, & utinam tantùm pœniteam! quaſi beſtia reputer! manibus, & pedibus ſemper reptando, quouſq; me Dominus reſpiciat. bonitatem DEI circa me conſiderem. Deprecans conterar. ad miſericordiam peccanti, maximè pœnitenti flectar, tibi DEO me conformem, & te ſequar! Paupere petente, non turber, nec inſultem. penſem, quia omnes actus mei in ſtatera librabuntur. in tantum ſummus Eleemoſynarius efficiar, ut omnia mea dem Chriſti pauperibus. & utinam meipſum in ſervum venderem! illud pretium pauperibus largirer!* Ad C. de Eleemoſyna.

Ad C. de æterna gloria. Arn. *Quamdiu vivo jugem Paſſionis Dominicæ memoriam habeam, ut in corde meo gemmam ſplendidam ponam! ſemper triſtis cogitem de peccatis meis, de Chriſti Paſſione, & tormentis inferni, potiùs quàm jocunder.*

Ad C. de Paſſione Chriſti. Ar. *Utinam in vulnera Chriſti lateris omnia mihi dura intingerem, & ſic mihi ſapida fierent!*

Ad C. de Timore mortis. Arn. *Cogitationem de adventu judicis ad inſtar incarcerati ſemper habeam.*

Ad C. de Contemplatione. Arn. *Aliquod gaudium Paradiſi utinam in hac vita videre concederes!*

Ad C. de Amore. Arn. *Lætanter curram ad monaſterium, ſicut ad epulas per amicum meum Chriſtum invitatus. Propter cœlum, terram relinquam.*

Ad C. de Peccato. Arn. *In mea ſepultura Angelus bonus nares non obſtruat, & in conſpectu tuo propter peccata non fœteam.*

Ad C. de Paupertate. Arn. *Hîc etiam ut à bellùis manducer, & non in futuro puniar, & glorificem te ſuper tuis judicijs.*

Ad C. de vita ſolitaria. Arn. *Si in mea infirmite aliquis me non conſolabitur, ſaltèm Angelus Domini mihi miniſtret.*

Ad C. de Inſidijs Diaboli. Arn. *Chriſtum potiùs in illa vita, quàm in iſta videre deſiderem. De Scripturis Sanctis, & de utilibus conferam. Verba ſpiritualia, & non detractoria libenter audiam.*

Ad C. de Inſidijs Diaboli. Arn. *Ab aſtutia dæmonis ſub ſpecie bona mihi conſulentis caveam, & ab eo per Confeſſionem liberer, & ſic eum valde ſubtiliter decipiam.*

Ad C. de Tentatione Diaboli. Arn. *In tentationibus me ſigno crucis muniam, & ad Eccleſias, & crucifixi virtutem confugiam. Cùm tentor carnis vitio, orem illum Da-*

Digitized by Google

vidis verſum: Confige timore tuo carnes meas: nec putem me poſſe vivere ſinè tentatione. & ideo quandocunque venit, illi viriliter reſiſtam.

Ad C. de Oratione Arn. *Cæmiterium non tranſeam, quin pro defunctis exorem.*

Ad C. de humilitate Arn. *Partem majorem in cibo pauperibus reſervem. leproſum in neceſſitate non deſeram. Epiſcopum illum ſanctum naturam vincentem, & lingentem linguâ ſordes leproſi utinam imiter!*

Ad C. de Eleemoſyna. *Pauperes, & hoſpites invitem, & utinam inter eos Chriſtum reperiam!*

Hæc An. 1664. 24. Decembris exſcripſi; potiora, & lectiora ſcilicet; quæ minùs ſingularia viſa ſunt, omiſi.

§. LIX.

Vita Sancti Joannis Nepomuceni, Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis, Decani Collegiatæ Eccleſiæ ad Omnes Sanctos in Arce Pragenſi; ob arcanum Sacræ Confeſſionis ſervatum, in profluentem Muldavam abjecti, & merſi; qui Tutator & Patronus eorum habetur, qui infamiam timent, & de bono nomine amittendo periclitantur. Ex libris editis, & Veteribus MM.SS.

An. 1383. NUllum unquam tam infælix, tam ſterile, ac tam inimicum bonis ſæculum Chriſtianæ Reipublicæ illuxit, in quo naſci, & creſcere Virtus non poſſet, imò quæ deteriora fuêre tempora, eadem feraciora fuêre Sanctitatis; adverſa enim virtutem non frangunt, ſed faciunt, & factam corroborant, quod vel in *Bohemia* noſtra, *Wenceslai Regis ac Cæſaris* (*Caroli IV. Cæſaris* filij degeneris) Imperium ſatìs oſtendit, qui cùm Princeps eſſet *Ignaviſſimus*, idémque in luto ſangvine macerato (quod ei priùs in baptiſmo, & in Coronatione contigit) ſederet, id eſt, libidinosè, & crudeliter regnaret, tamen in tanta univerſi Regni à capite ſuo corruptela, *Eccleſia Bohemica*, & præcipuè *Pragenſis Metropolitana*, tam inſigni numero virorum ſummâ generis claritate, doctrinâ, rebus fortiter pro *Eccleſiæ immunitate* geſtis, vitæ innocentiâ ac ſanctimoniâ, cæteriſque magnorum Sacerdotum virtutibus lucentium abundavit, ut non *ferrea Neronis*, ſed *gemmea Conſtantini* tempora rediiſſe viderentur; de his illuſtribus *Pragenſis Eccleſiæ* Viris alio in Opere agemus, nunc *B. Joannis Nepomucenſis*, vel, ùt alij volunt, *Nepomuceni*, vitam, & mortem breviſſimo compendio perſtringam, ídque in *Arcani Confeſſionis Sacramenti* (cui ille vitam ſuam impendit) honorem. Ac nihil ego quidem dubitem, tanti *Martyris* vitam pridem conſcriptam in Antiquitate fuiſſe; at Hæreſis, quæ *B. Joannis* mortem excepit, ijsdem flammis, quibus *Cæno-*

Paulus Zidek in Chro: Boh. M.S.

In adverſis magis eminet virtus.

Cochl: in hiſtor. Huſſit. lib. 2.

Digitized by Google

Cœnobia omnia, & *Templa* apud nos arſerunt, corrupiſſe videtur; quæ igitur de *B. Martyre* adferemus, in multis Manuſcriptis, & Typo expreſſis Codicibus reperta, & in unum ſummâ fide collecta, non tam diligentiæ meæ, quàm fælicitati, quòd inventa ſint, adſcribantur.

CAPUT I.

Nativitas, educatio, & prima Pietatis, ac literarum ſtudia B. Joannis Nepomuceni.

NAtus eſt *B. Joannes Nepomucenſis* in Bohemiæ Oppido *Nepomuk*, vel ùt Veteres dicebant, *Pomuk* in Pilſnenſi regione, *Pragâ Bavariam* versùs magnis decem milliaribus. Oppidum *Nepomuk* artifodinis quondam nobile, tum religionis antiquæ veſtigijs, nec minùs monte, qui oppido incumbit, & *viridis* dicitur, celebratum eſt, quòd nimirum in eo Monte (ùt ex *Bohemicis Annalibus* conſtat) *S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus* Româ ad Bohemos ſuos rediens, multis annis negatam *Bohemiæ* pluviam, Sanctiſſimæ Crucis ſigno cum bonis precationibus in campos latè ſubtus jacentes efformato, ſtatim Cœlo deduxerit, & primùm hunc montem, totam deinde reliquam *Bohemiam* gratiſſimo herbarum virore recreârit. Quo Anno *B. Joannes* editus ſit in lucem, ſcire non poſſumus, ex ætate reliqua ſuſpicamur inter Annum 1320. & 1330. ortum eſſe. Parentes Oppidani, & mediæ fortunæ fuerunt, pietate magìs, quàm genere, aut fortunâ conſpicui; pietatis hoc indicium eſt, quòd ætate jam ſenectâ, cùm prole omni carerent, precibus, & votis ad *DEI Matrem*, quæ in ſtatua ſua ſub *viridi monte in Cœnobio Ciſtercienſium* religiosè colebatur, fuſis, impetrârint filium; cui ut affectûs erga *MARIAM DEI Matrem* ipſo nomine admoneretur, *Joannis* impoſuêre nomen; at non uno beneficio contenta *DEI Mater*, quæ nuper *ex utero ſterili Joannem* eduxerat, & propè creâverat, eadem recreavit: nam, cùm puellus *Joannes* in graviſſimum incidiſſet morbum, voto ad ejuſdem *Divæ Virginis* ſimulacrum edito, & oblatis in ætatem reliquam obſequijs, protinus ſurrexit incolumis. Sed ante id quoque ſervi ſui ſanctimoniam, & cœleſtem vitam cœleſti indicio comprobaverat DEUS: naſcente enim *Nepomuci Joanne*, ſereniſſimæ quædam flammæ cælo viſæ deſcendere, amabili, & innocenti luce, gratiſſimo Civitati ſpectaculo, totam *Domum*, in qua *Joannes* naſcebatur, circumfuderunt. Hoc flammarum augurium ſanctiſſimis quibusdam viris conceſſum, *B. Joannes* totâ reliquâ vitâ, ardentiſſimis ad Populum ſermonibus, & ignitis ad DEUM precibus approbavit, eædémque flammæ cœleſtes etiam mortuum ſunt comitatæ, & merſum in fluminis alveo prodiderunt. Sed in hiſtoria præverti non decet. *Puer Joannes*, ùt primùm fari per ætatem potuit, formulam ſacrificio Divino miniſtran-

Hagek in Annal. Boh. Pont. in Boh. Pia. Chan. in Veſt. Boh. Pia.

B. Joannes ex ſterili Conjugio natus.

B. Joañem radij lucis ſæpe comitantur.

Digitized by Google

ſtrandi exactè perdidicit,, eâque in uſum deductâ, nullo poſtea impellente, quotidie cum prima Aurora ex Oppido, ad *Ciſtercienſe Cœnobium* decurrere, omnibus ex Ordine, quotquot ſacra facerent Sacerdotibus ad aram ſervire conſvetudinem ſibi fecit, tantâ, támque pertinaci pietate, ut jam velut domeſticus, & ſacrificiorum ſtabilis adminiſter inter altaria verſaretur, quo parvo quidem in ſpeciem, ſed non planè futili ad extremum argumento, magnum aliquid ſe jam tum in *Puero Joanne* videre multi credebant. Erat ei cum dulci pietate, acre, vividum, & igneum quoddam ingenium, cui ut Parentes copiam creſcendi darent, *Zatecium* ad celebres Latinitatis ſcholas miſerunt; hîc elementa *Grammaticæ Latinæ* prima, ac reliquas Humaniores diſciplinas egregio profectu, & rarâ ingenij commendatione percepit. præcipuè juveni ad bonas ſpes genito *Eloquentia* placebat, ad quam eum natura ipſa conformârat, & finxerat. Plerumque enim Genio, & ingenio ducente in ſtudijs noſtris ſequimur, quod nos aſſequi poſſe confidimus; ſine ſpe captare profectum, irritus labor eſt. Cùm jam *Zatecij* nihil reſtaret diſcendum, ad altiores ſcientias, & non lingvam tantùm, ſed pectus ipſum excolendum, *Pragam* contendit. Paulò antè ea tempora *Univerſitatem ſtudiorum Pragæ* excitârat *Carolus IV. Imperator*, & conquiſitis ex omnibus literatis Regionum urbibus (*Paduâ*, *Bononiâ*, *Pariſijs*) Magiſtris, omnis doctrinæ humanæ, & Divinæ Scholas aperuerat; ad eos ſeſe applicuit *Joannes* noſter, ac primùm *Philoſophiæ Magiſter* inter primos, tum *Theologiæ*, ac Sacrorum *Canonum & Decretorum Doctor* creatus eſt; Theologiam ad Eccleſiam *Collegialem S. Apollinaris* (ubi ea frequentiſſimè docebatur; nam ex vicina *Wiſſebradenſi Eccleſia Clerici* omnes huc itabant) audiviſſe conſtat ſub optimis Magiſtris; cæteras ſcientias, in quibus Collegijs perceperit, incertum eſt.

Sancta pueritia B. Joannis.

ſtudia ejus.

Acta Decani Philoſ. Facult. Carolinæ Uni: M. S. Archiv. Carolinæ Uni:

Regula Sacroſanctæ Wiſſehrad. Eccl. M. S.

C A P U T I I.

B. Joannis Sacerdotium, cura animarum, tum cætera munia, & honores.

JAm pridem ex quo literis dare operam cœperat *Joannes*, ad Sacerdotium & animarum obſequia vocari ſe ſenſerat, ardentiùs etiam cùm prope metam eſſet, ad id ferebatur; quamvis verò ſtudijs literarum, Pietatem, & virtutem ſemper conjunxerit, tamen cùm exiſtimaret, quo quis magìs ab animi cultu comparatus ad ſuſcipiendos *Sacros Ordines* accedit, eò poſtea fæliciùs in animarum ſalute verſari, integrum menſem ab omnibus profanis negotijs vacuum, Sacerdotio præmiſit, quem menſem totum in affligendo corpore, repurgandâ conſcientiâ, impetrandis cœleſtibus ad tantum, támque Divinum munus auxilijs, piíſque commentationibus, & in providentia, & conſilijs in futurum, traduxit. Ex hac ſolitudine egreſſus, & ſacris, initiatus,

Quomodo ſeſe ad Sacerdotium ſuſcipiendum comparârit.

Digitized by Google

tus, cùm nullas ad populum phaleras, & *mulſa*, ùt ait Comicus, *dicta*, ſed ſpiritu Divino animata verba, & Divina ſenſa velut haſtas amentatas, aut potiùs ipſos currus falcatos in ſubjectam Concionem ex alto immitteret, & regnaret in animis, ex Auditorum motu, lacrymis, & magìs emendatione vitæ, brevì præſtantis *Eccleſiaſtæ* nomen apud Pragenſem populum eſt adeptus. Itaque commendatione omnium, *Joanni* in Baſilica Beatiſſimæ Virginis ante *Lætam Curiam* (vulgò *Tein* vocant) in *Antiqua Urbe Pragenſi*, primario Urbis loco, Concionandi munus imponitur. Difficile videbatur, Auditores maximis Concionatoribus audiendis aſſvetos tenere: ſuccedebatur *Conrado ab Auſtria* (quem unum ætatis ſuæ diſertiſſimum *Praga* crediderat) ſuccedebatur *Joanni Militio* non ità pridem extincto, quo dicente, unà omnes Matronæ Pragenſes luxum veſtium abjecerant, Meretrices magno numero Cœnobijs pœnitentes ſeſe incluſerant, Lupanaria Cives dejecerant; tamen *Joannes* noſter omnem illam Populi exſpectationem implevit, & deſideria priorum extinxit, prudentiſſimâ modeſtiâ, contentioſo genere dicendi, & invidioſis in *Ordines Mendicantes* invectivis ſemper abſtinens (ùt tum erant tempora) quod ſuperioribus illis grave apud multos odium, *Romæ* accuſationes, ac propè exitium legimus attuliſſe. Jam *Joannis* labor, doctrina, virtus, & parta tot meritis apud omnes authoritas altiorem gradum merebantur; itaque *Joannis Archiepiſcopi Pragenſis* commendatione, de communi *Canonicorum* omnium ſententia, in *Collegium Canonicorum S. Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ* adlegitur, ſimúlque ei in *Eccleſia S. Viti Metropolitana* ante Cæſarem concionandi munus offertur; diu *B. Joannis* modeſtia expugnari non potuit, cùm ſe eo loco indignum diceret, omnium denique vocibus ſuperatus eſt, clamantium: *Joannem* eò digniorem eſſe, qui non ùt cæteri, honores quæreret, ſed ab honoribus quæreretur. *Canonicus B. Joannes*, in *Eccleſia S. Viti*, compluribus annis *Eccleſiaſtæ Bohemici* munus obijt, quem non modò Rex, & Aula univerſa, ſed ipſi etiam qui olim in *Tein* audierant, ſequebantur. Præcipuum Concionum argumentum pœnitentia fuit, tum adversùs licentiam Nobilium, & aulæ, adversùs ebrietatem, quæ tum invaluerat, adversùs luxum, ac cæteros corruptiſſimi illius ſæculi mores contentio; nondum *Wenceslaus Imperator* ad imum malorum devenerat, itaq; viri doctrinâ, ſapientiâ, & interioribus literis captus, audito *Joanne*, multa faciebat. Tradunt Veteres Memoriæ, cùm fortè per id tempus *Sedes Epiſcopalis Litomiſſlij* vacaret, à *Cæſare Joannem* ad id munus fuiſſe propoſitum, ſed *Joannes* oblatam dignitatem recuſavit accipere, multíſque allatis in ſpeciem probabilibus cauſſis evicit. *Præpoſiti Wiſſehradenſis* dignitas eo tempore par erat primis; *Princeps, Regni Cancellarius*, primus poſt Archiepiſcopum Regni Primatem, *Præpoſitus Eccleſiæ* illius habebatur; adde opum vim: nam annui Proventus ad 80. florenorum Ungaricorum millia aſcendebant;

Celebris Eccleſiaſtes evadit.

Honores B. Joanni collati.

Argumentum ejus Concionũ ad Aulicos.

Divitiæ Eccleſiæ Wiſſehradenſis

Digitized by Google

debant; ſumma ingens, quæ nondum apertis navigatione Indijs, alterum tantum in hodierna Moneta conficeret; hæc quoque dignitas *B. Joanni* à Wenceslao Rege ac Cæſare oblata eſt, ſed & hanc repudiavit, quòd abſtrahi à lucris animarum, & à ſacris Concionibus nollet; illud nullis precibus effugere potuit, ſcilicet *Eleemoſynarij* munus (dignitas eſt in Aulis Regum uſitata, & gratioſa) à *Rege & Regina* oblatum; quo in munere ità ſeſe probavit, ut ejus dexteritatem, & ſolertiam Aulici, miſericordiam Pauperes, prudentiam, & in diſtribuendo Juſtitiam commendarent omnes. *Decanum* inſuper *Collegialis Eccleſiæ ad Omnes Sanctos in Arce Pragenſi* nihilominus *B. Joannem* hoc tempore fuiſſe *Paulus Zidek* affirmat. Creſcebat in dies viri Sancti authoritas; itaque *Imperatrix* (*Johanna nomine Alberti Bavariæ Ducis, & Comitis Hollandiæ filia*) Matrona candore animi, morum innocentiâ, pietate, ac cæteris virtutibus ſpectatiſſima, quæ *B. Joannis* ſacrâ dictione mirum in modum tenebatur, & validiſſimè ad omnem virtutem ſe incitari ſentiebat, hunc ſibi Conſcientiæ ſuæ arbitrum, hunc vitæ Magiſtrum, hunc Patrem delegit. Valuit ad plures exemplum: Religioſæ Virgines in *Parthenone* ſacro ad *D. Georgium in Arce Pragenſi*, & ipſæ *B. Joanne* docente, & ducente ad ſummum Religioſæ virtutis apicem, non tam paſſibus, quàm volatibus ferebantur. Veteres quædam Memoriæ addunt, *B. Joannem Metropolitanæ Eccleſiæ Decanum* hoc tempore electum eſſe; at cùm Inſcriptio ſepulchri hoc titulo careat, & meliores Codices non ſubſcribant, credibile eſt, errorem ſubeſſe. Id certius in *B. Joanne* hoc tempore, *Sanctam Pragenſem Eccleſiam* Oraculum quoddam doctrinæ, atque ut ſic loquar, *ſententiarum Magiſtrum* habuiſſe; tanta enim erat de viri virtute, & ſapientia exiſtimatio, ut quidquid *B. Joannes* conſultus ſtatuiſſet, id partes velut æquitatis plenum probarent, ac ſinè contradictione ſequerentur, atque ejus rei veteres quidam Codices faciunt fidem, ubi in cauſſis difficillimis, quæ per ſententias Judicum finiri non poterant, *Joannes Nepomucenus Arbiter, atque* (ùt illi loquuntur) *Laudator* eligitur, ídque *B. Virum* fiduciâ doctrinæ & pacis amore ſuſcepiſſe, ac pronunciâſſe, ex ſententijs ipſis, quæ recitantur, cognoſcimus.

Zidek in MS. ad Regē Georgium.

Confeſſarius Reginæ & Cœnobij Georgiani; tum Eleemoſynarius Regis.

CAPUT III.

B. Joannes ad prodendam Reginæ Confeſſionem à Cæſare necquicquam ſollicitatur.

Wenceslaus Rex deterior evadit.

Chron. magnū Belgij. Paul. Zidek in M.S. ad Reg. Georg.

INterea *Wenceslaus Cæſar* (ùt lubrica omnis nequitia eſt, & in deſcenſum, & caſum præceps) quotidie ſeipſo evadebat deterior: *Reginam Joannam*, quam oderat præſentem, & ferre non poterat, eandem abſentem deperibat. Pravum de ſe, & educatione corruptum *Wenceslai* ingenium (ùt multorum fert opinio) philtris quibusdam magicis efferaverant, & prorsùs ex malo inſanum effecerant ſcelerum adminiſtri. Non eſt hîc locus licentioſam illam

illam, cruentam, & maculoſam vitam deſcribendi; eorum temporum conſulantur *Annales*. Annus agebatur poſt Chriſtum natum 1383. *Regina*, *Wenceslai* quotidianis ſceleribus offenſa, cùm nullum ex rebus humanis ſolatium ampliùs caperet, neque per mariti ſuſpicioſos oculos capere poſſet, crudelitatem maximè *Wenceslai* perhorreſcens, qui etiam menſam, dapéſq; Regias cædibus, & ſangvine aſpergere nihil penſi habebat, quod tutiſſimum videbatur, omnem mundi amorem abjicere, uníque ſe DEO totam (quantum vita conjugalis ſineret) donare conſtituit. Nulla res animum, DEI amore ſemel occupatum, magìs DEO adſtringit, quàm gravis, diuturna, & quam tuo capiti continenter impendere videas, calamitas. Itaque *Regina* Tribunal ſacrum adire frequentiùs, cum lacrymis minimas quasque labeculas aperire, afflictare ſeſe, egenorum curam ſuſcipere, DEUM aſſiduè precari, ut meliorem *Cæſari* mentem dare vellet, orare. Quod *Wenceslao*, ſi ſaperet, placere debuerat, id vertit in odium; inceſſit deinde libidinoſum, & furioſum *Regem* cupido: ſi quo pacto reſcire poſſet, quid *Regina* ad ſacrum Tribunal adferret, quas præcipuè noxas aperiret, quid de ipſo marito cogitaret, an quem alium amaret, aliáque hujuſmodi, quæ ſibi ſtulta Tyrannis amore accenſa, & ſuſpicionibus cincta, poteſt & ſolet confingere; hæc ab ipſa *Regina* interrogando exprimere non poterat. Vocat *B. Joannem*, quem unum omnium ſecretorum conſcium eſſe ſciebat, tum quaſi aliud agens, mentione *Reginæ* injectâ ad *Confeſſionem ſacram* paulatim delabitur: Uxorum eam eſſe ſubjectionem, & conditionem, ut earum omnia marito nota eſſe oporteat, maximè in familijs Regum, ac Cæſarum; opes deinde, honores, & quidquid fælicitatis à ſe *Joannes* exſpectare poſſet, verbo Regio pollicetur, ſi induceret in animum, vel pauca quædam, quæ *Joanni* in Tribunali ſacro *Imperatrix* confeſſa eſſet, uni ſibi concredere; id ſibi pro omni ſolatio futurum. Exhorruit ad ſceleratas Preces *Vir Beatus*, & gravi, liberâque oratione, quantum crimen eſſet, quod petebatur, oſtendit, damnaret proinde curioſitatem ſuam *Rex*, & quod fieri non poſſet, deſiderare etiam omitteret. Cõmovit objurgatio hæc ſulphuratum, ut ità dicam, *Principem*, repreſſit tamen ſeſe, cùm cogitaret, ſæpe qui in primo aſſultu, & conatu fortes ſe probârint, ad ſecundum, & tertium molleſcere, & loco cedere; primam hanc admotam eſſe machinam, quæ, ſi non proceſſerit, fortiorem ſe admoturum, quæ victoriam extorqueret. Nec diu abſuit, quod animum ægrum exulceraret magis: fortè *Cocus Regius Caponem* malè aſſum ad Regis menſam miſerat; ea res improviſa in tantam egit rabiem *Wenceslaum*, ut omnis humanitatis oblitus *Cocum* alligatum verubus continuò admoveri flammis juſſerit; perculſi barbarâ crudelitate Aulici omnes horrore pallere, ſe mutuò intueri; videbant ſi quid paululum titubâſſent, eadem ſibi ſupplicia parata, itaque attoniti factum ſilentio damnabant; unus *B. Joannes*, qui

Regina pietati totam ſe addicit.

Solicitatur à Cæſare B. Joannes ad arcana Confeſſionis prodenda.

Chro. Mag. Belgicum apud Marqv. Freher.

Cæſar à B. Joanne reprehenſus exardeſcit.

tum verſabatur in Aula, poſtulato ad *Cæſarem* aditu intrepidè acceſſit, ac primùm verbis mollibus negotium tractare, cúmq; apud iratum, & ſui impotentem *Principem* nihil valerent, ſententijs gravibus facti atrocitatem explicare cœpit. Pauciſſima verba *Joannes* protulerat, confeſtim irritabilis, & crudeliſſimus *Princeps Satellites* inclamat, nullâque Sacerdotalis, & honoratiſſimi Ordinis reverentiâ, nullo etiam ad Majeſtatem Regiam reſpectu, rapi, & in ultimum carcerem detrudi jubet; ibi aliquot dies ſqualore, & horrore loci, triſtiſſimíſque tenebris, tum fame, & ſiti propè enectus exegit, in DEO ſolo acquieſcens, eóque lætus, quòd pro ejus honore, & amore dignus habitus eſſet & carceres, & contumeliam pati.

Conjicitur in carcerem B. Ioannes.

CAPUT IV.

B. Joannis fortitudo, & conſtantia in tormentis; extremáque ejus ante mortem geſta.

NOn ignorabat *B. Joannes*, quò Regis ira ſpectaret: nam etiam *Carceris Cuſtos* monuerat, unam eſſe ſalutis viam, ſi *Cæſar*, quæ petierat nuper, impetraret; at *Beatus Martyr* obfirmârat animum, & millies mori, quàm quidquam ex ſacra Confeſſione efferre decreverat. Pauculi dies intercеſſerant, cùm ecce honoratus Vir à Rege miſſus apparens, nunciat: Regem eorum pœnitere, quæ in *Joannem* illiberaliter admiſiſſet, proinde obliviſceretur, quæ geſta eſſent, ac liber abiret; ſed ut firmior foret receptus ad gratiam, *cras* ad Menſam Regiam nè gravaretur accedere; venit *Joannes*, & ſummâ ſignificatione honoris, menſæ Regiæ adhibetur. Remotis menſis, & arbitris, *Cæſar* cauſſam, cur ad ſe accerſiri juſſerit, aperit, quieſcere ſe non poſſe, dum quæ *Regina* in ſacra Exomologeſi in aurem dixerit, & peccata ex ordine omnia, pandat; miſcet blanditias, pollicetur ſilentium, modò dignitates, & præmia offert, modò carnificinas omnes minatur, nolit iram priùs experiri, quàm gratiam. *B. Joannes* excelſo animo honores perinde, ac minas contemnere, *Confeſſarij* munus explicare, ſilentij Sacroſanctam legem extollere, pœnas temporales, & ſempiternas ijs, qui ſecretum non tenuerint, conſtitutas, exaggerare, denique *Regem* monere, abſtineret captandis, quæ uni DEO cognoſcenda ſervantur; ſinè Sacrilegio talia tentari non poſſe; in cæteris omnibus Regis imperia adorare ſe, unum hoc deprecari, quod ſi mille mortes ſubeundæ eſſent, non faceret. *Rex* ardens iracundiâ ſinè mora *Carnificem* (quem ſemper habebat ad manum, & *Patrinum* per delicias appellabat) cum ſocijs adeſſe jubet; à quibus ad carcerem tractus crudeliſsimè in cataſta extenditur, & facibus admotis torquetur. Adfuiſſe ſupplicio Cæſarem (etſi id à nemine traditum legerim) cætera ejus vita probabilem facit conjecturam, quòd ſpectaculis ejuſmodi oblectari, & oculos paſcere conſueviſ-

Iterum B. Joannes à Cæſare ſollicitatur.

Torquetur in carcere; ejusdem in tormentis conſtantia.

Digitized by Google

ſveviſſe accepimus, tum etiam, quòd ſperaret jam ſe in tormentis auditurum tandem, quæ nunquam antè *Joannes* efferre voluiſſet. At *Vir Beatus*, *&* *Chriſti Martyr*, abſtractâ, quantum licuit à ſupplicijs præſentibus mente, ſacra JESU, & MARIÆ nomina ingeminans, nullum aliud verbum prolocutus, dolores omnes ſuos, vitam & mortem Domino commendabat. Nihil ſibi diligentiæ ad ſummam diritatem reliquum fecêre cruenti *Carnifices*, præſertim *Cæſaris* urgente præſentiâ, tamen omnis illa carnificina intra *Joannis* patientiam fuit; denique, cùm proficerent nihil, defeſſi, *Cæſare* abeunte, deſiſtunt, ac de cataſta depoſitum deſerunt. Veteres codices cœleſti conſolatione recreatum *Joannem* ſcribunt; at qualis ea conſolatio fuerit, an interna quædam ad animum Divinitus allapſa, an etiam externa ex *Sanctorum Angelorum* colloquio, & aſpectu (ùt ſæpe alijs *Viris ſanctiſſimis* eveniſſe legimus) non explicuerunt. Poſthæc *Imperator*, nè quâ res emanaret veritus, ſive *Imperatrice* agente, quæ fortaſſis attineri *Beatum Virum* inaudierat, quem ipſa *Patris* loco habebat, *Joannem* dimittit. *Joannes* quaſi nihil paſſus, tam gravem injuriam ſilentio concoxit, nulli ſuorum aperiens, & curatis, quæ tormenta fecerant, vulneribus, vetera ſua munia, majori quàm unquam antè ſpiritûs ardore, repetere cœpit, eo pacto ſeſe comparans ad mortem, quam ex importuniſſima *Wenceslai* natura, & humani cruoris avidiſſima iracundia, paulò pòſt inferendam ſibi dubitare non poterat. Ad ſtationem itaque ſuam reverſus, cùm ad *Concionem in Eccleſia S. Viti* diceret, verba illa Chriſti: *Modicum videbitis, &c*: *jam non multa loquar vobiſcum*, identidem repetens, vultu læto, & facili, mortem ſibi pro Chriſti legibus oppetendam diſertè prædixit, tum cœleſtibus oraculis factâ ſemel viâ, *Spiritu Prophetiæ* plenus, lacrymis ubertim fluentibus, futurum *Bohemiæ* ſtatum, & venturas brevì calamitates deſcripſit: hæreſin ab inferis ſuſcitandam, cui ſacra, & profana perinde forent, nullúmque faceret diſcrimen; Eccleſias omnes, & Cœnobia per *Bohemiam* arſura, quædam etiam dejicienda manibus, ſacros, & religioſos viros omnibus tormentis perituros; denique exitium univerſæ Religionis inſtare (penè incredibilis res viſa, fælicem id temporis *Eccleſiæ Bohemiæ* ſtatum cogitantibus) extremâ Oratione vale fecit omnibus, ac præcipuè à *Pragenſis Eccleſiæ Prælatis, &* *Canonicis* humillimis verbis veniam poſcens, ſe, vitámque ſuam, ac vitia multis accuſans, finivit, magno luctu, & in re tam nova, admiratione omnium auditorum.

Silentium admirabile B. Joannis.

Domin. 3. poſt Paſcha Joan. 16.

Spiritu prophetico multa prædicit B. Joannes pro Concione.

CAPUT V.
Beati Joannis Nepomucenſis mors, funeris celebritas; utrumque pluribus miraculis conſignatum.

Boleſlaviã adit Peregrinus.

PAucis pòſt diebus *B. Joannes Boleſlaviam* ad antiquiſſimam totius *Bohemiæ* Divinæ Matris Effigiem à Sanctis Slaviçæ gentis Apoſtolis, *Cyrillo & Methodio* (ut multi ſuſpicantur) ex Oriente allatam (quæ eo in loco magnâ Populi veneratione colitur) iter ſuſcepit; ibi quàm liquido Pietatis, & amoris ſenſu *Cæli Reginam* (cui à prima ætate conſecraverat ſeſe, & in qua ſpes omnes ſuas habebat repoſitas) orârit, ut ſibi paulò pòſt morituro adeſſet, ut filium propitium redderet, etſi manuſcripta nihil dicant, quisque ex *Joannis* in *DEI Matrem* amore, ex periculi magnitudine, ex vicinæ mortis horrore, facere conjecturam poteſt. *Pragam* veſpertinis horis *Boleſlaviâ* revertentem *Joannem Wenceslaus Rex* tum fortè, ùt erat otioſus Princeps, è feneſtra proſpectans, obſervat. Recurrunt extemplo furioſo Principi omnes illæ triſtes de *Regina* Conjuge imagines, dolebant acceptæ toties à *Beato Joanne* repulſæ, neque jam animum regere poterat; ergo non hominem, ſed dæmonem ſpirans, mittit continuò qui *Joannem* accerſant, neque multis, ùt in præcipiti ira, uſus eſt verbis: *audi*, inquit, *Sacerdos, moriendum tibi eſt, niſi è veſtigio jam hic Conjugis meæ Confeſſionem, & quidquid unquam illa tibi confitens dixit, ordine exponas. Juro DEUM* (quæ verba ſolennia, & uſitata *Wenceslao* fuerunt) *Aquam bibes!* merſionem in flumine eâ voce *Cæſar* volebat intelligi. *Beatus Joannes* indignum ratus eâ de re toties obtundi, nullis verbis, ſed toto capite ſacrilegium averſatur. Vix ſignum dederat, jam Sanctiſſimum Virum validiſſimi Satellites circumſiſtunt, Rege clamante, atque inter manus in aliud cubile ſublimem deportant. Vitatum populum ſignificant vetuſti Codices; nocte ad pontem, qui *Muldavæ* flumini impoſitus, *Pragenſes Urbes* duas Veterem & Minorem, conjungit, deducitur, DEOque mortem ſuam ardentiſſimis precibus, & ſuſpirijs commendans, in ſubjectum flumen ex ponte dejicitur, mergitúrque, 16. Maij A. 1383. Mortem, quam occultam eſſe *Cæſar* voluerat, ſtatim cæleſtia prodidêre miracula: ignes, qui olim *B. Joannem* terris naſcentem oſtenderant, ijdem mortuum, & cœlos intrantem cinxerunt; totus continuò *Muldava* reluxit: vidiſſes innumera, & miri candoris lumina, quaſi pace cum elemento aquæ factâ, toto fluvio innatare (& comodùm id temporis excreverat flumen, & latiùs, atque altiùs attollebantur fluctus) numeroſiores, & majores faces corpus *B. Martyris*, quod ſecundo flumine paulatim deſcendebat, comitabantur, inde aliæ, aliæque ſequebantur flammæ, uti ſi pompam funeris dedu-

Rurſus tentatur & cùm nihil ab eò impetrari poſſet, abjicitur juſſu Regis in flumen.

deducerent. Effuſa ad ſpectaculum tota Civitas utrinque quid factum eſſet, aut quid fieret, mirabatur; *Reginam* quoque *Johannam* ex Arce Regia deſpectantem, & omnis rei hactenus ignaram tam novum ſpectaculum attraxit; curſu illa ad *Cæſarem maritum* contendit, miracula luminum oſtendit, & innocenti ſimplicitate, quid iſtud ſibi velit, interrogat; percuſſit illico animum ſceleris conſcientia, & viſo cœleſti miraculo, velut fulgure perſtrictus proripuit ex conſpectu ſeſe, ac ſeu timore, ſeu vero, aut ficto dolore triduum abſtinuit publico, neminem nisì neceſſarium admittens. Totâ nocte circùm Corpus *B. Martyris* luxerant flamæ, dies quid factum eſſet, oſtendit: jacebat in arena corpus exanime, ſuo in habitu, vultu placido, ac renidenti decentiſsimè compoſitum; ſtatim totâ urbe ſpargitur rumor, neque diu cædis author latere potuit, cùm plura ejuſmodi crudelitatis exempla *Cæſar* edidiſſet, & conſcij Carnifices, Aulici, Satellites neſcirent tacere. Tandem ad *Canonicos Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ* fama rei geſtæ pervênit, qui adornatâ ſupplicatione *Sanctum Fratris* ſui corpus ex flumine honorificè levantes, ad *Eccleſiam* proximam *Sanctæ Crucis Religioſorum de Pœnitentia* tantiſper depoſuerunt, dum glorioſius ſepulchrum in *Eccleſia Metropolitana* pararetur. Hæc *Canonicorum* pietas cum inſigni fortitudine animi conjuncta (quis enim cruentiſsimi, & tam irritabilis Principis iram non pertimeſceret? aut ſuſpectam habere non poſſet?) ſinè præmio non fuit: cùm enim Loculum in *Eccleſia S. Viti* effodiunt, Theſaurum, & multa auri, argentíque talenta, ac cæterarum rerum pretia reperiunt defoſſa, quaſi Sanctus Vir pro tumulo ſuo, & honore ſepulchri eam *Eccleſiæ, & Canonicis* deputâſſet mercedem. At inferiùs in *S. Crucis Eccleſia*, innumera hominum vis ad ſacrum corpus videndum affluxit, primúsque ille cultus *B. Martyris*, à Populo fuit: conſtantiam, & fortitudinem deprædicare, pedes, manúſque certatim oſculari, ejus ſeſe precibus comendare, ſacrum corpus reverenter contingere nullum faciebant finem. Non ità ſe in familiares tenebras abdiderat *Imperator*, ut quæ circa corpus fierent, ignoraret. Itaq; (ùt ſunt omnium, qui Tyrannicos habent animos, ſuſpicioſa, & violenta conſilia) Satellites cum Mandatis ad Religioſos illos Viros mittit; *novâ re abſtinerent, Tumultum non concitarent, arcerent turbam, & Joannis Nepomucenſis corpus procul è conſpectu in angulum aliquem abijcerent.* Fiebat, quod *Rex* imperârat, ſollicitè, ſed majore *B. Joannis* gloriâ, ſiquidem clauſum corpus tantam ex ſeſe cœleſtis odoris fragrantiam effundebat, ut occultari non poſſet, magnóque iterum hominum concurſu locus celebrabatur. Jam parata erant funeri omnia, *Canonici*, *Clerúsq;* univerſus, comitante innumerâ Populi multitudine, campanis totâ urbe perſonantibus ſupplicationem adornant, *& Beati Viri* corpus ex *Eccleſia S. Crucis* (tanto intervallo) ad *Arcem S. Wenceslai ad Metropolitanam Eccleſiam* deportant. Obſequendum populo petenti fuit, rurſúsque apertâ funerali

Prodigia in morte.

Theſaurus dum ſepulchrum effoditur, repertas.

Juſta funebria.

Digitized by Google

Arcâ ad venerationem oſtenſus eſt; ægros plurimos contactu ſacri corporis curatos vetera Manuſcripta teſtantur. Tandem, ut aliquando finis fieret, humatus eſt cum lacrymis; paupéres præcipuè, quorum erat Pater, planxerant; grandis lapis ſuperjectus poſtea cum Inſcriptione, quam hodiéque legimus: *Honorabilis Dominus Magiſter Joannes Nepomucenus, hujus Eccleſiæ Canonicus, Reginæ Confeſſarius, quia Sacroſancti Confeſſionis Sigilli Cuſtos uſquè ad mortem fuit, à Wenceslao IV. Bohemiæ Rege Caroli IV. filio, tormentis tentatus, ex Ponte in Muldavam præcipitatus, miraculis clarus, hîc jacet ſepultus. An. D. 1383.* Hactenus Inſcriptio. At *Regina Johanna*, poſteaquam de morte *B. Joannis*, quem habebat pro Patre, triſte nuncium accepit, eámque mortem ſuâ cauſsâ à crudeli conjuge illatam perſpexit, (ſunt enim, qui in cæde *Joanni* irroganda, *Regem* de Regina toties monente *vindictam* quæſiviſſe affirment) cùm nullam præterea ex tot & tantis malis evadendi viam videret, in gravem animi ægritudinem lapſa, carpi paulatim cœpit, & quarto abhinc Anno contabuit. Mortua An. 1387. 1. Januarij, ùt contra *Hagecium Lupacius* oſtendit.

Sepulchri inſcriptio.

Lup. in Cal: hiſt. ad 1. Januarij.

CAPUT VI.

De veneratione, & cultu, qui velut Beato, & Martyri Joanni Nepomuceno ab omni memoria tribuitur.

S. Joannes Nepomucenſis velut Martyr ab immemorabili tempore colitur.

Illud univerſim, antè quàm ad miracula veniamus, præmittendum eſt: etſi hujus *Beati Viri* memoria, neque ſacrificio, neque Divino officio honoretur in Templis (quod ſinè Sanctæ Sedis authoritate fieri non poteſt) reliqua tamen omnia, quibus *Divorum* nomina conſecrantur, ad Tumulum adhiberi: itaque quicunque ad ſalutandos *Sanctos Bohemiæ Patronos, Vitum, Wenceslaum, Sigiſmundum, Adalbertum*, eorúmque ſacra corpora veneranda in *Metropolitanam Eccleſiam Pragenſem*, Proceres, Nobiles, Sacerdotes, Prælati, Canonici, Religioſi, Matronæ, verbo: minimi, maximíque conveniunt, *B. Joannis* Tumulum nunquam omittunt; hîc provoluti in genua ſupplicant, preces ad eum fundunt, ejus opem implorant; ſuſpenſa eſt ad ſacrum Tumulum *Tabella*, Latino, Bohemico, & Germanico idiomate, quæ Orationem exhibet ad *S. Joannem Nepomucenum* (hic enim eſt titulus) eam recitare Populus conſvevit; pendent hinc atque inde cerea lumina, & varia Anathemata, tum *B. Joannis* imago radiata, Tumulus cratibus ferreis duplici ordine permunitur, laminis depictis, in quibus *Joannis* nomen legitur, ditúrque vox *Martyris & Beati*; Lampas Tumulo *B. Joannis* impendet, ardétque. Alias faces cereas propè quotidiana Piorum hominum liberalitas accendit; earum quædam humani corporis magnitudinem æquant; his faci-

Exempla hujus cultûs proferuntur.

Digitized by Google

facibus conſumtis novæ ſemper liberaliter apponuntur, ab ijs præſertim, qui ſe ad *B. Joannis* tumulum cœleſte aliquod beneficium accepiſſe lætantur. *Sereniſſimus Leopoldus Auſtriæ Archidux*, candelabrum elegantiſſimum (de quo poſtea ſermo recurret) huic *Divo* ſtatuit, & in eo *B. Joannis* Effigiem æneam cum cæteris *Bohemiæ Patronis* affabre fieri fecit. Reges, & Principes noſtri *B. Joannem* coluêre ſemper: *Ferdinandus* I. Imperator, quoties *Pragenſem Eccleſiam* adiret, ante hunc Tumulum genua ponebat. Idem actitâſſe pium Principem *Ferdinandum* II. atque etiam III. multi meminerunt; poſtremus hic *Cardinale Archiepiſcopo Erneſto ab Harrach* advocato, de *B. Joannis* publico cultu, & canoniſmo (ùt vocant) procurando conſilium ſæpius habuit, ſed piam optimi Cæſaris mentem bella primùm, deinde mors abrupit. Imagines *B. Viri* æri inciſæ habentur in manibus, in his & *Beati* titulus *Joanni* tribuitur, & capitis apex ardet cœleſti lumine circumfuſus. Neque honores iſti nuper primùm inventi, novíque ſunt, ſed jam ab ipſa morte, & ab omni memoria ab omnibus impenſi: In *Sacrario Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* Ara quædam eſt, ſuper eam, ùt fieri ſolet, in Pariete depictæ *Sanctorum Bohemiæ Patronorum* Imagines; pictura ipſa, (quod indicant appoſiti numeri) centum octoginta annos ſuperat antiquitate; inter haſce Sanctorum Imagines *Joannes Nepomucenſis* ſtans palmam tenet manibus, & caput habet radijs illuſtre, néve dubites, quem artifex depinxerit, & Canonici depingi juſſerint, additus eſt trabalibus literis titulus antiquiſſimâ manu: *S. Joannes Nepomucenus.* Paucis paſſibus à *B. Joannis* tumulo, in Eccleſia Pragenſi Sacrarium eſt, ſeu Capella, in qua ſub marmore altè educto conditus jacet *Joannes Wlaſſimius Archiepiſcopus Pragenſis;* in ejus Capellæ Altari Sacra faciunt Sacerdotes; porrò Titulus Altaris, manu propriâ *Caſpari Arſenij Sacræ Theologiæ Doctoris, & Eccleſiæ Metropolitanæ Decani* ſcriptus, hæc habet: *Anno 1621. 16. Julij per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D.D. Joannem ejus nominis III. Archiepiſcopum Pragenſem conſecratum eſt Altare in Capella è regione Sepulchri B. Joannis de Nepomuk Confeſſoris, in honorem Viſitationis* Beatiſſimæ *MARIÆ Virginis, ac SS. Virginum, & Martyrum Luciæ, & Ottiliæ; nec non S. Clementis Papæ & Martyris, &* B. *Joannis Nepomuceni. In quo incluſæ ſunt iſtæ reliquiæ, &c.* Hanc Tabellam Arſenij à ſe deſcriptam nuper mihi dedit in manum Reverendiſſimus *DD. Thomas Joannes Peſſina de Czechorod, Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Decanus, Archidiœceſeos Officialis &c.* Vir officio, aliíſq; meritis clarus. Scriptorum quoque noſtrorum in aſſerendo *B. Joanni* Martyris, & Sanctimoniæ nomine conſentit authoritas; videatur *Dubravius Olomucenſis Epiſcopus, Hagecius Eccleſiæ* Boleslavienſis *Præpoſitus*, pluréſque alij. *Simon Fagellus* Eccleſiæ Collegiatæ Omnium Sanctorum in caſtro Pragenſi Decanus, qui ante centum, & quod excurrit annos, de SS. Bohemiæ Patronis Hymnos quoſdam

[Margin notes: *A. 1480.* — Scriptores Joannem Nepomucẽ ſem Beatũ, & Sanctum appellant.]

dam vulgavit, hymnum quoque cum titulo ad B. *Joannem Nepomucenum* concinnavit, verſu pro ætatę illa non planè invenuſto. *Georgius* Bertoldus *Pontanus* Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus in ſua *Bohemia Pia Joannem Nepomucenum Beatum Martyrem* appellat; eandem appellationem tribuêre cæteri Superiorum ætatum, atque etiam Noſtræ Scriptores, ùt Venerabilis Pater *Albertus* Chanovvsky Societatis JESU, & *Georgius Ferus* ejuſdem Societatis, pluréſque alij. Pridem narraveram, B. *Ioannem Nepomuci* in *Bohemia* natum eſſe; ex ea domo, in qua *Ioannes* natus eſt, Oppidanorum Pietas, *Sacellum* B. *Ioannis* honori ſtatim ab ejus morte excitavit; tradunt veteres memoriæ, in ea Domo neminem nocturnam quietem capere potuiſſe, omnes inſomnijs fatigatos ſemper abſcedere coactos, donec ea domus in *Sacrarium* verteretur. Noſtrâ memoriâ *Illuſtriſſimus D. Franciſcus de Sternberg Nepomuci Dominus*, *R. P. Georgio Fero* Soc: JESU incitante, Sacellum hoc vetuſtate labaſcens totum dirui juſſit, & novam, eámque perelegantem Eccleſiam B. *Ioannis Nepomucenſis* honori magnis ſumtibus exſtruxit. Benedici Eccleſiam illam permiſit *Erneſtus Archiepiſcopus* Pragenſis, & *Cardinalis* per alios, cùm ipſemet per morbum venire, & conſecrare non poſſet. In Altari ſummo hujus Templi B. *Ioannis* Imago radiata conſpicitur, atque in veneratione habetur; per eam novi Templi cauſſam An. 1641. R. P. *Georgius Ferus* Soc: JESU librum edidit, quem *Famam Poſthumam* B. *Ioannis Nepomuceni* inſcripſit; in eo libro, elegantibus Imaginibus, ſummo Pictore *Carolo Screta Pragenſi* præbente operam, vitam, & mortem B. *Ioannis*, breviſſimis titulis triplici idiomate, Latino, Bohemico, & Germanico comprehendit. Aditur Nepomucenſis *B. Joannis* Eccleſia hodiéque multis ſupplicationibus, *Parochi* à multis paſſuum millibus ad certam diem Populum adducunt; ídque agitur ab immemorabili tempore; *ſacra* de Beato Joanne non leguntur quidem, ſed de *Sanctiſſima Trinitate*, Concio tamen ad Populum de B. *Joannis* eximijs virtutibus habetur. Appenſa viſuntur circa Aram anathemata plurima, fatentúrque diverſi ejus ſe meritis varia beneficia cœlitus impetrâſſe. Pro comperto eſt, ſi campi illorum ſiccitate laborent, ſupplicatione unâ, alterâve ad hanc *Eccleſiam* publicè ductâ, pluviam celeriter impetrari. Cantio quædam pervetuſta de B. *Ioanne* per hanc viciniam circumfertur, quam ruſtica plebs libenter decantat; B. *Ioanni* pecudes ſuas, & jumenta cætera commendare ſolent, opémque ſentiunt. In peſte, quæ *Bohemiam* An. 1649. pervagata eſt, & graviſſimè afflixit, omnes qui ſeſe *Nepomuci* B. *Ioanni* comendârant, periculo ſunt erepti. *Pragæ* quoque B. *Ioannis* Tumulus, ùt antè dixeram, in ſummo habetur honore, & quamvìs imperiti quidam, & in Religione nimiùm timidi, cautíque, Religionis prætextu cultum B. *Ioannis* impedire aliquando tentârint, Populus tamen de conſtantia juſtæ pietatis demoveri non potuit. De ejuſmodi vetuſta Religione, & cultu

Eminentiſſimi Card. ab Harrach Archiepiſcopi Prag. authoritas.

Digitized by Google

tu Beatorum antiquo optimè dixit Vir in geſtis Divorum deſcribendis, & illuſtrandis diligentiſſimus, & rerum talium peritiſſimus *Godefridus Henſchenius*: *Venerationi Divorum*, inquit, *à tempore memoriam unius ſæculi excedente, Urbanus VIII. Pontifex nihil voluit derogatum, quo minùs perpetua* (veneratio illa) *deinceps eſſet.* Jam cultu B. *Ioannis ab Antiquitate* probato ad cœleſtia beneficia, quæ per eum impetrata ſunt, & alia mira, quæ ad ejus *Sacrum Tumulum* evenêre, faciamus gradum; ex his etiam apparebit, quàm meritò tantus ei à Populo cultus habeatur.

Cultus Divorum ab immemorabili tempore non eſt ab Urbano VIII. abrogatus, ſed potiùs confirmatus.

CAPUT VII.

Mira quædam ad B. Joannis Tumulum patrata, & beneficia cœleſtia omnis generis.

TOt ac tanta, B. *Ioannis* interventu, beneficia cœlitus impetrata fuiſſe, tradunt Veteres Memoriæ, ut ex ijs annotatis juſtum librum Majores noſtri confecerint, qui in Sacrario Pragenſis Eccleſiæ ſervabatur; citat eum librum *Wolfgangus Chanovvsky de Longa Villa Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus* Vir illuſtris, qui An. 1583. moriens, hujus Beati amore, non procul ab ejus Sacro tumulo, ut conderetur, impetravit; ſcribit is, in eo libro B. *Ioannem Nepomucenum Thaumaturgum Bohemiæ* appellari, cæcum ad ejus *Tumulum* recepiſſe viſum, alios præſentiſſimam ejus opem ſenſiſſe, alios in vitæ, & Mortis confinio ſtantes, imò etiam ad ſupplicia mortis Judicum ſententijs damnatos B. *Viri* auxilio mirabiliter evaſiſſe mortem; addit, plura ſe non deſcribere, cùm ſit Liber in manibus; ſed eum librum hæreſi apud nos regnante, ſubtractum ex oculis, poſtea omnino amiſſum dolemus. Illud permirum, ſed omnibus *Pragæ* notum, quicunque B. *Ioannis Tumulum* calcârint, præſertim ſi contemnant, eos ipſâ die infamiam aliquam incurrere, & Pœnam vitare non poſſe, quod certis, & conteſtatis noſtræ, & ſuperioris ætatis exemplis poſſumus approbare: An. 1588. cum *Radzivilus Princeps*, Regis, & Reipublicæ Polonæ nomine ſolennem Legationem apud *Cæſarem Rudolfum II.* obiret, acceſſerat Pragã Magnificus D. *Chriſtophorus Sluska* Palatinus Vendenſis; hic aliquando *Metropolitanam Eccleſiam Pragenſem* ingreſſus, poſteaquam omnia curioſis oculis luſtraviſſet, ad *Sepulchrum* B. *Ioannis* adducitur; narrat Palatino, qui ducebat: mirabilem hunc eſſe *Tumulum*, nam quiſquis calcâſſet, eo die pœnam non effugere; riſit *Palatinus* levem, ùt putabat, Sacerdotum credulitatem, & confeſtim pede *Tumulum* preſſit; at ecce è veſtigio quaſi percuti frontem, & turbari mentem ſenſit; in ea turbatione Templo egreditur; Equum, & currum Domino adduxerant famuli (numeroſo enim ſatellitio vir admodum potens cingebatur) *Equum* primò petit, ſiſtitur, ipſe *Dominus* quaſi intemperijs ageretur, à dextra *Equi*

Qui B. Joãnis ſepulchrum inhonoraſſẽt, eodem die puniti.

Theoph. Criſteccus Rector Collegij Prag. ad S. Clement. S. J. in M. S. Geor. Ferus in Fama poſthuma B. Joannis Nepomuc:

Exemplis fides adſtruitur.

Digitized by Google

parte tentabat aſcenſum, aſcendit tamen, & evadit in *Equum*, ſed Equus neque ſtimulo, neque hortatu ullo, moveri loco potuit; rurſus igitur *Equo* deſcendere cogitur, currum conſcendit, ſed iterum nullâ vi, quidquid agerent Aurigæ, impellere Equos poterant; denique pudore confuſus *Palatinus*, ſpectante, & ridente *Cæſaris* aulâ, ex Arce toto illo itinere pedibus ſuis confecto, multùm admirans, & egregiè pudefactus ad Hoſpitium ſuum eſt reverſus. In Vita Venerabilis, & Apoſtolici Viri *Alberti Chanovvsky* Soc: JESU, quam *P. Joannes Tanner* ejuſdem Societatis nuper vulgavit, aliud legitur exemplum, quod Scriptoris verbis referemus: *Dum Pragæ Albertus noſter*, inquit, *Grammaticæ daret operam, eſſetque annorum fortè quatuordecim, Pater ejus Joannes Pragam advênit, cum quo Sanctorum, ac præcipuè Bohemiæ Patronorum corpora venerationis ergô viſitavit; accidit verò, ut etiam ad B. Joannis Nepomuceni monumentum venirent, ubi referente Patre didicit, quantæ locus eſſet venerationis, quantæ DEO curæ Martyris illius honor, quàm certa eorum pœna, qui terram illam protervè conculcare auderent, adeò, ut Virgini cuidam, teſte Wenceslao Hagek, ſacrum illud Sepulchrum pede protervo calcare impudenter auſæ, dum maximam inter Populi frequentiam per Pontem* Pragenſem *domum rediret, exorto repentè vehementi vento, quaſi quodam turbine involutæ, veſtis ſeu toga in altum ſit elevata, cum incredibili Virginis pudore &c. adhæc cogitare cœpi* (juvat P. Albertum hæc de ſe in Manuſcripto referentem audire) *facilè id contingere potuiſſe Fœminæ, ſed viro, aut puero, quâ ratione quid ſimile contingere poſſet? quare experiundi gratiâ, cùm eo tempore adhuc clathri circa ſepulchrum Sancti eſſent rari, & demiſſi, pedem eò datâ operâ impoſui, ità, ut Sepulchrum calcarem. Accidit autem, cùm ad antiquam Urbem per* Parvam Partem *rediremus, ambulando ſequebar* Parentem, *& ecce incidi in latentem quandam foveam uſq; ad genua, quæ* Pragæ *ſolent eſſe in plateis hieme ex congeſta glacie, & nivibus, & ferè illic calceum reliqui, irridente me toto populo, pudore inſigni fui ſuffuſus. Et veniens ad* Pontem *prope Imaginem Crucifixi, illic recidi, & in luto circumquaque in pallio meo obvolutus fui, & quaſi tum interiùs hanc vocem audivi: In hoc loco ille Sanctus de* Ponte *in aquam fuit præcipitatus, & ſubmerſus. Summo pudore affectus fui, mirantibus, & ridentibus hominibus, quid, cur, & quomodo hoc mihi accidiſſet.* Hæc Venerabilis Pater Albertus Chanovvsky. Alia, eáque longè gravior pœna ſecuta eſt Calvinianum hominem *Wenceslaum Wilhelmum de Raupovva* (erat hic rebellionis proximæ, non tam ab hominibus proprijs, quàm exteris, *Turriano*, *Hohenloio* Comitibus, *Felſio* item, Novis tum Bohemiæ Incolis fœdo incœpto, ac fœdiore exitu motæ, haud poſtremus incentor, ideóque à *Friderico* Palatino, *Bohemiæ Cancellarius* poſtea conſtitutus) *Raupovva* igitur, cùm aliquando in *Eccleſia Metropolitana*, velut in profana domo A. 1619. otioſus cum ſocijs inambularet, in *B. Joannis* Tumulum

In vita Ve: P. Alberti Chanov. S.J. Cap. 1.

Wenc: de Raupovva egregiè multatus.

for-

forte incidit; recurrit homini vetus de eo ſepulchro traditio; quare multum Catholicorum ſtultitiam, ùt putabat, demirans, & deridens, qui rebus tam vanis tenerentur, *Tumulum B. Joannis*, quem parte unâ dejectis cratibus violârant hæretici, calcat, & quaſi nihil egiſſet, cætera Idololatriæ Catholicæ (ut Calviniani blaterant) monimenta perluſtrat, neque multò pòſt Templo egreditur; in ipſo limine anhelans famulus ad Dominum accurrit cum triſti nuncio: filium, quem habebat unicum, modò eſſe defunctum; ità nimirum eodem articulo temporis DEUS contemtum ſervi ſui morte unici filij vindicavit. Atque utinam hunc finem Divina vindicta habuiſſet! conſtat inter omnes poſt annos plurimos *Raupovvam* actum in rabiem, dum homines ſtricto ferro inſectatur, miſere *Litomericij* perijſſe. De hac *Raupovvæ* ſcelerata temeritate, nè dicam magìs, déque pœna confeſtim ſecuta, eſt inter manus meas Teſtificatio legitimè confecta, annulo ſignata, chirographo firmata, quam *Illuſtriſſimus Comes Zdenko Wratislavv de Mitrovitz, Wilemovij, Zierotinij, &c. Dominus*, Slanenſis Diſtrictûs Præfectus An. 1648. confecit, qui & familiariter *Raupovvam* noviſſe, & hæc ſibi omnia conſtare per conſcientiam animi ſui teſtatur. Venio nunc ad Exemplum, quo triſtius ad *B. Joannis Tumulum*, nullum accidiſſe puto: ac neſcio ſane, quid illud eſſe oporteat, quòd tanto ſemper odio in *B. Joannis* memoriam, & ſepulchrum hæretici ferantur: in illo, quod modò dixeram, hæreticorum Regno, poſt Annum 1618. cùm Calviniani *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* partem poſteriorem occupâſſent, ſuâque profanâ, & umbratili cœnâ contaminâſſent, habebant præ oculis *SS. Patronorum, Viti, Sigiſmundi*, & aliorum Divorum Corpora, & ferebant placidè, unius *B. Joannis Nepomuceni Tumulum* humilem videre non poterant, ſed ille locum egregiè tutatus eſt. Neque modò crates circum *Tumulum* tollere, ſed ipſum *S. Martyris* corpus (facinus etiam in quocunque humano corpore indignum) exhumare, & in communem locum abjicere conſtituunt, eâ demum ratione Idololatriam (ùt dicebant) ſublaturi. Mittuntur ad certam diem valentiſſimi Satellites, quibus id datum erat negotij: vix ſacrilegium tentarant, & crates ferreas convellere cœperant, cùm ecce duo ſubitò in terram corruunt, alter omnino exanimis nunquam vitam recepit, alter operi præfectus Anglus homo Epheborum *Friderici Palatini Præceptor*, ſemivivus, & vix ſpirans è Templo ſociorum manibus elatus, paulò pòſt quoque miſerabiliter animam efflavit. Cæteri omnes, periculo, & damno ſuorum cautiores, opus imperfectum reliquêre. Res eſt Tragica, ſed eorum, qui adfuêre, teſtificationibus firmata, quæ ante *B. Joannis Nepomuceni* ſepulchrum paucis poſt rem geſtam annis teſſellato opere, pereleganter in ligno expreſſâ, cum admiratione Peregrinorum hodiéque ſpectatur. Recenſet præter alios, hoc triſte *Miraculum Author Germanici Libri* Auguſtæ An. 1630. Typis editi, cui *Veridici* Titulum fecit, & primùm

Calviniani Tumulum S. Joannis turbantes tragicè repelluntur.

Teutſcher Warſager *pag 89. & ſequentib:*

Angli illius Calviniani ſepulchro inſultantis ſacrilegas voces, tum cœleſtem ultionem, ſacrilego repentè humi alliſo, ac demum eâdem noctè inter horrificas vociferationes, & ejulatus, infœliciſſimam mortem multis verbis deſcribit; res fuit eo tempore certa, quippe in omnium oculis, & luce geſta. Adjicitur in eodem libro: paulò ante decretoriam in *Albo Monte Pugnam*, quâ hæreticorum res conciderunt, cùm An. 1620. nocte quadam hæretici ſatellites in *Eccleſia Metropolitana S. Viti*, in Chriſti crucifixi ſtatuis, aliíſque Divorum Imaginibus dejiciendis ſtrenuè laborarent, à Catholico, pióque homine, qui tum aderat, & dolenter, quæ gererentur, videbat, viſos tres Viros humanâ formâ auguſtiores, è ſepulchris ſuis prodeuntes: primum *cultu Regio*, alterum *apparatu Pontificali* conſpicuum, tertium ſacro, ſed ignoto in habitu, hos conveniſſe, unâque ſtantes, quaſi de futuro rerum ſtatu conſilia conferrent, poſtea amiſſos ex oculis. Nullum dubium relinqui, *S. Regem Wenceslaum, & S. Adalbertum Epiſcopum* fuiſſe; tertium ſuſpicari ſe *B. Joannem Nepomucenum*, qui tam indignis modis ab hæreticis ſit acceptus. Ita Liber ille in re tum recenti, quæ ego non refello; fides ſit penes authorem; nos ad *B. Joannis Tumulum* redeamus. Ob eam maximè cauſſam, cùm jam antè ferrei clathri ad unius ulnæ altitudinem prætenti eſſent, alijs novis cratibus ſepulchrum cinxerunt *Canonici*, quæ facilè duas ulnas altitudine æquant, ut nulli niſi ægerrimè, vel ſi velit, improbo eſſe liceat; ſed ad Calvinianos noſtros redeamus; eodem Anno 1620. tam malè apud ſepulchrum *B. Joannis* accepti (quamdiu *Pragenſi Eccleſiâ* ſunt uſi) *Tumulum* ipſum totum, præſtigias neſcio quas in eo latêre cauſſati, aſſeribus, & tabulis quibusdam clauſêre, nè ullo modo poſſet adiri; obturbare illos, dum ad cœnam ſedent in Templo, *B. Joannes* videbatur, & velut mortualis umbra odioſus, & non vocatus intervenire convivijs. Porrò *Eccleſiæ Metropolitanæ* profanationem, & *ſtantem in loco ſancto abominationem* ex ſacro ſuo tumulo *B. Joannes* ſignificavit: ſiquidem imminente illâ ab hæreticis calamitate, ſæpius nocte gemitus, & lacrymoſæ quædam voces ab imo Templi audiebantur; Cuſtodes gemitus illos ſtudioſè ſecuti, animadverterunt non ſemel ex *Tumulo B. Joannis* exire: nimirum dolebat (quantū *Beati* dolere poſſunt) *dilectam Pragenſem Eccleſiam* tot ſacrilegijs profanandam, quæ ex quo à *S. Wenceslao* erat fundata (nè quidem *Huſſi*, aut poſtea *Rokyczanæ* temporibus) hæreticorum Sacris inquinata fuiſſet. Sed plures ſacri illius Tumuli prærogativæ poſſunt adferri: nam alijs quoque temporibus *Eccleſiæ Metropolitanæ Excubitores*, ad indicandam fortaſſe B. Joannis ſanctitatem, amabili luce cingi, & coruſcare Tumulum viderunt. Neque id mirum: pro Theſauro eſt Eccleſiæ Pragenſi B. *Ioannes*, vetúſque eſt, ubi Theſauri latent, ignes emergere. Præcipuus B. *Ioannes Patronus, & Tutator* eorum habetur, qui cum infamia conflictantur, & nè ſcelus aliquod ſuum in lucem veniat, pertimeſcunt: occurrit

B. Joannes aſpectabilis in Eccleſia S. Viti.

Gemitus ex ſacro tumulo B. Joanni auditi.

Luce circũfuſum Sepulchrum.

Digitized by Google

currit enim mirabiliter periculis, & factum abſcondit, aut etiam lingvis hominum læſos, abſolvit, & reſtituit in integrum; hujus auxilij toties perſpecti argumento, edita pridem Typis eſt oratio, quæ ſub B. *Ioannis* imagine poni ſolet, hiſce verbis concepta: *Præſta quæſumus Omnipotens DEUS precibus noſtris, quas in* Beati *Joannis Confeſſoris Tui veneratione deferimus, pium benignus auditum; ut ejus meritis, & interceſſione ſuffulti, ab infamia, & confuſione temporali liberati, ante mortem reatus noſtros ſyncerâ confeſſione expiare, ſalutari pœnitentiâ delere, & portum æternæ ſalutis contingere fæliciter valeamus.* Per *D. N. IESUM Chriſtum Filium &c.* ijs quoque opem fert B. *Ioannes*, qui exitiali verecundiâ crimina ſua in Tribunali ſacro aperire reformidant: nam ad ejus ſepulchrum precantes, audaciam quandam ad proferenda omnia addi ſibi ſenſerunt, ídque libere ante Sacerdotes poſtea ſunt teſtati. Anathemata ad B*eati Tumulum*, quæ plurima olim pependiſſe meminerunt ſenes, hæreſis Calviniana laceravit, aut flammis corrupit. Noſtrâ memoriâ Matres aliquot, ad partum graviſſimè laborantes, tum alij hydrope, alij febribus diuturnis crudeliter divexati, fuſis ad B. *Ioannem* precibus, recepêre ſanitatem. Quibusdam ipſa fides, & in B*eatum* amor opem attuliſſe videtur: nam, cùm alia deeſſent, pulverem ex lapide ſepulchrali modicè abraſum, ad varios morbos valuiſſe læti ſenſerunt. Matrona illuſtris (cujus nomini parcimus) cùm aliquando de *Sanctis in Metropolitana Eccleſia* conditis mentio fieret, & neſcio quis ex domeſticis B. *Ioannem* nominaſſet, illa indignans ſupercilio ſublato: *quem*, inquit, *tu mihi* B*eatum Ioannem nominas? nihil de illo Roma ſcit. colitur ille perperam à rudibus, neque venerationem hanc meretur: nam ſi Sanctus eſſet, pridem eum* Pontifices *in Sanctorum numerum retuliſſent.* Poſt dies aliquot eadem Matrona, cùm in Templo, nihil jam de B. *Ioanne* cogitans, orat, reperit in *Libello ſuo* Beati *Effigiem* capite radiato in habitu Canonicorum venuſtiſſimam, quam antè nunquam viderat; paulò pòſt, cùm in ſcriniolo ſuo aliud quærit, alia item ejusdem B*eati* effigies, quaſi ſponte venit in manum; ea res ità tenerum Matronæ animum vulneravit, ut confeſtim in lacrymas ſoluta B. *Joannem Nepomucenſem* inclamaret, die altero ad *Eccleſiam Metropolitanam* profecta, confeſſione peccatorum præmiſsâ, Divinam Euchariſtiam ſumſit, & ſepulchro B. *Martyris* advoluta, audaciæ veniam poſtulavit. Nec omittenda eſt Religioſi cujusdam Viri temeritas, divinitus ùt videtur caſtigata: hic in diſceptatione cum ſocio, negabat rite fieri: quòd B. *Ioannes* à Populo coleretur, addebat cum quodam ſtomacho, malè agere eos, qui cùm facilè impedire poſſent, cultum hominis, de quo nihil ſciatur, tolerarent. Nondum abierat dies, gravem ægritudinem in ſe venire ſentit, tremore artuum inſolito concutitur, ac nè cauſſam ignorare poſſet, ſimul B. *Ioannem* de ſe vindictam ſumere ultro ſuccurrit. Neque dolor, neque tremor ceſſavit, donec æger B. *Ioannem* vo-

B. Joannes imploratus eos adjuvat qui de bono nomine periclitantur.

Quædam alia Miracula.

to honorâſſet, ac veniam poſtulâſſet; rem ùt erat geſta, Vir Religioſus ipſe ad perpetuam memoriam ſcripto teſtimonio conſignavit.

De Lampade ad ejus ſacrum Tumulum.

Ardet ad B. *Ioannis Tumulum* ſuſpenſa lampas, ùt antè dixi; ex ea lampade *Servus Capellæ* (ità Templi cuſtodem appellant) oleum omne effuderat, oleique loco *Aquam puram* infuderat, ut ſocium (cui commiſſa lampas erat) vexaret; accedit omnium rerum ignarus ſocius, alter *Æditimus* (priore illo procul obſervante, & benignam ſibi ſocij irridendi materiam oblatam gaudente) accenditur lampas, & quaſi oleum adeſſet, ſinè omni elementorum pugna exardeſcit, nitidiſſimè lucet; territus rei novitate jocularis ille *ſervus*, fatetur, quid egerit, uterque agnoſcit miraculum, plures *Eccleſiæ Miniſtros* advocant, rem ità ſe habere deprehendunt, DEUM in ſervo ſuo *B. Joanne* glorificantes.

Stat ſuper *B. Joannis Tumulum Candelabrum ex aurichalco* ingens, cujus pedem inter cætera ſpolia, exciſâ *Urbe Mediolanenſi, à Friderico Barbaroſſa Cæſare*, *Wladislaus Bohemiæ Rex* ante annos facilè quingentos, quòd ex *Salomonis Templo* fuiſſe diceretur, *Pragam* attulerat, & *Eccleſiæ S. Viti* donârat; eum pedem Antiquitas aurichalco inductum jam ab annis centum octoginta (quod numeri adſcripti docent) in candelabri formam aptavit, & ſepulchro *B. Joannis* impoſuit, quod in Manuſcriptis codicibus *Templi*, *Candelabrum B. Joannis* appellatur. Id candelabrum noſtrâ memoriâ ſibi ſumſit ornandum *Sereniſſimus Archidux Leopoldus, Ferdinandi III. Cæſaris* frater, & *Statuas Omnium SS. Bohemiæ Patronorum* ſuo quemque in habitu (quos inter *B. Joannes* ſpectatur) itidem ex aurichalco apponi juſſit ſupernè in orbem, quaſi in corona ſtantiũ gratioſo ſpectaculo, à bonis artificibus perfectas. Hoc opus cùm ſacrilegi quidam intuerentur, & aurum eſſe crederent, defractam *B. Joannis* ſtatuam, quæ cæteris formoſior videretur, rapuêre. Magnam illis ſacrilegium attulit curam, quippe diu noctúque laniabatur intemperijs mens, ut nec ſomnum, nec quietem ullam capere poſſent; adacti igitur à tortore, & monitore aſſiduo, quem habebant intus, retulêre ſtatuam, & ad *Tumulum B. Joannis*, & poſtea ad ſacrum Pœnitentiæ Tribunal advoluti, rem omnem Sacerdotibus aperuêre.

Sacrilegio infælici vexatur ſacer Tumulus.

Hactenus de *B. Joannis* vita, & miraculis narratio; porrò, nè quem ſuâ laude defraudem, præcipuam mihi materiam ſuppeditavit *Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Joannes Ignatius Dlauhovvesky de Longavilla, Protonotarius Apoſtolicus, & S. Metropolitanæ Pragenſis Præpoſitus, nec non Exemtæ Wiſſehradenſis, & Collegiatæ Veteroboleslavienſis Eccleſiarum Canonicus*, hodie verò *Milevitanus Epiſcopus, & Suffraganeus Archiepiſcopi Pragenſis*, qui ſuas ad me literas anno ſuperiore in hunc modum concluſit: *mitto, quæ de Beato noſtro Joanne Nepomuceno invenire potui, eáque ex varijs fideliſſimis,*

&

Digitized by Google

& indubijs manuſcriptis collecta ſub fide Sacerdotali communico. Faxit igitur DEUS, ut quem honoramus in terris, ejus conſortio perfruamur in Cœlis!

Oratio ad S. Joannem Nepomucenum, Confeſſarium Conjugis Wenceslai Regis &c. quam tribus lingvis conſcriptam, & in Tabulis ante Sacrum ejus Tumulum appenſam, Populus recitare conſvevit.

Sancte Joannes Martyr, ac Patrone, Nepomuci in Regno Bohemiæ oriunde, Templi S. Viti in Arce Pragenſi Canonice, eò quòd ad inſtantiam Wenceslai IV. Regis (ulciſci ſe de Conjuge, ſæpe illum de vita corrigenda monente volentis) ante, & poſt torturam, Confeſſionem Auguſtæ propalare recusâſti, in Flumen Muldavam ex Ponte præcipitatus, à Luminibus noctu ſupra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certiſſimis tuæ innocentiæ, & Sanctitatis teſtibus oſtenſus, ſolenniter ab univerſo Clero, ac Populo ad Cathedrale Templum deportatus fuiſti, ubi uſque hodie, qui tuum ſepulchrum dehonorat, vulgi infamiam effugere non ſolet, tueri admirandam, inauditam, ac ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos poſt te reliquiſti; per hæc tua merita, & dona Divinitus tibi conceſſa, precamur ſuppliciter, ac fiducialiter, apud Omnipotentem DEUM eam impetra nobis gratiam, ut ira ejus conquieſcat, peccatorum pœnas, uti Peſtem, Bellum, Famem, aliásque tam corporis, quàm animæ plagas clementer avertat, & ut Nos ante obitum confiteri, pro peccatis ſatisfacere, omne periculum, & ſæculi dedecus, Hominum ſcandalum effugere, DEO placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire poſſimus. Per IESUM Chriſtum Dominum, ac Salvatorem noſtrum, Amen.

Oratio ad S. Joannem Nepomuc:

Intricatus ſenſus.

AD VITAM B. JOANNIS NEPOMUCENI.

Notet Lector eruditus: ***Dubravium in hiſtoria Bohemiæ*** aſſerere, cùm ***B. Joannes Nepomucenſis in Muldavam*** abjectus eſſet, fluvium quaſi indignantem fluere noluiſſe, ac cœpiſſe minui, ſic ut vado tranſiri poſſet; ſed iſtud Annis poſt X. accidit 1393. 19. Aprilis, cùm videlicet idem ***Rex Wenceslaus*** alium ***Joannem Suffraganeum Archiepiſcopi Pragenſis*** mergi juſſit. utrumque miraculoſum fuit (ut ex MM.SS. eorum qui tum vivebant, & fieri videbant, conſtat) fluvium ſcilicet morte ***B. Joannis Nepomuceni*** ſubitò excreſcere, & morte alterius ***Joannis Suffraganei*** amitti; at bonus ***Dubravius*** duos ***Joannes*** confudit in unum (vide Epitomen hiſtoricam noſtram) niſi fortè diſtingvenda ſint tempora, ac primùm intumuiſſe ***Muldavam***, dèinde paulò pòſt exaruiſſe (quod ***Paulus Zidek*** vicinus eorum temporum affirmare videtur) dicamus.

lib. 23.

De miraculo excreſcẽtis fluvij in morte B. Joannis.

Epi. l. 4. C. 1. Zidek in Inſtruct. ad R. Georg.

§. LX.

Zbynko ab Haſenburg, VI. Archiepiſcopus Pragenſis, vitæ Sanctimoniâ, & in Huſſum odio celebris, veneno ab hæreticis propinato pro ovibus ſuis mortuus.

ANno Domini 1402. 19. Septembris ſublato è vivis *Nicolao* Puchnik *Electo Archi-Epiſcopo* Pragenſi ſufficitur à Collegio Canonicorum Eccleſiæ

Man. MS. Eccl. Prag.

Digitized by Google

cleſiæ Pragenſis An. 1403. *Zbynko* vel *Sbynek Haſenburgius*, eodémque ipſo anno, Novembris initio, conſecratur. Præſul hic natalibus, & virtute illuſtris, etſi altioribus, & interioribus literis non emineret, fortem & heroicum animum ad regendum attulit, hæreticorum odio flagrabat in primis; excitabant eum ad juſtas haſce iras Sum̃i Pontifices, *Gerſon Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius*, tum ex Univerſitate Pragenſi complures, præcipuè *Andreas de Broda Magiſter artium, & Theologiæ Baccalaureus formatus* vehementiſſimis literis, quæ in *Raynaldo, & Cochlæo* leguntur; ſed opus non erat incitare ſponte currentem. An. 1410. *Huſſium* jam apertiùs adversùs Eccleſiam inſurgentem, & inſanientem, ad ſe vocavit, támque gravi, & potenti oratione caſtigavit, ut perterritus ille, meliora omnia, ſéque in officio futurum, & quieturum ſanctè polliceretur, imò & quæ pro concione dixerat, revocaturum. *Zbynkonis* orationem luculentiſſimam, & *Huſſi* reſponſum recitat *Hagecius*; ſed nimirum hæreſis *ùt tenax hedera hàc, & hàc arborem implicat errans* (ait Poëta) ubi ſemel Imagines mentis infuſcavit, nunquam bonâ fide deletur ex animo; reverſus ad ingenium eſt *Huſſius*, neque intra minas *Zbynkonis* oratio fuiſſet, nisì *Sophia Wenceslai Cæſaris* Conjux (cui *Huſſius* confitenti aurem dabat) & per eam ipſe *Wenceslaus Cæſar Huſſij* patrocinium ſuſcepiſſent. Eodem Anno 14. Julij de conſilio *Eccleſiæ* ſuæ *Prælatorum*, omnes ſuſpectos de hæreſi libros, præcipuè *Wiclefi* Opera in aream *Archiepiſcopalis Domûs* (quæ ſita fuit *in minore Urbe Pragenſi*, prope Pontem ad dextram intrantibus) undique conquiſitos, & unum in acervum comportatos juſſit comburi; ampliùs ducenta Volumina pretijs maximis à librarijs ſcripta (nondum arte typorum inventâ) fuiſſe traduntur, quorum librorum venuſtatem cum aureis bullis, & umbilicis, *Silvius* mirificè commendat; ſed nimirum in aureo calice propinabatur venenum. Ex ea re tantum ſibi hæreticorum odium *Zbinecius* paravit, ut & *Huſſius* rabioſis declamationibus, & vulgus hæreticum maledicis cantilenis *Archiepiſcopum* non ceſſarent proſcindere; videbant ſalvo *Zbynkone* ſe & hæreſim perituram; ad extremum *Præſulem* tollendum omnes decernunt, & commodùm *Zbynko*, cùm nullum auxilium à *Wenceslao* Rege ſperare poſſet, ad *Sigiſmundum Ungariæ Regem*, conſilij, & opis neceſſariæ gratiâ, deſcendebat; *Cocum Præſulis* pecuniâ corrumpunt (quindecim aureis, non ampliùs, mors tanti, & tam egregij Præſulis emta eſt) id venenum *Pragâ* ſecum Cocus avexit, & *Poſonij*, Domino, antè quàm ad *Sigiſmundi* præſentiam admitti poſſet (ùt diſertè tradit *Stephanus Palecz* Vir Catholicus in Epiſtola ſua apud *Cochlæum*) porrexit; 28. Septembris, ipſo S. *Wenceslai* die *Poſonij* extinctus eſt, cujus pretioſam mortem in conſpectu Domini fuiſſe nemo è Catholicis dubitabit, quam ſcilicet hæreſis intulit, docto eloquenti, ſancto, & quod caput eſt, ſtrenuo Religionis antiquæ Defenſori, aç Vindici, quos titulos *Dubravius, Silvius, Cochlæus, Zbynconi*

Zbinko Præſul inſignis.

Cochl. l. 1. hiſtor. Huſſ. Raynal. in Ann. Eccl. ad A. 1409.

Huſſium oratione acerrimâ caſtigat.

Hag. ad 1410 Ep. l. 4. C. 6.

Libros hæreticorum comburit.

Silv. in hiſt Boh.

Venenum ab hæreticis Zbinkoni porrigitur.

Obitus in cauſſa Religionis.

Dubrav. in hiſt. Boh. Coc. l. 1. Huſ. Silv. l. c. Zalansk: in Vit: Huſ. l. 3.

Digitized by Google

eoni tribuerunt, contra hæreticos Scriptores, qui odio occupati, *Abecedarium Epiſcopum*, aliíſque indignis nominibus appellant. *Cocus*, ut hoc obiter adjiciam, in ſuſpicionem vocatus, tormentis examinatus, confeſſus eſt cędem & *Brodæ* quatuor *Pragâ* milliarijs, terrifico ſupplicio, Equis diſcerptus eſt.

Strans. in Rep. Boj. Lupac in Calend. hiſt: ad 19. Junij Hag. ad A. 1411. Theob. in Huſſit. P. 1. c. 7.

§. LXI.

Petrus Lazurus Abbas Opatovicenſis Cœnobij Benedictinorum cum aliquot Socijs, quòd ſacros Eccleſiæ Theſauros prodere, & tradere nollet, occiſus 1415.

NOn auderem profectò *Petrum Lazurum* accenſere Martyribus, niſi Eccleſiaſticas hiſtorias, *SS. Patrum* authoritates, *Menologia & Martyrologia* haberem in partibus, qui eos, qui vel ſacros libros, vel Eccleſiarum pecunias, vel opes cæteras Tyrannis tradere noluerant, & in ea cauſſa mortem oppetierant, celebrant ùt Martyres. nota eſt *S. Laurentij* paſſio, nota *S. Leonis Papæ* ſententia: *impius perſecutor, ſi Laurentium feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, feciſſet etiam veræ Religionis exſortem.* *Opatovicenſe Cœnobium* in *Bohemia* omnium Bohemiæ Cœnobiorum ditiſſimū fuit, ùt ex *Hagecio* pridem narravi; cauſſa opum clara, & evidens, quòd in *Cœnobium* nemo niſi nobiliſſimæ, & avitæ ſtirpis admitteretur, inferréntque hæreditates ditiſſimas. *Mieſteczky* clarus genere, ſed vitijs clarior miles, ex ea Bohemiæ Procerum gente, quæ ſcalas cum aduncis ferreis cuſpidibus, quales in oppugnationibus Urbium adhiberi ſolent, geſtabat in *Clypeo*, cùm audiſſet, quæ *Carolus IV.* olim de ſacris illis opibus Aulicis ſuis narraverat, accepiſſétque, ingentes divitias Eccleſiarum occulto quodam loco *Cœnobij* ſervari, An. 1415. 2. Novembris cum pauculis ſuorum ad *Abbatem Petrum Lazurum* venit; appetebat prandij tempus, humaniſſimè ad triclinium invitatur; dum ſecuri rerum omnium *Monachi* prandent, adſunt plures *Mieſtecij Satellites*, paulò pòſt alij majore numero, tandem alij ſuper alios irruunt, qui noviſſimi, fores *Cœnobij* occupant, *Monachos* obvios convulnerant, & contrucidant; tum primùm *Mieſtecius*, quid veniſſet, oſtendit, & in medijs epulis, in hoſpitali menſa *Abbatem, & Seniores tres*, quatuórve Patres *Latro* ſceleratus adoritur: jubet ſibi protinus *Eccleſiæ* theſauros, & quidquid opum in *Cœnobio* abditum haberent, argentum, gemmas, & aurum exponi, negantes id fas eſſe, vinculis conſtringit, tormentis excruciat, multos dies iterat tormenta, cúmque eo pacto nihil extorquere poſſet, junioribus fratribus in miſericordiæ ſpeciem ejectis, ſpoliato Templo, & raptis cimelijs omnibus, *Abbatem* (quem *Virum Sanctum* vocant Scriptores) relinquit pro mortuo;

Inter Martyres numerantur, qui Libros, aut bona Eccleſiarum tradere noluerunt.

1415.

Epit. hiſt. l. 5. c. 5. & l. 3. Miſcellan.

Mieſteczky ſtratagema in occupando Oppatovicenſi Cœnobio.

Excarnifica ti Religioſi.

Q pau-

paucis pòſt diebus dolore vulnerum *Petrus Abbas* expiravit; expirâſſe etiam ſeniores ſignificant quædam *manuſcripta memoriæ.* Vir Patriæ Hiſtoriæ in primis peritus, affirmat, *Petrum Lazurum* eundem fuiſſe, qui *Carolo IV.* theſauros *Opatovicenſes* oſtendit, ſed iſtúd Chronologia, & ratio temporum non permittit ſentire.

§. LXII.

Multa millia Martyrum in Bohemia Huſſiticis temporibus, Teſtimonio Pij II. Papæ occiſa; Vir Nobilis in Bohemia exuri ſibi patitur tibias potiùs, quàm hæreticorum partibus accedere vellet.

Teſtimonium Pij II. Papæ de multitudine Martyrū in Boh.

REm totam, quam Titulo promiſi, verbis *Æneæ Silvij*, poſtea *Pij II.* conficiam: is igitur Alfonſo Magno Regi Arragonum Bohemiæ hiſtoriam à ſe ſcriptam offerens, hæc inter alia habet in Præfatione de Bohemis loquens: *Viri*, inquit, *conſtantes, qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro teſtamento Chriſti fortiter pertulêre, cum Rege ſuo in cœlo regnant, ex aliena victoria triumphantes, quorum multa millia Bohemia tulit: nam, ſicut Huſſitarum inſania Bohemicum nomen labefactavit, ità & virorum fortium conſtantia illuſtravit. nec Provincia eſt, quæ tempore noſtro plures Chriſti Martyres, quàm Bohemia protulerit.*

Eques Martyr.

Inter quos Equitem fuiſſe non eſt ambiguum, nobilibus parentibus ortum, quem captum ab Huſſitis, admotum ignibus, pedes primùm, deinde tibias, mox genua, coxáſque, poſtremò reliquas corporis partes exuri paſſum, quàm illorum inſaniæ conſentiret. hæc Silvius. Quis ille Eques, aut quâ ſtirpe illuſtri genitus fuerit, etſi nulli diligentiæ pepercerim, reſcire non potui.

Hag. ad A. 1419. Sil. in hiſt. Boh. Epit. lib. 4. à C. 5. Cochl. & Theob. in Huſſit. Avent. l. 8. hiſt. Bojor.

Porrò de *Martyribus*, & cædibus Catholicorum, quas ſangvinarij *Huſſitæ* in Bohemia perpetrârunt, legantur *Hagek, Dubravius*, idem *Silvius*, *Epitome hiſtorica* noſtra, & qui de bellis Huſſiticis egerunt *Cochlæus*, & *Theobaldus*. Aventinus quamvis hæreticus, & dubiæ fidei Scriptor pro certiſſimo affirmat: Ziſkam cum Taboritis ſuis facilè 550. Sacerdotiorum Fundationes evertiſſe, longéq; majorem Sacerdotum numerū peremiſſe. In Epitaphio *Attilæ* hujus Bohemici legimus, *Ziſkam* ſuâ manu & ictu clavæ ferreæ, quingentos Sacerdotes occidiſſe; quâ in re etiam cæcus ſumas & tenerrimas delicias habebat: manu alterâ in Capite Sacerdotum coronam tractare, dextrâ ictum lethalem infligere; quâ imagine expreſſum *Ziſkam*, in hæreticarum Urbium parietinis, non ſemel ſpectavi.

Ziſka 500 Sacerdotes ſuâ manu perimit.

De alijs hæreticorum, qui ſucceſſêre Ducibus prudens Lector faciat conjecturam; certè nihil illi, *duo Procopij Taboritarum, & Orphanorum Duces*, ut alios taceam

Digitized by Google

am, conceſſerunt, *Crugerius Pulverum* Bohemiæ diligens Scriptor, exiſtimat, *tricies centena hominum millia* (ſcio quid ſcribam, *tres hominum milliones*) ex Catholicis, omnium nationum, Cruce ſignatorum &c. in Huſſiticis bellis cecidiſſe tum in acie, qui pugnârint, tum qui in Urbibus captis perierint; eos verò qui nihil moverint, & pro Religione in Cœnobijs, clauſtris, Collegijs Canonicorum, & Parochijs cæſi ſint, item qui oppreſſi hæreticorum adventu repentino exturbati ſint è vita, unius Religionis odio, extinctos facilè *centum millia* numerari poſſe; *ducenta* ampliùs *Cœnobia* ab uno *Ziſka* exciſa, everſa, & in cineres cum Religioſis Incolis redacta fuiſſe.

Ad 18. Sept. & 12. Octob.

Ingens numerus Catholicorum occiſus ab hæreticis.

§. LXIII.

Undecim Conſulares Viri Novæ Urbis Pragenſis, cum Nicolao Urbis Judice ob Religionem defenſam crudeliſſimè necantur.

Ziſka, qui mortem *Huſſi* contra fidem datam, ùt jactabat, factam ulciſci, quacunque demum viâ poſſet, ſtatuerat; ut aliquod *Pragæ* initium turbarum daret, ſuóſque ſangvini aſſvefaceret, ſimul ut grandi aliquo facinore perpetrato nullam gratiæ ſpem haberent, ideóque *Duci* ſuo fideliores eſſe cogerentur, 30. Julij An. 1419. Plebem concitat, & quiquid hæreticorum, & ſceleratorum hominum colligere potuit, ſecum rapit; primus impetus in *Cœnobium Carmelitanum* factus eſt (quòd *Carmelitani Patres Conſtantiæ in Huſſum*, ac præcipuè *Hieronymum* teſtimonium dixiſſent) inde *Paræcia S. Stephani* expugnatâ, *Parochum* occidit, & ex longa trabe per feneſtram ſuſpendit; cauſſam in *Epitome ex Theobaldo* adduxi. Interea *Senatus Novæ Urbis* in Curiam congregatur, ut ſi poſſent, ſeditionem conſilio ſedarent: erant Viri Catholici omnes, præſertim *Nicolaus Judex*, qui juſſu Senatûs ſæpius clandeſtinas coitiones, quibus malè feriati homines *hæreſin* ſuam firmabant, & adversùs legitimos Magiſtratus, *Ziſkâ* incentore, conjurabant, diſſipârat; nihil verò *Ziſka* ferebat ægriùs, quàm quòd nuper *Senatus Decretum* tulerat, nè *SS. Chriſti Corpus in Monſtrantia* ſinè authoritate publica per plateas Urbis circumferretur, quo velut inſtrumento aptiſſimo ad concitandas turbas plerumque *hæretici* pietatem prætexentes ſceleribus, utebantur. Primus *Ziſka* voce ſublatâ *Senatum* ignominioſè appellat, ſequuntur commilitones cæteri; denique *Ziſka in Curiam* ducit, & priùs jurgatur cum Senatu, armatus ipſe cum armatis ſuis proximum quemque vulneribus conficit, ac nè ſui, qui ante *Curiam* ſtabant, otio marcerent, aliquos ex *Senatu* magìs exoſos è feneſtris præcipitat; hos illi cadentes ex alto acutis excipiebant haſtilibus, & ſi quid ſupereſſet vitæ, tribulis ferreis excutiebant; tredecim *Hagecius & Theobaldus* eo die cædes factas ſcribunt; *Undecim Senatores*, *Nicolaum*

1419.

tumultus à Ziſka excitatur.

Theob. in Huſſ. P. 1. C. 29.
Dubr. l. 24.
Epito. rer. Boh. l. 4. C. 5

Senatus Novæ Urbis trucidatur.

Digitized by Google

laum Judicem, ejúſque *famulum* ſeu apparitorem, cæteros ex Senatu, maturè ſibi conſuluiſſe. Scelera hæc non per tumultum, ſed ex deſtinatò, & inito longè antè conſilio perpetrata ſignificat *Hagecius*; Catholicæ Religionis odio cæſos, nemo unquam dubitavit. Hanc Tragœdiam longè aliter recitat coævus, quanquam & ipſe ſubleſtę fidei Scriptor in M.S. Chron. cujus verba in latinum converſa adducam, præſertim quòd nomina fortiſſimorum Virorum, quæ alibi non leguntur, apponat: *An. 1419. die Dominico infeſto S. Abdonis inſtituta eſt ſolennis Supplicatio ab Eccleſia B.V. ad Nives ad S. Stephanum, quò venientes fores clauſas invenêre; itaque effregêre S. Stephani januas, & ingreſſi Miſſam dixerunt, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie* Populo *porrigentes. Dum à* Proceſſione *redirent, ad Curiam Novæ Urbis reſtitêre paululum poſtulantes, ut Conſul, Senatus ac Judex dimitterent liberos, quos propter uſum* Calicis *carceribus attinerent, reſpondit intrepidè Senatus: id ſe facere non poſſe; interim ex Curia neſcio quis in Sacerdotem hæreticum, qui in ſupplicatione* Populi *Monſtrantiam, ut dicimus, geſtabat, lapidem jecit; unde proceſſio turbata in Curiam impetum facit, & Curiam occupat: ante omnes Magiſtro Civium vis & manus illatæ, Joannes* Podvinsky *dicebatur, tum Clemens Sstiaſtnik, Thomas* Pellio *Conſules, Czenko* Patriarcha *cognomine, Rzehla Drevvnik, Joannes Humpolecz, Wenceslaus Barborzin, Joannes Kaba, Nicolaus Saſyn Judex arrepti. Judicis famulus Gregorius Walcharz infrà in Culina Curiæ mactatus eſt. Hos Senatores quos nominavi, & quoſdam alios immiſericorditer & immaniter peremêre: nam omnes ex feneſtris Senaculi dejecti neceſſariò in haſtarum cuſpides, in veruta, gladio & ſicas incidebant, & ſi qui innoxiè cecidiſſent, ferratis flagellis trucidabantur.* Hæc Scriptor ejus temporis, qui etſi hæreticus facinus deteſtatur, ſimúlque ſatis oſtendit unicam *cædis cauſſam Religionem* fuiſſe! ad extremum totum hujus ſceleris ordinem *Ziſcæ* præſenti imputat, quem ait, (quod notari meretur) *præ cæteris Aulicis Regi Wenceslao fuiſſe chariſſimum, & perquam gratioſum.*

Hag. ad A. C 1419. M.S. Chro: Boh. tit. Cõſules ex Curia præcipitati.

Nomina Senatorum Catholicorum, qui cæſi ab hæreticis.

Nota.

Ziſka Dux ſceleris.

§. LXIV.

Carthuſiani undecim (ſpoliatâ priùs ab hæreticis, & incenſâ Pragenſi Carthuſiâ) ſpinis coronati, per Pontem ducuntur, Urbe pelluntur, ac deniq; necantur immaniter.

1419.

Dubr. hiſt: Boh. l. 21.

ERat *Pragæ* perilluſtre tam à Sanctimonia, quàm à doctrina *Cœnobium Carthuſianorum*, *Hortus MARIÆ* appellatum, An. 1341. ab *Joanne* Bohemiæ Rege conditum, & magnificè fundatum (cujus Cœnobij originem, dotationem, Viros præclaros, aliáque huc ſpectantia ſuo tempore, ac loco cōmemorabuntur) hoc tempore *Marquardus Wartembergius* Car-

Digitized by Google

Carthuſiæ Pragenſis Prior, *Huſſi* acerrimus inſectator, accuſator, & hæreticorum *Pragæ* malleus ab ijs maximè deſignabatur ad cædem, tótque ac tam multiplices erant inſidiæ, ut de comuni amicorum, & Catholicorum conſilio cedere tempori, & *Pragâ Brunam* velut in exilium diſcedere cogeretur, quæ profectio *Priorem*, ejúsq; itineris comites aliquot morti ſubtraxit; namque interea *Pragæ* horrida ab hæreticis excitata tempeſtas An. 1419. 31. Julij in Carthuſianos incubuit, quam *Hagecij* Bohemiæ Principis hiſtorici narratione in Latinum verſâ, fideliter recitabo: *Manè die SS. Abdonis, & Sennen 1319. Novæ Civitatis Pragenſis ſeditioſi Incolæ iterum ante Curiam conveniunt, &c. Monaſterium Zderaſenſe invadunt, ſpoliant, incendúntque. Fortè per id tempus ante cataractas, & molarum aggeres, lignorum plurimæ rates appulerant, ut ad alteram Muldavæ ripam tutò liceret transgredi; ergo fæx hominum furioſa tranſeunt, & in Cœnobium B. Virginis in Augezd, quod Joannes Rex cæcus An. 1341. ſplendidiſſimè exædificârat, irruunt, ſpoliant, & ſubjecto igne concremant. Monachos venerabiles ſenes vinctos trahunt in Veterem Urbem, Capitibus eorum coronas ſpineas imponunt, habéntque ludibrio. Poſtquam ad Pontem medium ventum eſt, quidam è Ponte deijciendos, & mergendos eſſe clamant, alij repugnant, rixa ac deinde pugna ipſorum hæreticorum exoritur, vulnerati non pauci, duo etiam occiſi ſunt. Ejus totius ſceleris* (in Carthuſianos) *& ſacrilegij admiſſi cauſſa in Joannem Bradaty veteris Urbis Conſulem conferebatur. Quidam Marzik ex Nova Civitate Coriarius, indutus habitum Sacerdotalem, calicem ſacrum manu præferens, tripudiánsque, & geſticulans, Carthuſianos anteibat, quos in carceres Antiquæ Urbis in ipſa Curia* (*undecim numero*) *detruſêre arctè foribus concluſis. Senatui Antiquæ Urbis Tumultus iſte non placuit, ideóque citatum ſacrilegum illum Marzik conjecerunt in vincula, & ſero diei illius* (*quantumcunque Conſul Bradaty repugnaret*) *velut tumultûs in quieta urbe authori, caput amputari juſſerunt. Altero die Senatus Carthuſianos inviſit in carcere, reperti ſunt non ampliùs decem, cùm pridie undecim intrâſſent; ergo vectibus, & ſeris multiplicatis, arctiùs cuſtodiri juſſerunt, tertio die reperti ſunt novem; quærunt Conſules, quò duo jam fratres deveniſſent? reſpondent: dum unà cum ijs nos omnes in faciem procumberemus, DEUM pro nobis, & inimicis noſtris orantes, neſcimus, quò devenerint; reſponſo dato Carthuſiani reducuntur in carceres. Paulò pòſt Senatus univerſus cum Conſule Joanne Bradaty in carcerem venit, alloquuntur ſingulos, & magnâ diligentiâ ſæpius numeratos novem reſtare comperiunt, tum diſcedunt, atque in præſentia ſua oppeſſulari diligenter omnia jubent, nec iſtâ diligentiâ contenti, annulis, & ſigillis ſuis fores ipſas, ſeras, & quidquid ejusmodi fuit, obſignant; Manè altero reverſi, unum iterum deſiderari vident, octo tantùm relictis; attoniti rei novitate, quærunt: ubi nonus, quem herì viderant, eſſet, quò deveniſſet? reſpondent Carthuſiani: chariſſimi Filij, ùt jam diximus*

Carthuſia Pragenſis exciſa.

Hag: in An. Boh. ad An. 1419.

Carthuſiani ignominioſè in Carcerē ducti.

Prodigioſè Carthuſiani ex carceribus emittuntur.

Digitized by Google

mus, nobis orantibus, quò alteri, & iſte devenerint prorſus ignoramus. Senatus ergo miraculo flexus, liberos omnes eſſe jubet, & protinus è carcere dimitti, dato etiam commeatu, & ex ſatellitibus comitatu, qui in Moraviam ituros

Pontan. l.1. Boh. Pia. *deducerent, & ſecuritatem præſtarent.* Hæc *Hagecius*, & in Bohemia Pia *Bertholdus Pontanus*, Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus, ex quibus & miraculi magnitudo, & Chriſti Pugilum fortitudo cognoſcitur; fælices profectò, qui ad Chriſtum *extra caſtra, improperium ejus portantes* exierunt, & imitatione *Chriſti ſpineam coronam* ferentis præluſerint morti! nam (quod ad alia properans omiſit *Hagecius*, ſed alij Bohemiæ Scriptores, *Paulus Zidek* vicinus eorum temporum, & *Bilejovius* tradiderunt) *Carthuſienſes Pragâ* relegati, & *Sedlecium ad Ciſtercienſe Cœnobium* progreſſi, remisêre Comitatum Satellitum, ibique apud amicos Patres, & Fratres conſedêre.

Carthuſiani cũ Sedlecenſibus interfecti. Non multo interjecto tempore, alia hæreticorum manus (qui poſtea *Campeſtres* appellati ſunt) in *Sedlecenſe Cœnobium* incurrit: ſpoliatur rebus omnibus Cœnobium, Religioſi Viri aguntur præcipites, alij exquiſitis ſupplicijs necantur, natant religioſo ſangvine pavimenta, Templa, & Altaria ſacrilegijs contaminantur; ibi quoque *Carthuſienſes Noſtri* cum *Ciſtercienſibus* ab hæreticis deprehenſi, Religionis odio, pridem prædamnati, vitam profuderunt cum ſangvine. Hactenus ex narratione *Hagecij*, *Pontani*, *Theobaldi*, *&c.* at *M.S. Chronicon* coævi Scriptoris hæc acta *Pragæ* non die ultimâ Julij,

Quo die vaſtata Carthuſia. ſed in Auguſto (die Jovis poſt Aſſumtionem Dei Matris) diſertè tradit; cui ſubſcribunt alij quoque Codices Manuſcripti, quorum unus tradit, *Carthuſianos Patres* priùs à furentibus in Cœnobio baculis & ſudibus, crudeliſſimè verberatos, cùm ducerentur, cæruleis vibicibus lividos, luto & cruore oblitos

Theob. in Huſſiticis. P.1. C. 29. ſed malè A. 1418. miſerum de ſe ſpectaculum præbuiſſe. Unum illud de cæde *Carthuſianorum Pragenſium Sedlecij* expedire ſatis tutè non poſſum: *RR. PP. Carthuſiani* in Memorijs ſuis antiquis nihil tale reperiunt, ſed *Pragâ* eductos *Brunam* apud Moravos (quò jam *Prior Pragenſis Marquardus* ex nobiliſſima *Wartembergicorum* ſtirpe prognatus, ut alibi probavimus, pridem præceſſerat)

In Tract. de Cœnobijs Carthuſia: pleroſque tenuiſſe ſignificant. Quid igitur Authoritati Veterum faciemus? dicendum neceſſariò erit: alios ex *Pragenſibus Brunam* perveniſſe, alios *Sedlecij* hæſiſſe, aut (quod veriſimile prorſus mihi viſum eſt, idémq; affirmat in chartulis ſuis *Georgius Crugerius Societatis noſtræ Sacerdos* peritiſſimus hiſto-

Quinã Carthuſiani Sedlecij deprehenſi & necati ſint. riæ patriæ) eos *Carthuſianos*, qui *Sedlecij* apud Ciſtercienſes necati ſcribuntur, ex *Podiebradienſi Carthuſia* profugos, eo tempore *Sedlecium* adveniſſe; favet vicinitas locorum, favet utriuſque *Cœnobij* vetus fraternitas, favet cauſſa communis, & hæreticorum internecina hoſtilitas, favent aliæ omnes conjecturæ, ac potiſſimùm, quòd eâ ratione in ſpeciem diſcordantes, bene conciliantur ſententiæ.

§. LXV.

§. LXV.

Clatovienſes, & Piſecenſes hæretici Cœnobia Prædicatorij Ordinis apud ſe ſita invadunt, ac Religioſos Viros crudeliter interimunt.

NOn poteſt explicari ſatis, quàm citò ſcelera, & ſcelerum exempla vulgentur in populum, ac propagentur: vix pauca illa, quæ antè dixi, *Cœnobia* arſerant *Pragæ*, jam & *Piſecæ, & Clatoviæ* Pragâ procul, Cives conſurrectione factâ, ſuorum *Religioſorum Conventus* immeritos occidunt: odio capitali in *Ordinem Prædicatorum* Viris doctrinâ, & pietate clariſſimis ferebantur hæretici, ideóque cupidiùs, atque atrociùs egêre; utrobique magnifica prorſus, & auguſta ſtabant *Templa*, *Cœnobia* omnia lapidea, aut laterculis conſtabant, manibus multa dejecta ſunt, quæ flammis non conciderant; Religioſi ipſi, ùt ſors tulit, aut enſibus transacti, & conciſi, aut tribulis ad mortem verberati. Hæc geſta: 1419. inter 17. aut 20. Auguſti, nam variant Authores. Non palmare tantùm, ſed triumphale omnino facinus dixerim *Piſecenſis Sancti Dominici Familiæ*; quibus, cùm hæretici optionem dediſſent, vel è veſtigio *Miſſam dicere* (etſi jam dies in veſperum deſineret) ac *ſub utraque ſpecie Laicis*, hæreticorum ritu, *Euchariſtiam* porrigere; aut inter extremos cruciatus perire, poſtremum unà omnes elegerunt, nullo ſupplicia, quæ parata videbant, recuſante. Illud & in his, & in aliorum quoq; *Cœnobiorum* excidijs (quæ nunc ſubjiciam) magnopere dolendum: Nomina glorioſiſſimorum Virorum nuſquam annotata apparere, præter pauciſſimos: ſed nihil mirum; niſì mortui, aut morientes, ſcribere non poterant, cùm hæretici ipſam etiam terram, taceo memorias, ſi quas reliquerant, in qua ſacri homines ſteterant, è rerum natura auferre molirentur. Agunt de his cædibus *Theobaldus*, *Cochlæus*, *Hagek*, aliíque omnes, qui *bella Huſſitica* proſequuntur. *Laurentius de Brzezyny* ſacrilegium hoc à *Piſecenſibus* A. 1419. Dominicâ poſt Aſſumtionem B. V. patratum ſcribit, omnes Cœnobij Religioſos occiſos, *Priorem unicum* abfuiſſe paucis antè diebus *Budvicium* negotiorum cauſsâ profectum. Adjicit: *Cives Piſecenſes Catholicos*, quadraginta numero, in exilium actos, quòd manus commodare noluerint, neque ejus Cœnobij excidium ſibi placere ſignificârint. hæc *M. Laurentius*.

Epit. rer. Boh. l. 5. C. 5.

1419.

Fortitudo Piſecenſis Conventûs Ord Præd:

Hagek ad A. 1419.

Theob. in Huſſit. Hagek. l. cit Cochlæus. aliíque.

Catholici Piſecæ in Exilium acti.

§. LXVI.

Novæ cædes DEO ſacratorum hominum Pragæ, & plurimorum Cænobiorum excidia. A. 1419.

AB hoc dato initio ſacra evertendi, & Religioſos Viros trucidandi (quos ipſi inutile telluris pondus, & Cœnobia *otioſorum hominum, &*

ſagina

ſaginæ deditorum domicilia appellabant) incurſum in alia Cœnobia paucis pòſt diebus, nec ulla prope Auguſti dies *Pragæ* ſinè ſcelere, & ſangvine tranſivit: *BrZevnovienſe* magnificum ad Pragam Ordinis S. Benedicti, *Strahovienſe Norbertinorum* æquè ſplendidum, & in minore Praga *Plaſſenſis Præpoſitura* poſt portam Augezdenſem; *Melitenſium Equitum* in pede Pontis ad *Sanctam Reginam*, hodie ad *Catenam* dictum; *S. Thomæ Eremitarum S. Auguſtini;* Veſtalium de *Pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ* diruta ſunt (duo poſtrema Anno ſequenti etſi lacera jam, ſtabant, incenſa tamen ſunt, ùt habet *Lupacius*) ſacrati Deo homines utriusque ſexûs, quicunque non effugerant (& quis, oro, effugere eam celeritatem, & vim hoſtium, nisì fortè pauculi apud cognatos, & amicos clàm ſervati, & occultati potuiſſent?) cæteri omnes crudeliter excruciati, & interfecti varijs mortibus, pauciſſimi in carceres conjecti, & poſtea miſericordiâ animos Civium aliquorum ſubeunte, in exilium acti præcipites. Nec minùs in *Veteri & Nova* Urbe ſævitum: dejecta ſunt *S. Clementis Prædicatorum* ad Pontem; Virginum S. Claræ, quod ad *S. Franciſcum*, aut *S. Agnetem* appellant; aliúdque non procul *S. Barbaræ* ejusdem Ordinis Virorum; ad *S. Benedictum* Crucigerorum Prutenorum; *Carlovienſe Canonicorum S. Auguſtini*; *S. Ambroſij* ſub Wiſſehrado Ambroſianorum Ordinis S. Benedicti; denique *Carmelitanorum ad Nives*, & ſi quæ fuerunt alia. Quæ adduxi, omnia in Scriptoribus eorum temporum, aliíſque tam Manuſcriptis, quàm Typo editis *Hiſtorijs Bohemiæ* nominata leguntur: ubique plurimum factum ſangvinis, direptâque omni ſupellectili, Templa, & Cœnobiorum parietes dejecti, omnéſque deprehenſi *Sacerdotes & Monachi*, omnibus humanæ patientiæ exemplis necati.

Monaſteria Pragæ cum alumnis ſuis exciſa.

Lup. in Calend. hiſt.

Zidek in M. S. Weleslav. ad 3. 6. 31. Julij. 27. Aug. Theob. in Huſſ. P. 2. C. 33. Epit. l. 5. C. 5. Laurentius in M. S.

§. LXVII.

Auſta Sezymæa Civitas cum Incolis, & cum toto Prædicatorum Cœnobio, Religionis odio à Taboritis deletur. Ulricus loci Dominus in Caſtro Sedlecz captus, cum plurimis alijs Viris Religioſis ac Sacerdotibus necatur crudeliſſimè.

ANno 1420. 21. Februarij die Cinerum, *Auſta* Civitas (Auſti Bohemis) ſub *Taborio* ſita, *Ziſka* Duce excinditur; timebant hanc urbeculam *Taboritæ*, quòd vicina *Taborio* (quod condere moliebantur) progreſſiones Urbis novæ ſiſtere una poſſe videbatur; præſertim quòd Auſtæ imperaret *Ulricus SeZyma de Auſti* ex Roſenſibus (qui cæruleam in clypeis Roſam gerebant) ortus, acerrimus Religionis Catholicæ defenſor, & hæreticorum hoſtis. Ergo cùm lætiores epulis celebrantur dies, *Bacchanalia* dicti, ante

Hag. in Annal. ad 1420

Auſtæ Catholici occiduntur.

Digitized by Google

ante creperam lucem diei cinerum, *Ziſka* ſummo ſilentio cum ſuis *Taboritis* invadit Urbem, nec niſi jam captâ Urbe, cùm defendendi nullum locum, nullúmque tempus haberent, *Cives* hoſtem ſenſêre, & continuò ad mortem quæſiti. Stabat in eadem Civitate Auſtenſi *Prædicatorum Cœnobium* (de quo aliquid dicere memini, cùm de *Illuſtriſſimo* illo ordine alio in loço agerem) huc confluxêre latronum ſæviſſimi, ut eorum, quos peſſimè oderant, ſupplicijs paſcerentur. Quibus cruciatibus exturbati ſint è vita, nemo veterum tradidit; totum Religioſorum gregem, ſeu *Conventum* crudeliſſimè necatum, omnes *Memoriæ veteres* affirmant. Tragœdiâ peractâ, & aliquot hominum (quod dubitari in tanta id temporis Civitatum frequentia, ac multitudine populi, non poteſt) millibus, incenſa *Civitas*, rogus omnibus unus, & domuš, & mœnia ſuper Cives ruêre. Extant hodiéque *Auſtæ* veſtigia, & ſeges eſt urbis vice; plateæ *Eccleſiarum*, & præcipuè *Cœnobij* locus poſt duo, & amplius ſæcula agnoſcuntur; agnovi & ipſe, locúmque tot Martyrum cruore ſignatum cum lacrymis ſalutavi. *Ulricus de Auſti*, quem nuper nominâram, dum caperetur *Auſta* aberat, atque in vicino caſtro *Sedlecz* dicto morabatur; in idem Caſtrum plurimi ſeſe *Sacerdotes, & Religioſi Viri* cum *Cœnobiorum & Eccleſiarum* ſuarum ſacris opibus receperant. *Die Lunæ poſt Dominicam in Albis Taboritæ* quatuor ex ſeſe lectis Ducibus Arcem *Sedlecz* ex improviſo invadunt, & occupant. *Ulricus Sezyma* loci Dominus protinus ante omnes tribulis ferreis datur in terram, & barbarâ crudelitate perimitur. Mortuo *Ulrico* (tanta fuit ulciſcendi rabies!) pedes & manus abſcidêre *Taboritæ*, eóſque unâ cum trunco corpore in rogum injecêre; cæteri æquè ſacri ac profani homines, quicunque reperti ſunt, nullo diſcrimine diverſis mortibus periêre, arx ipſa ſubjectis flammis deleta.

Cœnobiũ Auſtenſe eversum, Sacerdotes occiſi.

Ulricus Sezymæus ex Procerum familia crudeliter cum alijs occiſus

A. 1420.

§. LXVIII.

Cœnobia: Milovicenſe Præmonſtratenſium, & Launovicenſe Virginum ejuſdem Inſtituti; Pragæ Melitenſium Equitum; Prædicatorum ad Sanctum Clementem An. 1420. exciſa ab hæreticis. Exules Catholici Pragenſes.

Cùm *Taboritæ*, ùt modò narraveram, *Auſtam Sezymæam* deleviſſent cum Civibus, in proximum *Milovicenſe Virorum, & Launovicenſe Virginum Cœnobium*, utrumque *Præmonſtratenſe* invadunt, ſpoliant, incendunt, ac diruunt; an in DEO conſecratos homines ferro graſſati ſint, in ſilentio hæreticorum Scriptorum (qui crudelitatem ſuorum ubique tegunt, & excuſant) certum non habeo, ſed perpetua *Taboritarum* conſvetu-

1420.

Milovicenſes nocte eſfugiunt.

 do

do, qui jam tum ſangvine ſacro manus imbuerant, quid ſit factum, oſtendit. Ex *Milovicenſi*, noctis beneficio, evaſiſſe Religioſos ſcripſit *Hagecius*. *Launovicenſis* Parthenonis ditiones Civitati ſuę novę adjunxêre *Tabores*, quod *Sigiſmundus Cæſar* poſtea ratum habuit, ut Jure feciſſe viderentur; id unum ſcilicet calamitatibus *Bohemiæ* deerat, ut ſacrilegia Juribus firmarentur. Pragæ quoque per id tempus quædam Cœnobia deleta: *Rhodiorum Equitum* dictum **na Bogiſſti**, *S. Clementis Prædicatorum* in vico Porzicenſi in Nova Urbe; *S. Catharinæ* in eadem urbe, Virginum *S. Auguſtini* Inſtituto viventium, aliáque. *Exilia* quoque, inter ſupplicia *SS. Martyribus* irrogata, computant *Annalium Eccleſiaſticorum Scriptores*; id *Pragenſibus* Urbibus hoc Anno accidiſſe notavit *Hagecius*: ſeptuaginta, & ampliùs Familiæ Catholicæ in *Urbe Antiqua Pragenſi*, vacuis domibus relictis, nec pauciores in *Nova*, Religionis cauſsâ (cui jam *Pragæ* locus non erat) ſolum (partim vi, partim ſponte, & neceſſitate adacti) verterunt; maluerunt ſcilicet vitam inopem, & vagam perſequi cum ſuis, quàm excidium antiquiſſimarum Religionum (quod gravius omnibus ſupplicijs eſſe credebat) aſpicere, & quotidianis injurijs expoſiti vivere *in medio nationis pravæ*, & peccatis urgentibus *jamjam convellendæ, ac penitùs dilacerandæ*. Queruntur de ea ſolitudine & domorum centum quadraginta, & plurium vaſtitate, etiam Scriptores hæretici, doléntque cum *Catholicis* tam crudeliter actum: potuiſſe enim, ſi molliùs egiſſent, forſitan ad partes ſuas adduci.

Epit. rer. Boh. l. 5. C. 7. Hagek ad A. 1420.

Exilia Civium Catholicorum Pragæ.

Hag: l. cit.

§. LXIX.

Sexaginta quatuor, Patres, & Fratres Ordinis Servorum Beatiſſimæ Virginis à Taboritis in Cœnobio Boticenſi ad Eccleſiam Beatæ Virginis Anunciatæ Pragæ in Rogum injecti, & flammis conſumti.

1420.

ANno Chriſti 1420. 3. Junij. *Tabores* gens ad excidium Religionis in Bohemia nata in *Cœnobium Servorum Beatiſſimæ Virginis in pratulo* dictum, ſub *Wiſſehrado* in Nova Civitate Pragenſi ad rivum *Boticz* ſitum furioſo impetu incurrunt. Mirabili Numinis Providentiâ factum reor, ut per id, licèt tam periculoſum tempus, *Capitulum* ſeu *Comitia* Sancti illi Patres *Pragam* indicerent, celebraréntque; parabat nimirum Religioſiſſimis viris Lauream Martyrij DEUS, ideóque omnes in illam arenam collectos quodammodo evocârat: Nomina præcipuorum, qui è nobiliſſimis *Florentiæ, & Senis* familijs orti fuêre: *Auguſtinus Cennini*, *Bartholomæus Donati*, *Laurentius Nerveci*, *Joannes Baptiſta Patricci.* & hi quatuor Miſſionarij,

Capitulum Servitarum Pragę, ex ijs 64. igne pro fide Catholica cõbuſti.

&

& Concionatores Apoſtolici, Viríque doctiſsimi. Tum *Jovaccini*, *Piccolomini*, *Franciſcus Datrius*, *Bonaventura Chuni*, *Benincaſa* (prænobilis in Urbe *Senis* ſtirps, ex qua, niſi fallor, *S. Catharina Senenſis* prodijt) *Rapaccioli* (illuſtre genus) *Periteus Malvecz &c.* Hos congregatos hæretici adoriuntur, quærunt: velíntne quatuor illorum articulis ſubſcribere? cùm negarent omnes, ſéque pro Fide morituros forti, & invicto pectore reſponderent, ſtatim Religioſæ domui, & Eccleſiæ Marianæ ab hæreticis ſubjiciuntur faces, raptíſque ex ardente Cœnobio torribus Rogi parantur; at *SS. Martyres* altiſsimâ voce hymnum: *Te DEUM Laudamus* inchoant, & cantu lætiſsimo proſequuntur, velut cygni modulando morientes. Ergo injecti in rogos latronum paſcebant oculos, ſed & atroci ſpectaculo cœleſte prodigium jungebatur, quippe animæ puriſsimæ *Servorum Beatiſſimæ Virginis* columbarum inſtar ex ipſis rogis evolantes in cœlum à *Taboritis* ſpectatæ ſunt, ùt veteres hæreticorum manuſcripti Codices teſtantur, ſed nimirum bene in SS. codice Evangeliorum de improbis legimus: *neq; ſi quis à mortuis reſurrexerit, credent.* Ex Epiſtola Manuſcripta R. P. Gerardi Ordinis Servorum B. Virginis data An. 1420. 30. Novembris. Freibergâ.

Miraculum in eorum cæde.

Vide Epit: hiſtor: noſt. l. 3. C. 21.

§. LXX.

Cœnobium opulentiſſimum Apoſtolorum Porta (vulgò Poſtoloprty) Ordinis Sancti Benedicti ad Launam, atque in eo Religioſi omnes ferro, & igni delentur. Nepomucenſe Ciſtercienſium Cœnobium duplex exciſum.

EOdem Anno 1430. ſcelerati *Huſſitæ*, & ex ijs ultima fæx latronum conjuratione factâ, ſilentio comparatis rebus omnibus, *Poſtoloprtenſe* Cœnobium ſummâ celeritate (quòd alioqui præviſo periculo defendi poſſe videbatur) occupant, & occiſis priùs crudelem in modum *Monachis*, nullo inter ſacrum, & profanum diſcrimine, diripiunt omnia, ac tandem *Eccleſiam* elegantem cum toto Cœnobio ſuccendunt; periêre eo incendio omnes reliqui, qui ſeſe quibusdam Cœnobij latebris contexerant, tum magna vis Eccleſiaſticorum ornamentorum: occiſorum Religioſorum numerus longè ſupra *centum* fuit, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis; Nos defectu monimentorum nominare non poſſumus. Dolebant Majores noſtri, æquè *Hæretici*, ac *Catholici*, conſumtam flammis in Cœnobio *Bibliothecam Manuſcriptorum Codicum* præclariſsimam omnis argumenti, quâ numeroſiorem, & præſtantiorem alteram, eâ tempeſtate *Bohemia* non habuerit. Paulò aliter rem geſtam ex *Hagecio* narrat *Paprocius*; videlicet: defenſum à Satelli-

1420.

Epit. rer. Boh. l. 4. C. 7

Frequentiſſimum Cœnobiũ Portæ Apoſtolorum evertitur.

Bibliotheca pulcherrima perit.

Pap: in Monaſter: Boh.

Digitized by Google

tellitibus conductis ſummâ vi *Cœnobium*, ſæpiúſque rejectos hoſtes (quos ille *Slanenſes*, *Zatecenſes*, *&* *Launenſes* fuiſſe affirmat, Duce *Puta*, *&* *Zaviſſio Barbato*, Equite *Obrovicio*, *&* *Petro Sſpiczka* Taboritico Sacerdote, qui cùm aſſultibus nihil ſe viderent proficere, ſagittis flammas ferentibus, multis in locis *Cœnobium*, quod arci, & Caſtello munitiſſimo ſimillimum fuit, incenderint, cædéſque reliquas perpetrârint. Narratio à priore non multùm differt; lectores in re tam antiquâ, ſequantur quod volent.

Cædes ſacrorum hominum Nepomuci. *Nepomucum* Ciſtercienſis Inſtituti Cœnobium in lætiſſima valle ſedebat, alterum ejuſdem inſtituti Virginum in vicino *monte viridi* (Grünberga) procul eminebat, illud *Colonia* fuit *Cœnobij Erbacenſis*, ùt pridem oſtendi; de Parthenone, præter traditionem certam, nihil adhuc invêni. huc occultis itineribus ijdem *Cœnobio-claſtæ* perveniunt, unóque impetu invadunt, & capiunt; plures centum, & quinquagenis viros ſacros, & Virgines DEO devotas, velut victimas, nihil pugnantes ferro variè interemerunt.

§. LXXI.

Monachorum Caſtrum Ciſtercienſis inſtituti captum, & cum Religioſis viris omnibus ab Orebitis funditus deletum, A. 1420. Pragæ rogo exſtructo, duodeni Brzevnovienſes Religioſi, tum alii duo Catholici publicè cremantur.

1240. *Epit. rer. Boh. l. 4: C. 7*

HInek *Kruſſina de Lichtemburg Orebitarum Ductor*, Vir conſilio, & manu promtiſſimus, ſed partium malarum, cùm ſuos ditare vellet, quibus legitima ſtipendia repræſentare non poterat, *Ambroſij* ſacrilegi Sacerdotis (qui caſtra, & milites *Trzebechovicij* collectos ſequebatur, ac poſtea vel hoc merito, *Reginohradecio* in Junio occupato, *Reginohradecenſem Archidiaconatum* ab hæreticis obtinuit) tum etiam Apoſtatæ *Matthæi Lupacij* conſilio, *Ziſcæ*, *&* *Taboritarum* exemplo, pecuniam facere conſtituit; Nobiliſſimum diſciplinâ, & inſtitutis optimis, numero, & ædificationibus ſplendidiſſimis, auguſtiſſimâ Baſilicâ, aliíſque ornamentis *Cœnobium* erat in *Boleslavienſi* Provincia, *Ciſtercienſis* Ordinis, quod *Hradiſtienſe*, ipſimet Gradicenſe Cœnobiū vaſtatur. verò Religioſi *Monaſterium in Gredis* appellabant, ùt ex *Libris Erectionum* intelligimus. Dubitari non poterat, ſi latronum adventus patuiſſet, vitari excidium potuiſſe; at *Hinek*, nè res emanaret ſolicitus, die noctúque conti-
Religioſi interfecti. nuatis itineribus *Caſtrum* inobſervatus repentè adoritur; non fuit pugna, ſed victima, licèt præſidiarij in re tam ſubita acriter locum tutarentur. Incenſo Cœnobio ſacri Incolæ, maximo numero (ùt tum erant tempora) aut inter ferrum, aliáque ſupplicia, aut denique inter flammas, beatas animas poſuerunt,

runt,

Digitized by Google

runt. Quid hâc ſanctius morte, quid optatius, quàm Chriſto *ſangvinem dare pro ſangvine*, & vel cruore temperâſſe hæreticorum ſitim, ut mitiùs *Calicem* ſitirent?

Jam *Pragæ* fora rogis, uſtrinis, & buſticetis inflammari vidiſſes. 6. Junij (ſacro *Corporis Chriſti* die) inſidijs hæreticorum excepti *Brevnovienſes* quidam ex *D. Benedicti* familia, qui incenſo 22. Maij Cœnobio, & Templo auguſtiſſimo, nuper evaſerant, educti in forum, & in rogum injecti, concremantur. Duodenos numero fuiſſe *Brevnovienſes*, affirmat idoneus Author *Dubravius*; his in pari cauſſa additos eſſe duos ſcribit *Theobaldus*, videlicet *Sacerdotem Catholicum*, tum *Germanum* quendam, qui tot ſacrilegiorum, quæ videbant, odio, vocem aliquam miſerant; quâ reprehenſione licèt veriſſimâ, irritati *hæretici*, utrumque in flam̃as, & ardentes rogos injecêre.

Weles. in Calend. ad 6. Junij. Dubrav. in hiſt. Boh. l. 24. Theob. in Huſſiticis. Brzevniovienſes Religioſi exuruntur.

§. LXXII.

Jacobus Scholaſticus, olim Rector Univerſitatis Pragenſis, in exilium relegatur. Quatuor ex Aulæregienſi Cœnobio ſacrati homines, rurſúsque alij quatuor in rogum impoſiti.

QVandam furioſæ ſuæ mentis imaginem in flammis habebant, & referebant *hæretici*; ideóque hoc pœnarum crudeliſſimo genere maximè ſæviebant: nondum à priore ſupplicio ſex abierant dies, rurſus ad terrorem Catholicorum, præſertim ſacrorum hominum excitantur flammæ, educti in publicum *Ciſtercienſes in Aulæregia Cœnobio* educati, qui neque blanditijs, neque minis de ſententia dimoveri potuiſſent; ergo priùs omnibus contumelijs vexati, unâ in DEO ſpe repoſitâ, pro *Chriſto*, & ſanctiſſimis Religionibus glorioſam oppetiêre mortem duodecimâ Julij: nemo erat, qui publicè condoleret, plurimi dolorem premebant in corde; at viri fortiſſimi lætitiam ex cauſſæ bonitate vultu præferentes, vitam à quo acceperant, reddiderunt. Viceſimâ Junij rurſus aliorum quatuor Religioſorum Virorum incendium (quorum ordo, & inſtitutum ignoratur) *Pragenſe* forum ſpectavit; optio data omnibus, ſi vitam ſervare vellent, *ſub utraq; ſpecie Euchariſtiâ* ſumerent; aut ſi id nollent laudare, & probare ſe dicerent; negantibus id ſibi per Eccleſiæ leges, moréſq; licere, neque DEO placere eos poſſe, qui *Eccleſiam Matrem* non audirent, crudele flammarum ſupplicium irrogatum.

1420. 12. Junij. Aulæregiẽſes aliiq; Relig: incenſi. *Epit. hiſt: l. 4. C. 7. Theob. in Huſſit. P. 1.*

Mitiùs actum cum *M. Jacobo Scholaſtico* Viro doctiſſimo; cognomen *Hagek* non addit, ſed *Univerſitati Carolinæ* quondam præfuiſſe, atq; eo tempore in *Eccleſia Teinenſi* ad populum Concionatoris munere functum affir-

Hag. ad A. 1420. Rector Carolinæ Univerſitatis Pragâ pulſus.

Antiſtita Parthenonis Georgiani Pragæ, virilis animi Virgo, cùm Pragenſium articulis ſubſcribere nollet, pulſa è clauſtro, ac deinde cum Virginibus ſuis omnibus in exilium eſt deportata (quam *Hagecius Laurentio* ſuo anxiè inhærens, ſubſcripſiſſe illis articulis affirmat, Theobaldo, etſi hæretico, ex alis MM. SS. docente, ſubſcribere noluiſſe) & ſanè ſi ſubſcripſit, cur ejecta eſt? profectò nullam hæretici cauſſam adferre potuiſſent. Idem in narranda cæde *Beraunenſium Catholicorum*, *Laurentij* ſui authoritate deceptus peccavit *Hagecius*, cùm nobiliſsimos Viros paciſci cum hæreticis voluiſſe, & ſe hæreticis acceſſuros promiſiſſe deſcribit, quos *Theobaldus* nullis pollicitationibus ad mutandam Religionem induci potuiſſe affirmat, ideóque in caldaria cella ſubjectis facibus arſiſſe. Quæ enim ſæviendi cauſſa? cùm inſuper hoſtes acceſſione tam clarorum Virorum hæreſin ſuam firmare potuiſſent? adde, quòd innumeris exemplis conſtet, omnes fugitivos clauſtrorum, & Sacerdotes ipſos, quicunque ſceleratis illis exercitibus addere ſeſe voluiſſent, ſtatim, & promtè receptos, etiam poſthæc agminum ductores evaſiſſe! hinc illa *Procopij Raſi* turma, totius *Exercitûs Taboritici flos*, quæ ex raſis, id eſt, Sacerdotibus, & Monachis conſtabat. Hæc neceſſaria viſa eſt defenſio tot Illuſtrium Sanctimoniâ, aliíſque dotibus Virorum, quibus *M. Laurentius*, malo afflatus hæreticorum Genio, coronam Martyrij iminentem è Cœlo ſubtrahere conatus eſt, cùm tamen homo ſtultiſsimus eos pro fide, & Religione cæſos fateatur. Sed neque belli jus obtendi poteſt: quod enim jus belli Religioſos in clauſtris pacatè degentes, Divinis laudibus diu noctúque occupatos, alios obvios, alios inermes, aut cùm ſe ad munita loca recepiſſent, captos, omnes imeritos, trucidare, ídque factum jure belli defendere? abſit odium Religionis internecinum, abſit hæreſis, nihil erit, quod cauſſam dediſſe tot cædibus, & morte atrocioribus, & tam exquiſitis ſupplicijs, quæ irrogabantur, poſsis dicere. Redeamus in viam:

Item Berauneníes Catholici.

Apſtoatæ plurimi his temporibus

Anno eodem 1420. in pervigilio *S. Bartholomæi Apoſtoli Rziczanum* oppidum cum Taboritis aggreſſus occupat *Ziſka*; inter captivos *Septem Sacerdotes* inventi, quos vinctos in hypocauſtum quoddam materiatum injici juſsit, atque ipſum locum incendi, quo igne ſunt conſumti. *Hagek* ex *Laurentio* eos Sacerdotes jam antè Populo *Euchariſtiam* ſub utraque porrigere ſolitos, & cum *Ziſka* ad prædas, & cædes ituros promiſiſſe, prorſus improbabiliter narrat; ut quid enim ſuos, & partium ſuarum vitâ privabat? nihil de hac prævaricatione Sacerdotum *Theobaldus* diligentiſsimus Scriptor, nihil Codices cæteri, ab eorum temporum Scriptoribus relicti. Porrò *Rziczanum* M. S. Codex ait eo tempore in ditione *D. Dionyſij* fuiſſe; crediderim *Boczkonem Podiebradium* intelligi.

Hag. in An. Theob. in Huſſit. Epit. hiſt. rer. Boh.

Rziczaniſ Sacerdotes combuſti.

Rziczano Ziſka in *Bechinenſem Diſtrictum* contendens fortunâ in *Hermannum Epiſcopum Nicopolitanum Suffraganeum Archiepiſcopi, Mindelheimi* in *Sue-*

Ducis, quam *Ziſka* nunquam didicerat, nunquam aſſvetus parcere, implorabant; primo ſtatim in *Urbem* ingreſſu triceni quini ſuper centenos (potior Civium pars) alij ſuper alios cecidêre; *Sacerdotes*, qui arma non geſſerant, tum promiſcuum vulgus cum mulieribus, & parvis liberis ſacri loci fiduciâ in *Eccleſiam* confugêre; *Pius II. in hiſtoria Bohemiæ* affirmat, hos omnes, imiſſo igne (*pueros etiam, ac infantes*) combuſtos; alij mitiores ajunt: mulieribus imperatum, ut pueros, & infantes efferrent, aut educerent, atque huic agmini, ut oppido migrarent, indictum, ac tum primùm cæteram inermem Catholicorum turbam, *octoginta quinque* numero, Eccleſiâ inflamatâ, ignibus deletam, cum acerbiſsima irriſione adjectâ: *ſic nos Catholicorum cædibus oportet implere omnem juſtitiam.* Utcunque ſit, fælices profectò, qui cùm hæretici ſcelera patrando, iſti, mortem pro *Chriſto* fortiter tolerando, Juſtitiam impleverint! Atrocius aliquid de cæde *Prachaticenſium* ejus temporis Scriptor, quem fidiſsimum hactenus animadverti, ſignificat: *Die S. Martini* (vide notam temporis ab *Hagecio* multùm diſcrepantem, quam tamen ego omnibus Manuſcriptis Codicibus reclamantibus admittere non poſſum) *Ziſka Prachaticium* expugnat; heu quantâ hominum ferro, & igne pereuntium ſtrage! ac propè omnium Civium morte! nam Cives in hypocauſta tria, atque in quoddam *Sacrarium* compulſos, facto inter eos incendio conſumſerunt; eo pacto tres ciſternas cadaveribus ſolis ad ſummum implevêre; denique maximam fecêre cædem. Hæc Scriptor coævus: his quoad cæſorum numerum ſubſcribere videtur *Theobaldus*, qui *Prachaticij* nongentos Catholicos à *Ziſka* peremtos affirmat.

C. 42.

Diverſæ narrationes de cæde Prachaticenſiũ

M. S. Cod.

Theob. in Huſſ. P. 1. C. 11.

§. LXXV.

Splendidiſſimum, ac verè Regium Ciſtercienſium Cœnobium Aureæ, vel Spineæ Coronæ funditus deletum; Religioſi, qui deprehendi poterant, in tilijs ſuſpenſi perierunt. Wodniani Sacerdotes in flamas conjecti.

UT popinis, ganeis, luſtríſque aſſveti Lurcones, qui *nocturno fœtere mero, fœtere diurno* jucundiſsimum exiſtimant, nullum indecoræ illius vitæ finem facere poſſunt, & eôdem ſemper conſvetudinis quâdam neceſsitate trahuntur; perindè belluini, & cruenti latrones ſemper incitantur ad cædes, nec minor in ijs deprehenditur humani ſangvinis, quàm vini ſitis. Adhuc *Prachaticium* calido ſangvine Civium ſuorum natabat, cùm repente *Tabores* in *Ulrici Roſenſis* ditiones (qui nondum Pacem cum ijs fecerat) incurrunt. *Theobaldus in Huſſiticis* innuere videtur, hæc quæ mox narrabo,

A. 1420. 14. Maij.

Ep. l. 4. C. 7.

Hiſt. Roſenſis M. S.

Theob. in Huſſit. P. 1. C. 38.

Digitized by Google

bo, ductu *Victorini Boczek de Kunſtadt*, patris *Georgij Regis* eſſe patrata: alij *Ziſcæ* ſcelus imputant. *Crumlovio* non ità procul ampliſſimum, idémque opulentiſſimum *Ciſtercienſis* Inſtituti Cœnobium ſtabat, *Eccleſia* auguſtiſſima, & viſendi operis (ſed hæc deſcribendi alius erit apud me locus) huc *Tabores* feruntur. Statuerat *Rudgerus Abbas*, *Cœnobij* ſui vitam armatâ manu ab hoſtibus defendere, vidíque in *Curia Budvvicenſi* literas, in quibus balliſtarios ſibi propere mitti in auxilium poſtulat; at dum *Budvicenſes* cunctantur, rebúsque ſuis tuendis potiùs, quàm alienis proſpiciunt, *Abbas* excluſus tempore, tantùm non oppreſſus ab hæreticis, vicinis nemoribus, ac ſilvis ſe texit, deprehenſi tamen ſunt ultimi, qui reſtiterant, ex Religioſis (fortaſſe ſenes, debiles, ægrotíque) quos miſericordiâ ſcilicet latronum animos ſubeunte, non (ùt alibi faciebant) flammis cremârunt, ſed laqueis circum *Cœnobium* in tilijs ſuſpenſos reliquêre, *Cœnobium*, *& Templum*, & quæcunque adſita ſunt, flammis cremavêre. Hinc illud in *Bohemia* omnibus notum tiliarum miraculum, quarum cappata, & capitellata ſunt folia ſic, ut ad vivum cappas Monachorum repræſentent. Vidi hiſce oculis ejusmodi capitiatas, ut ſic dicam, tilias ad illud Cœnobium, quod ex ruderibus, & cineribus paulatim aſſurgit; quarum arborum folia, me puero, paſſim diſtribuebantur, quæq; miraculo habebat omnis retro Bohemica antiquitas.

Abbas Rudigerus cũ nonnullis ſuis mortẽ effugit.

Capparum miraculum

Dubr. l. 26. hiſt. Boh. Ep. l. 4. C. 7.

Wodniani Sacerdotes exuſti.

Excisâ *Coronâ aureâ*, quæ poſthac *Spinea* dici potuit, ſpinis in Cœnobij, & Eccleſiæ loco creſcentibus, *Wodnianum* Ziſka deſcendit, deditóque oppido, *Sacerdotes* omnes, qui eò ſeſe loci fiduciâ receperant, in calcariam fornacem injecit, flam̃ísque per ſum̃am crudelitatem cremavit innoxios, niſi quòd *Catholicè* credidiſſent, ac ſacra feciſſent; ſed hoc *Taboritis* grande, ac nullis flam̃is expiabile ſacrilegium videbatur. Sunt quædam manuſcripta, quæ *Wodniani* excidium anno ſequenti poſuerint.

NOTANDUM:

Error de Aula Regia

In Martyrologio Ordinis Ciſtercienſis in Bohemia (quod in eo SS. Ordine publicè legitur) hæc reperi: *In Bohemia Paſſio SANCTORUM MARTYRUM Ord: Ciſtercienſis, qui in Aula Regia Domino famulantes, pro eodem vitam hæreticorum furori liberè obtulerunt, eámque ſuſpendio glorioſiſſimè terminarunt, quámque grata, ac pretioſa fuerit in conſpectu Domini Mors eorum, continuum poſtmodum miraculum comprobavit; ſiquidem in Tilia in qua ſuſpenſi fuerunt usquè in hodiernum diem folia creſcentia inſtar Caputiorum reperiuntur. De ijs in Menologio Ciſtercienſi Chryſoſtomus* Henriquez, *Abrahamus* Bzovius *ad An. 1420.* Mirabar cùm hæc legerem; nihil tamen ex ijs, quæ aſſerui, muto: video enim Authorem hujus *Martyrologij*, imò & *Henriqueſium* in ſui Ordinis rebus (quantum *Bohemiam* attinet) paulò negligentiùs eſſe verſatos. Certiſſimum & compertiſſimum eſt: pro *Cœnobio Aula Regia* legendum eſſe *Cœnobium Aurea Corona*: nam in Aula Regia de Tilijs cappatis, nihil unquam ſimile vidi, vel audivi; at in *Spinea vel Aurea Corona* ipſe ego, hiſce manibus, Cappas ex Tilijs decerpſi.

§. LXXVI.

Digitized by Google

§. LXXVI.

Orebitæ hæretici nequitiâ Taboritis pares, crudelitate etiam ſuperiores, in tractu Reginohradecenſi Cœnobia Religioſorum Virorum excidunt; Reginohradecenſes Cives hæreſi corrupti, Swatopole/ ſeu Sancti Campi Cœnobium, cum tota ſacra familia incendunt.

POſt Victoriam de Cæſare *Sigiſmundo* ad *Wiſſehradum* relatam, *Orebitæ*, nè ſcilicet otio marcerent, præſertim, quòd pietate, ùt jactabant, Monaſteria excindendi, *Taboritis* nihil concedere vellent, *Pragâ in Reginohradecenſem Provinciam*, ad oppugnanda Cœnobia furorem convertunt. Non explicant hæretici (quos ſolos authores rerum iſtarum habeo) quæ *Cœnobia* potiſsimùm exciſa ſint, ſed exquiſitiſsimis ſupplicijs de vita deturbatos Religioſos ipſimet fatentur, plerique vivi, ac ſpirantes flam̃is conſumebantur; ſed cùm hiems aſperrima hoc anno ſæviret, tempore utendum rati *Latrones publici*, *Monachos* deferebant ad flumina, tum nudatos penitùs, exſectâ virilitate, manibus, pedibûſque vinctis, mille ignominijs vexatos, rigidiſsimo anni tempore deponebant in glacie, ubi miſeri (ſi ſpectentur humana) obtorpeſcebant, ac tormenta inter, & frigora necabantur. 1420. Epit. rer. Boh. l. 4. C. 7 Theob. in Huſſ. P. 1. C. 40. Contin. in M. S. Tormenti atrociſſimũ genus.

Jam & *Cives Reginohradecenſes* nuper admiſsâ in animis hæreſi, rati ad ſe quoque *Cœnobiorum* ſpolia pertinere, quaſi rem in medio relictam, *Sanctocampenſe Cœnobium* in vicinia ſua aggrediuntur, quod, poſteaquam, quæ rapi poterant, rapuiſſent, incendêre, & *Monachos* omnes in eandem flam̃am conjecêre, id quod *M. S. Codex* (quem *Reginohradecenſem* vocare ſoleo) com̃emorat; locus, ubi *Cœnobium* illud **Swatypole** dictum ſteterit, non additur; permirum mihi ſemper eſt viſum, nunquam hujus *Sancti campi* (nam alterius in *Podbrcenſi Provincia in S. Montis hiſtoria* meminimus, quæ *Præpoſitura*, ùt vocant, *Nepomucenſis Cœnobij* fuit) iſtud, inquam, permirum, nunquam hujus *S. Campi*, quod ſciamus, mentionem in hiſtoria noſtra fieri, ſucceſsit ſcilicet duobus ſæculis continuata hæreſis, quæ ipſum Cœnobij nomen extinxit; ſuſpicor *Præpoſituram* divitis alicujus Cœnobij, aut celebrem ditionem fuiſſe: quippe hæretici, (ùt ſæpe in M. S. Codicibus legimus) *Monachorum* ditiones, & domicilia, etſi non ſatìs propriè, *Cœnobia, & Monaſteria* ſinè diſcrimine, & indifferenter appellant. Hæc poſtrema (ut obiter admoneam Lectorem) fine anni 1420. & ſequentis initio ab *Orebitis* ſunt patrata. M. S. Reginohrad. Sanctus Campus Monaſterium exciſum. Appendix I. ad hiſt. Divæ S. Montis.

§. LXXVII.

Nova Cœnobiorum excidia, & mortes fidei cauſsâ irrogatæ Chotieſſovij, Cladrubij, Plaſſij, in Bor, Staroſedlj / vel Altenſattel / Rokyczanæ, &c.

Chotieſſovium.

1421. in Ian: MM. SS. Codices. Hagek ad A. 1421.

JAnuarium Menſem Anni 1421. inquies ſemper, & cruentus *Ziſcæ* animus ſangvine, & cædibus *Monachorum* initiavit: primus in Parthenonem *Chotieſſovienſem Præmonſtratenſis Ordinis* impetus factus: an Virgines ſacræ evaſerint cædem, an deprehenſæ Virginitati Martyrij lauream adjunxerint, nuſquam ſcriptum inveni. Illud conſtat, Cœnobij hujus Satellites (quos Virgines pro defenſione Cœnobij pretio conduxerant) reſtitiſſe aliquamdiu, ſed hoſtium multitudine ſuperatos, & necatos, *Cœnobium* deinde ſpoliatum, & incenſum eſſe.

Hag. l. c. Epito. l. 4. C. 7.

Cladrubiũ

Itum deinde *Cladrubium* (*Cœnobium Benedictinorum* eſt) ſed jam emanârat fama. itaque Religioſi convaſatis rebus omnibus, totóque Archivo, ac ſuppellectili ſacrâ, & pretioſâ evectâ, *Ratisbonam ad S. Emmeramum* effugerunt. Nàrrabant ſenes: quoſdam ex Religioſis animoſiores *Cladrubij* remanſiſſe, & Satellitibus Cœnobij, aliíſque militaribus viris Catholicis in auxilium vocatis, primos hæreticorum irruentium impetus fortiter repreſſiſſe, ad extremum numero hoſtium ſuperante, pro aris, & focis ſtrenuè pugnantes cum alijs omnibus, qui ſe eò loci concluſerant, perijſſe; *Ziſſka* ex alieno liberalis *Petro Zmrzlik de Svoyſſina*, olim *Monetæ Præfecto* Viro militari *Cladrubium*, totámque *Cœnobij* ditionem donavit; qui cùm *Cœnobium* illud, atque etiam *Chotieſſovienſe* egregiè permunivìſſet, relicto *Cladrubij* ſtrenuo Equite *Rzepiczkianæ ſtirpis*, *Chvval* nomine, locum adversùs *Cæſarem Sigiſmundum* egregiè tutatus eſt. Eadem fortuna, & calamitas, reliqua per eam viciniam Cœnobia afflixit:

Theob. P. 1. C. 42.

& alja Cœnobia exciſa.

Plaſſenſe Ciſtercienſium, *Præpoſiti* ſedes in *Bor*, ſeu *Heida* (ſita, ubi nunc arx viſitur) & alia dives in **Staroſedlo (Altenſattel)** tandem & *Teslinenſis Benedictinorum Eremus S. Joannis* arſerunt; quæ omnia ſinè cæde, & ſangvine Religioſorum perfecta, quis ſatìs ſanus, & rerum peritus credat? *Rokyczanam* Civitatem *Ziſka* tranſiens, nonnullos *Canonicos Regulares S. Auguſtini in Cœnobio* de trabibus ſuſpendit, & ſenem ex ijs Sacerdotem, Virum ſanctimoniæ famâ percelebrem in Eccleſiæ medio vaſi piceato incluſum incendit.

Hagek l. cit Epit. l. o.

Rokyczanēſe Cœnobium everſum.

Audivi *Patres è Societate noſtra* narrantes, qui poſt Annum 1624. *Rokyczanenſem Civitatem* ad fidem Catholicam multo Concionum labore adduxerant, atque in parietinis Veteris *Cœnobij* habitârant, eo ipſo in loco, ubi ſacri illi viri pro Chriſto vitam laqueo finijſſent, tam gratos efflari odores ſenſiſſe, ut ſibi in cœlo eſſe viderentur.

Digitized by Google

§. LXXVIII.

Commotovienſis Civitas odio Religionis cum Civibus ſuis omnibus exciſa.

ANno 1421. Dominicâ in Palmis, quæ tum in 16. Martij diem inciderat, *Ziſka* Cœnobiorum expugnator, cum hæreticorum Pragenſium, & ſuo Exercitu, *Commotovium* Urbem, Catholicæ fidei ſtudio id temporis celebratam, paulò antè obſeſſam, capit; nihil occupatâ Civitate aliud geſtum, quàm truncare, occidere, & urere; irritârat hæreticos non fæminarum petulantia (ùt obtendunt Scriptores hæretici) ſed ipſa *Commotovienſium* in Religione perpetua conſtantia, & quòd nuper quoſdam *Taboritas*, ac nominatim quendam *Hromadkam de Giſtebnicze* cum duobus hæreticorũ Miniſtellis captos injeciſſent in rogum; nec mulieribus, nec infantibus vitæ gratia facta; duo millia Catholicorum Civium in plateis, ac præcipuè in Templo, ad quod confugerant, perijſſe ſcribunt; *Weleslavinus* duo millia ducentos, *Dubravius* tria millia, *Lupacius* viginti duo millia trucidata ſcripſit, quod frequentia Civitatis, advenarum, qui ſe receperant, multitudo, mulierum, & infantium numerus, & promiſcuum vulgus, probabile reddit; *Weleslavinus*, & cæteri, Cives tantùm, & armatos forſitan numerârint. In cæſorum numero præter cives fuêre Sacerdotes non pauci, Viri nobiles permulti, reliqui opifices, qui non ferro tantùm, ſed etiam flammis perire ſunt coacti, vitâ donati triginta tantùm viri (alij quinque tradunt) qui cæſos tumularent; ſeptuaginta Matresfamilias cum puellis, extra Urbem eductas in officina Pannorum, & telæ premendæ, flammis redêgere in cineres hæretici; præcipuus ſupplicij, ùt dixi, locus, *Eccleſia, & Cæmeterium* fuit; ideóque venerationis gratiâ tot millium pro fide Chriſti peremtorum, quibus hæretici eo die cæleſtes Palmas in manum dedêre, nemo in ijs duobus ſacris locis ad noſtra uſquè tempora ſepelitur, ſed extra urbem conduntur. Mirum quod ſequitur mihi ſemper viſum eſt, quòd ab æditimis Eccleſiæ priùs didici, atque ipſe ſpectavi (cauſſam tamen nec illi, nec ego ullâ diligentiâ aſſequi potuimus) tantam in eo *Cæmeterio Commotovienſi ad Eccleſiam Decanalem Dentium humanorum* multitudinem reperiri, ut velut in fabulis, meriſſima dentium ſeges jacta in eam humum videatur; præcipuè, ſi pluvia cœlo decidit, meros dentes humi legere potes; ſi vel digito humum terebrare volueris, dentium examina effodies; me ipſum, & conſcientiam meam pro teſtimonio Lectoribus offero, ut fides fiat; etiam in ipſis Cœmeterij humilibus illis muris, quacunque hiabant, aut patebat fiſſura, dentes reperi, eámque rem admirantibus *Noſtris Patribus*, qui aderant, oſtendi. Forſitan argumentum eſt tot millium cæſorum, qui cùm (ut tradunt *Commotovienſes*) humati non ſint, ſed

In Martio 1421.

Zalans: Co̅ci: 2. de vit: Huſſi.

Co̅motovij aliquot Catholicorum millia ab hæreticis perimuntur

Weleſ. & Lupac. ad 16. Martij. Cont: M.S. Dub. l. 26. hiſt. Boh.

Dentium multitudo in Cœmiterio Commotovienſis Eccleſiæ.

Digitized by Google

ſed ſinè ſepulchri honore relicti, alijs oſſibus putrefactis, dentes qui nonniſi tardiſſimè in cadaveribus corrumpi ſolent, remanſerunt; Ego Lectori ſagaci rem dijudicandam relinquo.

§. LXXIX.

Beraunæ Civitatis Regiæ ab ijsdem hæreticis unà cum civibus ſuis, Nobilitate, Religioſis, & Sacerdotibus excidium.

1421. 1. Apr:

B*Erauna Regia Civitas* eſt, tribus à *Praga* milliaribus, vicinitate ejus, aliſque commodis, & præſidijs vitæ in *Bohemia* non incelebris, ſed religionis Catholicæ per id tempus ſtudio, & Sacerdotiorum in Eccleſia Parochiali multitudine, deinde opibus ſacris longè celebratior; conſtat ætate noſtrâ *Saxones ex Eccleſia Beraunenſis* theſauro circa An. C. 1632. triginta ſeptem vel octo calices ſacrificijs Divinis deſtinatos, argenteos omnes, & inauratos, multos eorum gemis diſtinctos, ut alia ornamenta Eccleſiarum ſileantur, ſacrilegè abſtuliſſe; ſed ad rem veniamus: *Beraunam* igitur, cùm *Catholici* nominis odio *Pragenſes*, & cæteri hæretici, oppugnandam An. 1421. ſuſcepiſſent, ſæpius virtute obſeſſorum cum ignominia repulſi, tandem multitudine ſuperante, 26. Martij capiunt, decem diebus poſt *Commotovium* exciſum. Hìc tamen mitiores videri voluerint: tanto enim ſangvine *Commotovij* nuper fuſo, furiarum reſtinctæ tædæ, & ardor ſtygius mitiùs urere videbatur inſanos; non ſævitum igitur in obvios; unus *Joannes Kobliha* Equeſtri loco natus, qui egregiâ virtute aſſilientes repreſſerat, ex Turri urbica præceps datus, cùm adhuc ſpiraret, ferreis tribulis ad mortem verberatus eſt; tum parcere ſangvini Duces juſſerunt. Oblata omnibus vitæ gratia pacatè primùm, ſi articulis hæreticis ſubſcribere vellent, actum per colloquia, *ſuos, ac ſe miſeri reſpicerent, eſſe omnes in poteſtate victorum, proinde ſaperent, & tempori cederent*; integro die ad deliberandum dato, cùm nihil viri fortiſſimi minis, neque blanditijs moverentur, ad ſupplicia denique quaſi per otium cum clementiæ fama, crudeliſſimi latrones deſcendunt: triginta ſeptem Sacerdotes, ac Religioſi (nam *Beraunæ* Conventus erat Ordinis *Sancti Franciſci Minorum*, ac fortè etiam *Benedictini* ex *Skalenſi Cænobiolo*, vel aliunde *Beraunam* ſeſe in eo tumultu receperant) numerabantur; erant inter captivos quoque *Jaroslaus Miczan de Klinſtein* ex *Procerum Bohemorum familia, Beraunæ Decanus*, tum tres Univerſitatis Carolinæ Magiſtri Catholici: *Erneſtus de Paczovv*, *Georgius de Launa*, *Michaël Daubek*, cum triginta ſeptem alijs Sacerdotibus, & Religioſis Viris; ex nobilitate *Joannes Kobliha* Urbi Præfectus, quem ex turri Urbis præcipitârant, ut paulò antè dixi, tum *Bohuslaus de Daupovva* cum Patre ſuo ſene, & globo Catholicæ ex vicinia Nobilitatis;

Beraunenſis Eccleſiæ divitiæ.

Theob. in Huſſit. alij 1. Apr.

Beraunæ plurimi ex Catholicis occiſi.

Digitized by Google

litatis; hos iterum, iterúmque monitos, ut *articulos Pragenſium* (qui Religioni Catholicæ adverſabantur) admittant, recuſantes tandem vinciunt, deinde in balnei hypocauſtum quoddam ante Urbem inductos, ſeſe mutuò ad conſtantiam adhortantes, unà cum domo incendunt, & conſumunt. Hic fuit exitus Virorum fortium, quorum cum flam̃is animæ evolarunt in cælum.

§. LXXX.

Novi Taboritæ Moravi Stephanum Abbatem Welehradenſem Ciſtercienſis Inſtituti unà cum Fratribus ob Religionem flam̃is addicunt. Chrudimenſes in Bohemia Cœnobium Fratrum Minorum Conventualium ad Stradow incendunt.

DUm *Ziſka* apud *Bohemos* cum *Taboritis* ſuis in *Cœnobia* bacchatur, & pro *Chriſti calice*, ſangvinem piorum, & ſacratorum hominum ſacrilegè bibit, aut profundit, *Moravi* hæretici, Apoſtatis Sacerdotibus *Bedrzicho de Straznicz* (cujus poſtea in *Bohemia* multa ſacrilegia in Annalibus noſtris leguntur) & *Thoma de Wiſtonicz* Ducibus, eâdem inſaniâ correpti, in Inſula quadam *Moravæ*, non ità Straznicio procul caſtris poſitis (quæ *Novum Tabor* dixêre) viciniam illam omnem prædationibus infeſtare cœperunt. Urebat illos ante omnia *Cœnobium Welehradenſe Ciſtercienſium* (de cujus origine conſulatur *Epitome*) huc inobſervati primis caſtris perveniunt; aperta omnia ùt in pace, valla nulla, nihil clauſi, nihil murati inveniunt; ergo ſtatim ad prædas verſi, poſtquam omnia rerum pretia, cum *pulviſculo*, ut ita dicam, ex Templo, & Cœnobio opulentiſſimo extuliſſent ſibi, ſéque probè eſcis, & vino ingurgitâſſent, poſt epulas quaſi ad ſpectaculum, & ludos effuſi, captum *Abbatem Stephanum* cum *ſeptem Fratribus* educunt; ſtatim ingens pyra exſtruitur, & incenditur; honorem *Abbati* deferre ſe vociferantes, primum illum, deinde ex ordine cæteros *ſeptem* in flammas jactant, mille execrationibus vitam illorum, & mortem devoventes. *Stephanum* dum viveret, pro *Sancto* habitum, teſtantur *Hagecius & Dubravius*, ad cujus exemplum vitam conformabant ſuam & reliqui, quo merito ad *lauream Martyrij* vocati videntur à DEO. Plura ſinè dubio *Novi Taboritæ* ſacrilegia patrâſſent, niſì principijs malorum *Catholica Moraviæ Nobilitas*, ac præcipuè *Joannes de Praga Olomucenſis Epiſcopus* occurriſſent, ſacrilegóſq; illos ſuis copijs diſſipâſſent. tantùm de *Moravorum Taboritis*.

1421. Novi Tabores in Moravia. Welehradenſes Religioſi combuſti. *Epi. l. 4. C. 7 Hagek ad A. 1421. Theob. P. 1. C. 43.* *Dubr: l. 26. hiſt. Boh.* *Hagek l. c. Epit. l. cit. Theob. l. c.* Occiſi FF. Minores Chrudimij.

In *Bohemia* circa hæc tempora (die *Lunæ* poſt Dominicam primam Verni Jejunij) *Chrudimenſes Cives*, ut fidem ſuam mox venturis ad ſe *Pragenſibus* approbarent, ſoliciti, *Cœnobium S. Jacobi* in vicinia Urbis ſuæ è regione Caſtri

Caſtri Veteris *Stradovv* ſitum Ordinis S. *Franciſci Minorum Conventualium*, adoriuntur, occupant, incendunt, quatuor ſupra viginti partim Religioſis, partim præſidiarijs militibus trucidatis.

§. LXXXI.

Broda Bohemica, Civitas Archiepiſcopalis, & Catholica, cum pleriſq; Civium, Sacerdotibus omnibus, totóque præſidio deletur.

1421. Hagek ad 1421. Theob. P. 1. C. 43.

Hiſt. Sedle: Simeonis Euſtachij impreſſa C. 3.

Broda Catholica Civitas ab hæreticis occupatur.

Dubr. l. 26. hiſt. Boh. Theob. l. c.

M. S. Reginohrad.

Decanus & alij Catholici occidũtur.

Cùm Catholici in Bohemia juſtum exercitum, quo defendi poſſent, in campo non haberent, hoſtes *Taboritæ*, *Orebitæ*, *Pragenſes*, diviſêre ſeſe, & diverſi ad *Cœnobia*, & *Catholicorum Urbes* ſpoliandas, & incendendas profecti ſunt; *Pragenſis Exercitus* (cujus Ducem fuiſſe *Joannem Zelivenſem Apoſtatam* hiſtoria *Sedlecenſis* affirmat) ante Brodam ſtetit Aprili medio An. 1421. & deditione poſtulatâ, quia niſì armis nihil ſe impetraturos videbant, 16. Aprilis aſſiliêre; ſemel atque iterum magna cum clade dejecti mœnibus, tandem novis ac novis ſemper ſuccedentibus obtinuêre Urbem; *Præſidiarij* (quos Germanos fuiſſe *M. S. Codices* teſtantur) ad Turrem Eccleſiæ confugêre, Pacem orantes, ſed mox incenſâ Turre, educti extra Urbem, adversùs omnes militiæ leges, in rogos injecti partim flam̄is, partim tribulis ferreis verberati perierunt. Exſatiari ira obſidentium hâc cæde potuit, niſì ipſa hæreſis obſtitiſſet; itaque in innoxios, inermes, ac *Sacerdotes* atrociùs etiam ſunt bacchati: ante omnia (quod perpetuum illis fuit) *Eccleſiam S. Gothardi Collegiatam*, in quam ſeſe plerique Civium receperant, incendunt, in quo incendio ampliùs, quàm ducenti mortales animas exhalârunt; ex Viris ſacris præcipui *Joannes de Dubnian Decanus* Artium Magiſter cum tribus ſuis *Canonicis*, tum alij *quindecim Sacerdotes* necati. *Nicolai Navaræ* cædes ſingularis fuit cum æterna Viri gloria peracta; fuit *Navara Capituli Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Notarius*, Vir moribus graviſſimus, vitæ innocentiâ conſpicuus, doctrinâ ſummus, quódque exitium attuliſſe *Theobaldus* fatetur, hæreticorum hoſtis accerrimus, quare hunc unum avidiùs ad necem poſcebant omnes, ut unus inter manus omnium laceraretur, ſed Ducibus (ut *Huſſo* parentarent) flam̄æ ſupplicium præplacuit, vinctúmque, & extra urbem vectum in vas pice perfuſum conjiciunt, totóque Exercitu tripudiante, velut in triumpho cum cantibus exurunt. O pretioſam mortem in conſpectu Domini! *moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea illorum ſimilia!*

§. LXXXII.

Digitized by Google

§. LXXXII.

Caurzimij Ciſtercienſes quinque, Colini Prædicatorum Ordinis ſex cum Urbis Decano Hinkone Viro Natalibus, doctrinâ, & virtute illuſtri; iterum Chrudimij ex eodem Prædicatorio Ordine octodecim flam̃is cremantur.

EAdem *Pragenſium* hæreticorum tempeſtas alias, aliáſque poſt *Brodam Bohemicam* Urbes involvit: *Kaurzimenſes* miſſis Legatis ſe in poteſtate futuros polliciti ſunt, ad quos ſtatim aliquot ſuorum turmas direxêre *Pragenſes*, acceptâque, & redditâ fide, *Præpoſituram S. Martini Ciſtercienſium* in Urbe (ubi hodie *Decani* domus eſt) ſtantem adorti, direptis rebus omnibus incendêre, *Sacerdotes quinque* Religioſi educti, probris omnibus ingeſtis foris ante portam Urbis, quæ *ſuperior* appellatur, maximis lætitiæ ſignificationibus, & vociferationibus, in vaſa picea includuntur, & ſtramento arido oppilatis vaſis, ac incenſis, in cineres rediguntur invictâ conſtantiâ, pro Deo & ſacris Religionibus crudeliſſimâ morte defuncti 21. Aprilis.

1421.

In Kaurzim Ciſtercienſes exuſti.

Hagek ad A. 1421. Epit. l. cit. Theob. P. 1. C. 44. Simeon Euſtach. in hiſtor. Sealec.

Kolini idem ſacrilegium in pervigilio *S. Georgij Martyris* patratum eſt (*Theobaldus* ipſum *S. Georgij* feſtum diem ponit) *Cœnobium* Patres ex *S. Dominici* diſciplina *Kolini* percelebre in antiquitate, & præclari operis habebant (quod poſtea in *caſtrum* verterunt hæretici) illuc *Pragenſes* in Urbem ultro admiſſi, rectà feruntur; ſacram Domum rebus omnibus elatis exſpoliant, incendunt, *ſex Sacerdotes vinctos* accenſâ pyrâ in flam̃am conjiciunt, nullâ niſì Religionis cauſſâ. Erat eò loci *Decanus* Vir Illuſtriſſimæ Nobilitatis *Procerum de Ronovv* (qui ab eadem cum *Bercis* origine deſcendebant) *Hinek vel Hinko*, doctiſſimum in profanis æquè ac ſacris fuiſſe tradunt hiſtoriæ; hunc, ut morti majorem celebritatem adderent, vaſi piceo incluſum, injectis flam̃is exurunt, ſubſultante interim circa pyram militari plebe, & cùm decurrerent, quaſi re triumphali geſtâ, plaudente, & canente.

Hag: Theo: Epit. l. cit.

Prædicatores item Colini.

Et ex Proceribus Hinek de Ronovv.

Poſthæc *Chrudimio* Exercitum admovêre *Pragenſes*; jam nuper excidio *Stradovienſis Cœnobij*, ùt narravi, *Chrudimenſes* commendaverant, & probaverant ſeſe, hoc tempore illuſtri edito facinore, omnes ſibi hæreticos plurimùm devinxêre: curritur in *Monaſterium Prædicatorum*; alij ſacra diripiunt, alij profana, alij *Cœnobio* ſubjiciunt faces, quidam Religioſos extrahunt in forum, alij pyram exſtruunt, alij ſuccendunt, alij captos vinciunt, denique poſt mille verborum contumelias, concuſſiones, & verbera, univerſa illa Patrum, & fratrum corona in foro ipſo concrematur. *Octo* fuiſſe *Religioſos Viros Theobaldus* affirmat; at *M. Laurentius*, qui eâ tempeſtate vivebat, parcus alioqui in enumerandis Catholicorum cædibus, ſolitus etiam ſuorum

Ibid. ijdem.

Chrudimij Prædicatorum Convẽtus deletur.

Digitized by Google

orum ſcelera contegere, *octodecim*, totúmque adeò, ùt vocant, *Conventum Beatiſſimæ Virginis* (ità enim appellabant) exciſum eſſe tradit, cui etiam *Weleslavinus* ſubſcribit. Cùm olim per *Chrudimium* neceſſarium iter eſſet mihi, & Cœnobij, & pyræ, in qua perierant *Martyres*, locum, monſtrantibus civibus, honoravi. hæc 25. Aprilis geſta tradit *Theobaldus*, at certum eſt 28. Aprilis perpetrata; tum omnis ſacrorum apparatus ex illa *Beatiſſimæ Virginis Eccleſia*, Cimelia Templi, Calices, Monſtranſiæ, (ùt vocant) Sacerdotum ſacrificantium amictus pretioſi, & gem̃is collucentes, foras ad caſtra *Pragenſium & Taboritarum* ſunt transmiſſi.

§. LXXXIII.

Cædes Abbatis Woldemari cum ſuis, ex Ordine Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ac denique totius Cœnobij Raudnicenſis excidium ab hæreticis.

1421. 24. Apr.

ZIſcæ Taboritarum Ducis Sangvinolentus animus nihil aliud volvebat, quàm cædes & ſangvinem: quoties hoſtis armatus abeſſet, quærebat *Cœnobia*, raptisque ſecum, qui expeditiores erant latronibus, ubi minimè timebatur apparens, opprimebat incautos. 24. Aprilis repentè ad Pontem *Raudnicenſem* ſtetit: nihil erat, quod tranſitum prohibere poſſet: *Archiepiſcopus Conradus* hæreticis peramicus deſidebat in Arce, certatum officijs: *Ziſka* etſi vi agere poſſet, per pontem & Urbem tranſitum à *Conrado* petit; *Conradus* indulget, neque id modò, ſed ad *Ziſkam* demerendum cibum & potum Exercitui liberaliſſimè ſuppeditat. Curatis corporibus pontem ſuperant hæretici, *Raudnicium* tranſeunt; viſo Cœnobio contineri non potuerunt, curſu in *Cœnobium & Eccleſiam* elegantiſſimam, & prorſus baſilicam feruntur: *Abbas Woldemarus* occurrens, protinus ab hæreticis occiditur, tum alij complures Canonici, pauci ſubterraneis quibusdam cellis contecti vitam ſervarunt; *Cœnobio, & Eccleſiâ* ſpoliatis utrumque arſit; Latrones *Pragam* versùs abiêre. Deſcribit hanc cædem Codex M. S. Cœnobij *Raudnicenſis*, aítque rem geſtam An. 1421. altero poſt S. Georgij die. De *Woldemaro* in alio M. S. Codice Cœnobij hęc lego: *In hoc noſtro Raudnicenſi Cœnobio educatus, & Martyrio coronatus fuit Venerabilis Abbas Woldemarus Rhenanus, ob doctrinam eximiam, Vitæq; integritatem, præſertim ſummum in Beatæ Virginus cultu ſtudium valde celebris.* hæc ibi. Nimirum tales eligit DEUS, quos Martyrij laureâ coronet, ut virtutibus inſtructi DEUM (ut S. Tereſia quodam loco ſcripſit) *DEUM habeant debitorem.*

Raudnicenſes Canonici Reg: Ord: S. Auguſt: perimuntur

De Woldemaro Abb:

§. LXXXIV.

Digitized by Google

§. LXXXIV.

Czaſlaviæ Minorum Conventualium, Nymburgi Prædicatorum Conventus flammis, & ſuorum ſangvine delentur. Cuttenbergenſes Catholici, qui ſedes mutare ob Religionem volebant, contra datam fidem membris mutilati, pars cæſi ab hæreticis, repelluntur.

PEnè tantùm, non ampliùs, in *Narratione* erit, quantum *Titulus* præfert; rebus enim omnibus cum Religione mutatis, ſuccedente in eas ipſas Urbes hæreſi, & propè trium ſæculorum ſpatio regnante, nimirum monimenta omnia exciderunt: deleta eſſe Cœnobia *Czaslaviæ & Nymburgi*, id verò conſtat inter omnes, Manuſcripti Codices teſtantur, rudera Eccleſiarum, & Cœnobiorum pendentia hodiéque clamant, lapides altarium fracti, & parietes ſangvine perfuſi loquuntur. Sed de *Nymburgenſi Cœnobio*, quo illud tempore exciſum ſit, non æquè conſtat: longè tardiùs, & jam *Ziſſkâ* extincto, *Nymburgum* eſſe captum certiſſimum puto; etſi illud excidium, alios Scriptores ſecutus, hoc loco & anno poſuerim. 1421. FF. Minor: Czaslaviæ, Nymburgi Prædicatores perimūtur.

Kuttenbergæ quid geſtum ſit eo ipſo die, quo *Ziſſka ad Chrudimium*, aut potiùs, ùt paulò antè ex M. S. Codice dixeram, Raudnicij verſabatur (niſi iſta per ejus Duces geſta eſſe dicamus) habet M. S. *Cives Kuttnenſes* cùm ea, quæ *Berauna, Broda, Kaurzimij, Kolini* geſta erant, accepiſſent, conterritos, Legatos ex ſuis honoratiſſimos Viros ad *Pragenſes* (qui *Taboritis* longè mitiores habebantur) miſiſſe, qui pacem orarent, revocarent in memoriam utriusq; Urbis ab antiquo tempore fœdera, unam fuiſſe *Pragæ, & Kuttnæ Civitatem*, univerſi Regni theſaurum argentiſodinis contineri, proinde parcerent Urbi cognatæ, parcerent Regno, parcerent ſibi. *Theobaldus* ex *M. Laurentio* ait, cum Monſtrantia *Ven: Sacramenti* occurriſſe *Pragenſibus Kuttnenſes*, & genibus poſitis veniam orâſſe, & impetrâſſe, etiam illud, ut qui Catholicam Religionem mutare hæreſi nollent, uſquè ad *Aſſumptionis B. Virginis* diem, rebus ſuis venditis, vel convaſatis, innoxiè quò vellent, abirent. ità tum inter partes convênit; cui conventioni cùm fiderent *Catholici*, & plurimi Urbe excederent, *Pragenſium* ſatellites inſidijs collocatis quàm plurimos exceperunt, rebus omnibus exuerunt, manus nonnullis crudeliter amputârunt, alios naſis, alios auribus mutilatos ad ignominiam rurſus impulerunt in Urbem, nullâ fidei, quam dederant curâ, nullo pactorum fœderum reſpectu. *Epit hiſt. l. 4. c. 7. Theob. P. 1. c. 45. Hagek l. c.* Cuttenbergenſes Catholici pereunt. *Lupac. in Calend.*

Digitized by Google

in *Svevia* natum olim in Auguſtiniano Ordine religionem profeſſum, incidit; hunc cum duobus Sacellanis captum *Taboritæ* ad quandam piſcinam deductum (rurſus *Laurentius* eum promiſiſſe omnia, & *Taboritarum Sacerdotes*, ùt antè feciſſet, conſecraturum, & *Taboritis* acceſſurum narrat) unà cum duobus illis ſacris comitibus, in piſcinam dejectum, aquis præfocârunt. M. S. Codex *Chronici Bohemiæ* (cui maximè, licèt hæretico credo, utpote diligentiſsimo, neque omnia ſuorum facta probanti) apertè affirmat: *Hermannum Suffraganeum* humani aliquid paſſum, conſecrâſſe primùm *Taboriticos Sacerdotes*, at poſtea reſipuiſſe, & *Taboritis* maximè adverſatum, juſſu *Czenkonis Lipnicenſis* in aquas injectum perijſſe. Sed ad certiora, & mortes, quas nè ipſe quidem *M. Laurentius* Religionis cauſsâ illatas negârit, veniamus; Paulò ante id tempus, ait *Codex* ille meus *M. S. Rabi* caſtrum occupatum eſt à *Taboritis*; qui ditati plurimis ſpolijs, incendêre Caſtrum, & Sacerdotes flammis cremavêre; ſtetit caſtrum nullo præſidio impoſito, quod loco ſatìs fidere non poſſent. Hæc ex M. S. Ex alijs ſatìs idoneis Annalibus Manuſcriptis habetur: *ſeptem Monachos* (ſunt coævi Scriptores, qui diſertè *decem*, eóſque *Sacerdotes* fuiſſe affirment) qui Arcis fiduciâ, *Eccleſiarum* ſuarum opes intulerant, captâ Arce, eductos, & rogis exſtructis undequaque ſaltantibus, & gaudio triumphantibus *Taboritis*, flam̃is eſſe conſumtos; locus à veteribus incolis adhuc memoriâ noſtrâ, ubi arſerant, monſtrabatur.

Defenſio Hermanni Suffraganei Prag.

Ad arcem Rabi cõbuſti Monachi

§. LXXVI.

Prachaticij Civitate Præpoſiti Wiſſehradenſis cruentiſſima laniena Ziſkâ Duce patratur: Urbe ferè totâ cum Civibus odio Religionis excisâ.

1420.

Occupato Prachaticio Cives perimuntur.

ZIſkam Polyphemum Bohemiæ, quacunque ſe cum Taboritis ſuis inferebat, velut ſæviſsimam aliquam tempeſtatem, pluviæ, imbres, cruentæ procellæ, latrocinia, & ſacrilegia comitabantur, & ſequebantur. Hoc eodem Anno, in quo nunc ſumus, 1420. *Prachaticium* Civitas egregia, ditio *Wiſſehradenſis Præpoſiti*, ſangvineam ejus iram penè cum omnium Civium ſuorum excidio ſenſit, & luxit. Die *Nativitatis B. Virginis* acceſsit Urbem, dedique ſibi protinus imperavit; *Cives Catholici*, qui nihil æqui à crudeliſsima bellua, & Catholicæ Religionis hoſte jurato *Ziſka* impetraturos ſe, & ſi etiam impetrarent pacem, vix pacta conventa ſervaturum, ſperare poterant, Urbem clauſerunt. *Ziſka* facto irritatus, coronâ *Urbem* cingi, & ſinè mora aſsilire ad mœnia ſuos omnibus è locis juſsit; *Cives* tantæ vi, cùm undique peterentur, impares, abjectis armis, miſericordiam

Ducis

Ducis, quam *Ziſka* nunquam didicerat, nunquam aſſvetus parcere, implorabant; primo ſtatim in *Urbem* ingreſſu triceni quini ſuper centenos (potior Civium pars) alij ſuper alios cecidêre; *Sacerdotes*, qui arma non geſſerant, tum promiſcuum vulgus cum mulieribus, & parvis liberis ſacri loci fiduciâ in *Eccleſiam* confugêre; *Pius II. in hiſtoria Bohemiæ* affirmat, hos omnes, im̃iſſo igne (*pueros etiam, ac infantes*) combuſtos; alij mitiores ajunt: mulieribus imperatum, ut pueros, & infantes efferrent, aut educerent, atque huic agmini, ut oppido migrarent, indictum, ac tum primùm cæteram inermem Catholicorum turbam, *octoginta quinque* numero, Eccleſiâ inflam̃atâ, ignibus deletam, cum acerbiſsima irriſione adjectâ: *ſic nos Catholicorum cædibus oportet implere omnem juſtitiam.* Utcunque ſit, fælices profectò, qui cùm hæretici ſcelera patrando, iſti, mortem pro *Chriſto* fortiter tolerando, Juſtitiam impleverint! Atrocius aliquid de cæde *Prachaticenſium* ejus temporis Scriptor, quem fidiſsimum hactenus animadverti, ſignificat: *Die S. Martini* (vide notam temporis ab *Hagecio* multùm diſcrepantem, quam tamen ego omnibus Manuſcriptis Codicibus reclamantibus admittere non poſſum) *Ziſka Prachaticium* expugnat; heu quantâ hominum ferro, & igne pereuntium ſtrage! ac propè omnium Civium morte! nam Cives in hypocauſta tria, atque in quoddam *Sacrarium* compulſos, facto inter eos incendio conſumſerunt; eo pacto tres ciſternas cadaveribus ſolis ad ſummum implevêre; denique maximam fecêre cædem. Hæc Scriptor coævus: his quoad cæſorum numerum ſubſcribere videtur *Theobaldus*, qui *Prachaticij* nongentos Catholicos à *Ziſka* peremtos affirmat.

C. 42. Diverſæ narrationes de cæde Prachaticenſiũ M. S. Cod. Theob. in Huſſ. P. 1. C. 11.

§. LXXV.

Splendidiſſimum, ac verè Regium Ciſtercienſium Cœnobium Aureæ, vel Spineæ Coronæ funditus deletum; Religioſi, qui deprehendi poterant, in tilijs ſuſpenſi perierunt. Wodniani Sacerdotes in flam̃as conjecti.

UT popinis, ganeis, luſtrísque aſſveti Lurcones, qui *nocturno fœtere mero, fœtere diurno* jucundiſsimum exiſtimant, nullum indecoræ illius vitæ finem facere poſſunt, & eôdem ſemper conſvetudinis quâdam neceſsitate trahuntur; perindè belluini, & cruenti latrones ſemper incitantur ad cædes, nec minor in ijs deprehenditur humani ſangvinis, quàm vini ſitis. Adhuc *Prachaticium* calido ſangvine Civium ſuorum natabat, cùm repente *Tabores* in *Ulrici Roſenſis* ditiones (qui nondum Pacem cum ijs fecerat) incurrunt. *Theobaldus in Huſſiticis* innuere videtur, hæc quæ mox narrabo,

A. 1420. 14. Maij. Ep. l. 4. C. 7. Hiſt. Roſenſis M. S. Theob. in Huſſit. P. 1. C. 38.

Digitized by Google

bo, ductu *Victorini Boczek de Kunſtadt*, patris *Georgij Regis* eſſe patrata: alij *Ziſcæ* ſcelus imputant. *Crumlovio* non ità procul ampliſſimum, idémque opulentiſſimum *Ciſtercienſis* Inſtituti Cœnobium ſtabat, *Eccleſia* auguſtiſſima, & viſendi operis (ſed hæc deſcribendi alius erit apud me locus) huc *Tabores* feruntur. Statuerat *Rudgerus Abbas*, *Cœnobij* ſui vitam armatâ manu ab hoſtibus defendere, vidíque in *Curia Budvvicenſi* literas, in quibus balliſtarios ſibi propere mitti in auxilium poſtulat; at dum *Budvicenſes* cunctantur, rebúsque ſuis tuendis potiùs, quàm alienis proſpiciunt, *Abbas* excluſus tempore, tantùm non oppreſſus ab hæreticis, vicinis nemoribus, ac ſilvis ſe texit, deprehenſi tamen ſunt ultimi, qui reſtiterant, ex Religioſis (fortaſſe ſenes, debiles, ægrotíque) quos miſericordiâ ſcilicet latronum animos ſubeunte, non (ùt alibi faciebant) flammis cremârunt, ſed laqueis circum *Cœnobium* in tilijs ſuſpenſos reliquêre, *Cœnobium*, *& Templum*, & quæcunque adſita ſunt, flammis cremavêre. Hinc illud in *Bohemia* omnibus notum tiliarum miraculum, quarum cappata, & capitellata ſunt folia ſic, ut ad vivum cappas Monachorum repræſentent. Vidi hiſce oculis ejusmodi capitiatas, ut ſic dicam, tilias ad illud Cœnobium, quod ex ruderibus, & cineribus paulatim aſſurgit; quarum arborum folia, me puero, paſſim diſtribuebantur, quæq; miraculo habebat omnis retro Bohemica antiquitas.

Abbas Rudigerus cũ nonnullis ſuis mortẽ effugit.

Capparum miraculum

Excisâ C*oronâ aureâ*, quæ poſthac *Spinea* dici potuit, ſpinis in Cœnobij, & Eccleſiæ loco creſcentibus, *Wodnianum* Ziſka deſcendit, deditóque oppido, *Sacerdotes* omnes, qui eò ſeſe loci fiduciâ receperant, in calcariam fornacem injecit, flamísque per ſumam crudelitatem cremavit innoxios, niſi quòd C*atholicè* credidiſſent, ac ſacra feciſſent; ſed hoc *Taboritis* grande, ac nullis flamis expiabile ſacrilegium videbatur. Sunt quædam manuſcripta, quæ *Wodniani* excidium anno ſequenti poſuerint.

Dubr. l. 26. hiſt. Boh.. Ep. l. 4. C. 7.

Wodniani Sacerdotes exuſti.

NOTANDUM:

Error de Aula Regia

In Martyrologio Ordinis Ciſtercienſis in Bohemia (quod in eo SS. Ordine publicè legitur) hæc reperi: *In Bohemia Paſſio SANCTORUM MARTYRUM Ord: Ciſtercienſis, qui in Aula Regia Domino famulantes, pro eodem vitam hæreticorum furori liberè obtulerunt, eámque ſuſpendio glorioſiſſimè terminarunt, quámque grata, ac pretioſa fuerit in conſpectu Domini Mors eorum, continuum poſtmodum miraculum comprobavit; ſiquidem in Tilia in qua ſuſpenſi fuerunt uſquè in hodiernum diem folia creſcentia inſtar Caputiorum reperiuntur. De ijs in Menologio Ciſtercienſi Chryſoſtomus Henriquez, Abrahamus Bzovius ad An. 1420.* Mirabar cùm hæc legerem; nihil tamen ex ijs, quæ aſſerui, muto: video enim Authorem hujus *Martyrologij*, imò & *Henriqueſium* in ſui Ordinis rebus (quantum *Bohemiam* attinet) paulò negligentiùs eſſe verſatos. Certiſſimum & compertiſſimum eſt: pro *Cœnobio Aula Regia* legendum eſſe *Cœnobium Aurea Corona*: nam in Aula Regia de Tilijs cappatis, nihil unquam ſimile vidi, vel audivi; at in *Spinea vel Aurea Corona* ipſe ego, hiſce manibus, Cappas ex Tilijs decerpſi.

§. LXXVI.

Digitized by Google

§. LXXVI.

Orebltæ hæretici nequitiâ Taboritis pares, crudelitate etiam ſuperiores, in tractu Reginohradecenſi Cœnobia Religioſorum Virorum excidunt; Reginohradecenſes Cives hæreſi corrupti, Swato-pole/ ſeu Sancti Campi Cœnobium, cum tota ſacra familia incendunt.

POſt Victoriam de Cæſare *Sigiſmundo* ad *Wiſſehradum* relatam, *Orebitæ*, nè ſcilicet otio marcerent, præſertim, quòd pietate, ùt jactabant, Monaſteria excindendi, *Taboritis* nihil concedere vellent, *Pragâ in Reginohradecenſem Provinciam*, ad oppugnanda Cœnobia furorem convertunt. Non explicant hæretici (quos ſolos authores rerum iſtarum habeo) quæ *Cœnobia* potiſsimùm exciſa ſint, ſed exquiſitiſsimis ſupplicijs de vita deturbatos Religioſos ipſimet fatentur, plerique vivi, ac ſpirantes flam̃is conſumebantur; ſed cùm hiems aſperrima hoc anno ſæviret, tempore utendum rati *Latrones publici*, *Monachos* deferebant ad flumina, tum nudatos penitùs, exſectâ virilitate, manibus, pedibûſque vinctis, mille ignominijs vexatos, rigidiſsimo anni tempore deponebant in glacie, ubi miſeri (ſi ſpectentur humana) obtorpeſcebant, ac tormenta inter, & frigora necabantur.

1420. Epit. rer. Boh. l. 4. C. 7 Theob. in Huſſ. P. 1. C. 40. Contin. in M. S.

Tormenti atrociſſimi genus.

Jam & *Cives Reginohradecenſes* nuper admiſsâ in animis hæreſi, rati ad ſe quoque *Cœnobiorum* ſpolia pertinere, quaſi rem in medio relictam, *Sanctocampenſe Cœnobium* in vicinia ſua aggrediuntur, quod, poſteaquam, quæ rapi poterant, rapuiſſent, incendêre, & *Monachos* omnes in eandem flam̃am conjecêre, id quod *M. S. Codex* (quem *Reginohradecenſem* vocare ſoleo) com̃emorat; locus, ubi *Cœnobium* illud **Swatypole** dictum ſteterit, non additur; permirum mihi ſemper eſt viſum, nunquam hujus *Sancti campi* (nam alterius in *Podbrcenſi Provincia in S. Montis hiſtoria* meminimus, quæ *Præpoſitura*, ùt vocant, *Nepomucenſis Cœnobij* fuit) iſtud, inquam, permirum, nunquam hujus *S. Campi*, quod ſciamus, mentionem in hiſtoria noſtra fieri, ſucceſsit ſcilicet duobus ſæculis continuata hæreſis, quæ ipſum Cœnobij nomen extinxit; ſuſpicor *Præpoſituram* divitis alicujus Cœnobij, aut celebrem ditionem fuiſſe: quippe hæretici, (ùt ſæpe in M. S. Codicibus legimus) *Monachorum* ditiones, & domicilia, etſi non ſatìs propriè, *Cœnobia, & Monaſteria* ſinè diſcrimine, & indifferenter appellant. Hæc poſtrema (ut obiter admoneam Lectorem) fine anni 1420. & ſequentis initio ab *Orebitis* ſunt patrata.

M. S. Reginohrad.

Sanctus Campus Monaſterium exciſum.

Appendix I. ad hiſt. Divæ S. Montis.

§. LXXVII.

Nova Cœnobiorum excidia, & mortes fidei cauſsâ irrogatæ Chotieſſovij, Cladrubij, Plaſſij, in Bor, Staroſedlij / vel Altenſattel / Rokyczanæ, &c.

Chotieſſovium.

1421. in Ian: MM. SS. Codices. Hagek ad A. 1421.

JAnuarium Menſem Anni 1421. inquies ſemper, & cruentus *Ziſcæ* animus ſangvine, & cædibus *Monachorum* initiavit: primus in Parthenonem *Chotieſſovienſem Præmonſtratenſis Ordinis* impetus factus: an Virgines ſacræ evaſerint cædem, an deprehenſæ Virginitati Martyrij lauream adjunxerint, nuſquam ſcriptum inveni. Illud conſtat, Cœnobij hujus Satellites (quos Virgines pro defenſione Cœnobij pretio conduxerant) reſtitiſſe aliquamdiu, ſed hoſtium multitudine ſuperatos, & necatos, *Cœnobium* deinde ſpoliatum, & incenſum eſſe.

Hag. l. c. Epito. l. 4. C. 7.

Cladrubiū

Itum deinde *Cladrubium* (*Cœnobium Benedictinorum* eſt) ſed jam emanârat fama. itaque Religioſi convaſatis rebus omnibus, totóque Archivo, ac ſuppellectili ſacrâ, & pretioſâ evectâ, *Ratisbonam ad S. Emmeramum* effugerunt. Narrabant ſenes: quoſdam ex Religioſis animoſiores *Cladrubij* remanſiſſe, & Satellitibus Cœnobij, aliíſque militaribus viris Catholicis in auxilium vocatis, primos hæreticorum irruentium impetus fortiter repreſſiſſe, ad extremum numero hoſtium ſuperante, pro aris, & focis ſtrenuè pugnantes cum alijs omnibus, qui ſe eò loci concluſerant, perijſſe; *Ziſſka* ex alieno liberalis *Petro Zmrzlik de Svoyſſina*, olim *Monetæ Præfecto* Viro militari *Cladrubium*, totámque *Cœnobij* ditionem donavit; qui cùm *Cœnobium* illud, atque etiam *Chotieſſovienſe* egregiè permunivisset, relicto *Cladrubij* ſtrenuo Equite *Rzepiczkianæ ſtirpis*, *Chvval* nomine, locum adversùs *Cæſarem Sigiſmundum* egregiè tutatus eſt. Eadem fortuna, & calamitas, reliqua per eam viciniam Cœnobia afflixit: *Plaſſenſe* Ciſtercienſium, *Præpoſiti* ſedes in *Bor*, ſeu *Heida* (ſita, ubi nunc arx viſitur) & alia dives in Staroſedlo (Altemſattel) tandem & *Teslinenſis Benedictinorum Eremus S. Joannis* arſerunt; quæ omnia ſinè cæde, & ſangvine Religioſorum perfecta, quis ſatìs ſanus, & rerum peritus credat? *Rokyczanam* Civitatem *Ziſſka* tranſiens, nonnullos *Canonicos Regulares S. Auguſtini in Cœnobio* de trabibus ſuſpendit, & ſenem ex ijs Sacerdotem, Virum ſanctimoniæ famâ percelebrem in Eccleſiæ medio vaſi piceato incluſum incendit. Audivi *Patres è Societate noſtra* narrantes, qui poſt Annum 1624. *Rokyczanenſem Civitatem* ad fidem Catholicam multo Concionum labore adduxerant, atque in parietinis Veteris *Cœnobij* habitârant, eo ipſo in loco, ubi ſacri illi viri pro Chriſto vitam laqueo finijſſent, tam gratos efflari odores ſenſiſſe, ut ſibi in cœlo eſſe viderentur.

Theob. P. 1. C. 42.

& alja Cœnobia exciſa.

Hagek l. cit Epit. l. o.

Rokyczanēſe Cœnobium everſum.

§. LXXVIII.

Digitized by Google

§. LXXVIII.

Commotovienſis Civitas odio Religionis cum Civibus ſuis omnibus exciſa.

ANno 1421. Dominicâ in Palmis, quæ tum in 16. Martij diem inciderat, *Ziſka* Cœnobiorum expugnator, cum hæreticorum Pragenſium, & ſuo Exercitu, *Commotovium* Urbem, Catholicæ fidei ſtudio id temporis celebratam, paulò antè obſeſſam, capit; nihil occupatâ Civitate aliud geſtum, quàm truncare, occidere, & urere; irritârat hæreticos non fæminarum petulantia (ùt obtendunt Scriptores hæretici) ſed ipſa *Commotovienſium* in Religione perpetua conſtantia, & quòd nuper quoſdam *Taboritas*, ac nominatim quendam *Hromadkam de Giſtebnicze* cum duobus hæreticorū Miniſtellis captos injeciſſent in rogum; nec mulieribus, nec infantibus vitæ gratia facta; duo millia Catholicorum Civium in plateis, ac præcipuè in Templo, ad quod confugerant, perijſſe ſcribunt; *Weleslavinus* duo millia ducentos, *Dubravius* tria millia, *Lupacius* viginti duo millia trucidata ſcripſit, quod frequentia Civitatis, advenarum, qui ſe receperant, multitudo, mulierum, & infantium numerus, & promiſcuum vulgus, probabile reddit; *Weleslavinus*, & cæteri, Cives tantùm, & armatos forſitan numerârint. In cæſorum numero præter cives fuêre Sacerdotes non pauci, Viri nobiles permulti, reliqui opifices, qui non ferro tantùm, ſed etiam flammis perire ſunt coacti, vitâ donati triginta tantùm viri (alij quinque tradunt) qui cæſos tumularent; ſeptuaginta Matresfamilias cum puellis, extra Urbem eductas in officina Pannorum, & telæ premendæ, flammis redêgere in cineres hæretici; præcipuus ſupplicij, ùt dixi, locus, *Eccleſia, & Cœmeterium* fuit; ideóque venerationis gratiâ tot millium pro fide Chriſti peremtorum, quibus hæretici eo die cæleſtes Palmas in manum dedêre, nemo in ijs duobus ſacris locis ad noſtra uſquè tempora ſepelitur, ſed extra urbem conduntur. Mirum quod ſequitur mihi ſemper viſum eſt, quòd ab æditimis Eccleſiæ priùs didici, atque ipſe ſpectavi (cauſſam tamen nec illi, nec ego ullâ diligentiâ aſſequi potuimus) tantam in eo *Cœmeterio Commotovienſi ad Eccleſiam Decanalem Dentium humanorum* multitudinem reperiri, ut velut in fabulis, meriſſima dentium ſeges jacta in eam humum videatur; præcipuè, ſi pluvia cœlo decidit, meros dentes humi legere potes; ſi vel digito humum terebrare volueris, dentium examina effodies; me ipſum, & conſcientiam meam pro teſtimonio Lectoribus offero, ut fides fiat; etiam in ipſis Cœmeterij humilibus illis muris, quacunque hiabant, aut patebat fiſſura, dentes reperi, eámque rem admirantibus *Noſtris Patribus*, qui aderant, oſtendi. Forſitan argumentum eſt tot millium cæſorum, qui cùm (ut tradunt *Commotovienſes*) humati non ſint,

In Martio 1421.

Zalans: Com: ci: 2. de vit: Huſſi.

Cōmotovij aliquot Catholicorum millia ab hæreticis perimuntur

Weleſ. & Lupac. ad 16. Martij. Cont: M.S. Dub. l. 26. hiſt. Boh.

Dentium multitudo in Cœmiterio Commotovienſis Eccleſiæ.

Digitized by Google

ſed ſinè ſepulchri honore relicti, alijs oſſibus putrefactis, dentes qui nonniſi tardiſſimè in cadaveribus corrumpi ſolent, remanſerunt; Ego Lectori ſagaci rem dijudicandam relinquo.

§. LXXIX.

Beraunæ Civitatis Regiæ ab ijsdem hæreticis unà cum civibus ſuis, Nobilitate, Religioſis, & Sacerdotibus excidium.

1421. 1. Apr: BEranna Regia Civitas eſt, tribus à *Praga* milliaribus, vicinitate ejus, aliſque commodis, & præſidijs vitæ in *Bohemia* non incelebris, ſed religionis Catholicæ per id tempus ſtudio, & Sacerdotiorum in Eccleſia Parochiali multitudine, deinde opibus ſacris longè celebratior; conſtat ætate noſtrâ *Saxones ex Eccleſiæ Beraunenſis* theſauro circa An. C. 1632. triginta ſeptem vel octo calices ſacrificijs Divinis deſtinatos, argenteos omnes, & inauratos, multos eorum gemis diſtinctos, ut alia ornamenta Eccleſiarum ſileantur, ſacrilegè abſtuliſſe; ſed ad rem veniamus: *Beraunam* igitur, cùm *Catholici* nominis odio *Pragenſes*, & cæteri hæretici, oppugnandam An. 1421. ſuſcepiſſent, ſæpius virtute obſeſſorum cum ignominia repulſi, tandem multitudine ſuperante, 26. Martij capiunt, decem diebus poſt *Commotovium* excisum. Hic tamen mitiores videri voluerint: tanto enim ſangvine *Commotovij* nuper fuſo, furiarum reſtinctæ tædæ, & ardor ſtygius mitiùs urere videbatur inſanos; non ſævitum igitur in obvios; unus *Joannes Kobliha* Equeſtri loco natus, qui egregiâ virtute aſſilientes repreſſerat, ex Turri urbica præceps datus, cùm adhuc ſpiraret, ferreis tribulis ad mortem verberatus eſt; tum parcere ſangvini Duces juſſerunt. Oblata omnibus vitæ gratia pacatè primùm, ſi articulis hæreticis ſubſcribere vellent, actum per colloquia, *ſuos, ac ſe miſeri reſpicerent, eſſe omnes in poteſtate victorum, proinde ſaperent, & tempori cederent*; integro die ad deliberandum dato, cùm nihil viri fortiſſimi minis, neque blanditijs moverentur, ad ſupplicia denique quaſi per otium cum clementiæ fama, crudeliſſimi latrones deſcendunt: triginta ſeptem Sacerdotes, ac Religioſi (nam *Beraunæ* Conventus erat Ordinis *Sancti Franciſci Minorum*, ac fortè etiam *Benedictini* ex *Skalenſi Cœnobiolo*, vel aliunde *Beraunam* ſeſe in eo tumultu receperant) numerabantur; erant inter captivos quoque *Jaroslaus Miczan de Klinſtein* ex *Procerum Bohemorum familia*, *Beraunæ Decanus*, tum tres Univerſitatis Carolinæ Magiſtri Catholici: *Erneſtus de Paczovv*, *Georgius de Launa*, *Michaël Daubek*, cum triginta ſeptem alijs Sacerdotibus, & Religioſis Viris; ex nobilitate *Joannes Kobliha* Urbi Præfectus, quem ex turri Urbis præcipitârant, ut paulò antè dixi, tum *Bohuslaus de Daupovva* cum Patre ſuo ſene, & globo Catholicæ ex vicinia Nobilitatis;

Margin notes: Beraunenſis Eccleſiæ divitiæ. — *Theob. in Huſſit. alij 1. Apr.* — Beraunæ plurimi ex Catholicis occiſi.

Digitized by Google

litatis; hos iterum, iterúmque monitos, ut *articulos Pragenſium* (qui Religioni Catholicæ adverſabantur) admittant, recuſantes tandem vinciunt, deinde in balnei hypocauſtum quoddam ante Urbem inductos, ſeſe mutuò ad conſtantiam adhortantes, unà cum domo incendunt, & conſumunt. Hic fuit exitus Virorum fortium, quorum cum flam̃is animæ evolarunt in cælum.

§. LXXX.

Novi Taboritæ Moravi Stephanum Abbatem Welehradenſem Ciſtercienſis Inſtituti unà cum Fratribus ob Religionem flam̃is addicunt. Chrudimenſes in Bohemia Cœnobium Fratrum Minorum Conventualium ad Stradow incendunt.

DUm *Ziſka* apud *Bohemos* cum *Taboritis* ſuis in *Cœnobia* bacchatur, & pro *Chriſti calice*, ſangvinem piorum, & ſacratorum hominum ſacrilegè bibit, aut profundit, *Moravi* hæretici, Apoſtatis Sacerdotibus *Bedrzicho de StraZnicZ* (cujus poſtea in *Bohemia* multa ſacrilegia in Annalibus noſtris leguntur) & *Thoma de WiſtonicZ* Ducibus, eâdem inſaniâ correpti, in Inſula quadam *Moravæ*, non ità Straznicio procul caſtris poſitis (quæ *Novum Tabor* dixêre) viciniam illam omnem prædationibus infeſtare cœperunt. Urebat illos ante omnia *Cœnobium Welehradenſe Ciſtercienſium* (de cujus origine conſulatur *Epitome*) huc inobſervati primis caſtris perveniunt; aperta omnia ùt in pace, valla nulla, nihil clauſi, nihil murati inveniunt; ergo ſtatim ad prædas verſi, poſtquam omnia rerum pretia, cum *pulviſculo*, ut ita dicam, ex Templo, & Cœnobio opulentiſſimo extuliſſent ſibi, ſéque probè eſcis, & vino ingurgitâſſent, poſt epulas quaſi ad ſpectaculum, & ludos effuſi, captum *Abbatem Stephanum* cum *ſeptem Fratribus* educunt; ſtatim ingens pyra exſtruitur, & incenditur; honorem *Abbati* deferre ſe vociferantes, primum illum, deinde ex ordine cæteros *ſeptem* in flammas jactant, mille execrationibus vitam illorum, & mortem devoventes. *Stephanum* dum viveret, pro *Sancto* habitum, teſtantur *Hagecius & Dubravius*, ad cujus exemplum vitam conformabant ſuam & reliqui, quo merito ad *lauream Martyrij* vocati videntur à DEO. Plura ſinè dubio *Novi Taboritæ* ſacrilegia patrâſſent, niſi principijs malorum *Catholica Moraviæ Nobilitas*, ac præcipuè *Joannes de Praga Olomucenſis Epiſcopus* occurriſſent, ſacrilegósq; illos ſuis copijs diſſipâſſent. tantùm de *Moravorum Taboritis*.

In *Bohemia* circa hæc tempora (die *Lunæ* poſt Dominicam primam Verni Jejunij) *Chrudimenſes Cives*, ut fidem ſuam mox venturis ad ſe *Pragenſibus* approbarent, ſoliciti, *Cœnobium S. Jacobi* in vicinia Urbis ſuæ è regione Caſtri

Marginalia: 1421. — Novi Tabores in Moravia. — Welehradenſes Religioſi combuſti. — *Epi. l. 4. C. 7 Hagek ad A. 1421. Theob. P. 1. C. 43.* — *Dubr: l. 26. hiſt. Boh.* — *Hagek l. c. Epit. l. cit. Theob. l. c.* — Occiſi FF. Minores Chrudimij.

Caſtri Veteris *Stradovv* ſitum Ordinis S. *Franciſci Minorum Conventualium*, adoriuntur, occupant, incendunt, quatuor ſupra viginti partim Religioſis, partim præſidiarijs militibus trucidatis.

§. LXXXI.

Broda Bohemica, Civitas Archiepiſcopalis, & Catholica, cum plerisq; Civium, Sacerdotibus omnibus, totóque præſidio deletur.

1421. Hagek ad 1421. Theob. P. 1. C. 43.

Hiſt. Sedle: Simeonis Euſtachij impreſſa C. 3.

Broda Catholica Civitas ab hæreticis occupatur.

Dubr. l. 26. hiſt. Boh. Theob. l. c.

M. S. Reginohrad.

Decanus & alij Catholici occidũtur.

Cùm Catholici in Bohemia juſtum exercitum, quo defendi poſſent, in campo non haberent, hoſtes *Taboritæ*, *Orebitæ*, *Pragenſes*, diviſêre ſeſe, & diverſi ad *Cænobia*, *& Catholicorum Urbes* ſpoliandas, & incendendas profecti ſunt; *Pragenſis Exercitus* (cujus Ducem fuiſſe *Joannem Zelivenſem Apoſtatam* hiſtoria *Sedlecenſis* affirmat) ante Brodam ſtetit Aprili medio An. 1421. & deditione poſtulatâ, quia niſì armis nihil ſe impetraturos videbant, 16. Aprilis aſſiliêre; ſemel atque iterum magna cum clade dejecti mœnibus, tandem novis ac novis ſemper ſuccedentibus obtinuêre Urbem; *Præſidiarij* (quos Germanos fuiſſe *M. S. Codices* teſtantur) ad Turrem Eccleſiæ confugêre, Pacem orantes, ſed mox incensâ Turre, educti extra Urbem, adversùs omnes militiæ leges, in rogos injecti partim flam̃is, partim tribulis ferreis verberati perierunt. Exſatiari ira obſidentium hâc cæde potuit, niſì ipſa hæreſis obſtitiſſet; itaque in innoxios, inermes, ac *Sacerdotes* atrociùs etiam ſunt bacchati: ante omnia (quod perpetuum illis fuit) *Eccleſiam S. Gothardi Collegiatam*, in quam ſeſe plerique Civium receperant, incendunt, in quo incendio ampliùs, quàm ducenti mortales animas exhalârunt; ex Viris ſacris præcipui *Joannes de Dubnian Decanus* Artium Magiſter cum tribus ſuis *Canonicis*, tum alij *quindecim Sacerdotes* necati. *Nicolai Navaræ* cædes ſingularis fuit cum æterna Viri gloria peracta; fuit *Navara Capituli Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Notarius*, Vir moribus graviſſimus, vitæ innocentiâ conſpicuus, doctrinâ ſummus, quódque exitium attuliſſe *Theobaldus* fatetur, hæreticorum hoſtis accerrimus, quare hunc unum avidiùs ad necem poſcebant omnes, ut unus inter manus omnium laceraretur, ſed Ducibus (ut *Huſſo* parentarent) flam̃æ ſupplicium præplacuit, vinctúmque, & extra urbem vectum in vas pice perfuſum conjiciunt, totóque Exercitu tripudiante, velut in triumpho cum cantibus exurunt. O pretioſam mortem in conſpectu Domini! *moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea illorum ſimilia!*

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Caurzimij Ciſtercienſes quinque, Colini Prædicatorum Ordinis ſex cum Urbis Decano Hinkone Viro Natalibus, doctrinâ, & virtute illuſtri; iterum Chrudimij ex eodem Prædicatorio Ordine octodecim flammis cremantur.

EAdem *Pragenſium* hæreticorum tempeſtas alias, aliáſque poſt *Brodam Bohemicam* Urbes involvit: *Kaurzimenſes* miſſis Legatis ſe in poteſtate futuros polliciti ſunt, ad quos ſtatim aliquot ſuorum turmas direxêre *Pragenſes*, acceptâque, & redditâ fide, *Præpoſituram S. Martini Ciſtercienſium* in Urbe (ubi hodie *Decani* domus eſt) ſtantem adorti, direptis rebus omnibus incendêre, *Sacerdotes quinque* Religioſi educti, probris omnibus ingeſtis foris ante portam Urbis, quæ *ſuperior* appellatur, maximis lætitiæ ſignificationibus, & vociferationibus, in vaſa picea includuntur, & ſtramento arido oppilatis vaſis, ac incenſis, in cineres rediguntur invictâ conſtantiâ, pro Deo & ſacris Religionibus crudeliſſimâ morte defuncti 21. Aprilis. 1421. In Kaurzim Ciſtercienſes exuſti. *Hagek ad A. 1421. Epit. l. cit. Theob. P. 1. C. 44. Simeon Euſtach. in hiſtor. Sealec.*

Kolini idem ſacrilegium in pervigilio *S. Georgij Martyris* patratum eſt (*Theobaldus* ipſum *S. Georgij* feſtum diem ponit) *Cænobium* Patres ex *S. Dominici* diſciplina *Kolini* percelebre in antiquitate, & præclari operis habebant (quod poſtea in *caſtrum* verterunt hæretici) illuc *Pragenſes* in Urbem ultro admiſſi, rectâ feruntur; ſacram Domum rebus omnibus elatis exſpoliant, incendunt, *ſex Sacerdotes vinctos* accenſâ pyrâ in flammam conjiciunt, nullâ nisi Religionis cauſâ. Erat eò loci *Decanus* Vir Illuſtriſſimæ Nobilitatis *Procerum de Ronovv* (qui ab eadem cum *Bercis* origine deſcendebant) *Hinek vel Hinko*, doctiſſimum in profanis æquè ac ſacris fuiſſe tradunt hiſtoriæ; hunc, ut morti majorem celebritatem adderent, vaſi piceo incluſum, injectis flammis exurunt, ſubſultante interim circa pyram militari plebe, & cùm decurrerent, quaſi re triumphali geſtâ, plaudente, & canente. *Hag: Theo: Epit. l. cit.* Prædicatores itemColini. Et ex Proceribus Hinek de Ronovv.

Poſthæc *Chrudimio* Exercitum admovêre *Pragenſes*; jam nuper excidio *Stradovienſis Cœnobij*, ùt narravi, *Chrudimenſes* commendaverant, & probaverant ſeſe, hoc tempore illuſtri edito facinore, omnes ſibi hæreticos plurimùm devinxêre: curritur in *Monaſterium Prædicatorum*; alij ſacra diripiunt, alij profana, alij *Cænobio* ſubjiciunt faces, quidam Religioſos extrahunt in forum, alij pyram exſtruunt, alij ſuccendunt, alij captos vinciunt, denique poſt mille verborum contumelias, concuſſiones, & verbera, univerſa illa Patrum, & fratrum corona in foro ipſo concrematur. *Octo* fuiſſe *Religioſos Viros Theobaldus* affirmat; at *M. Laurentius*, qui eâ tempeſtate vivebat, parcus alioqui in enumerandis Catholicorum cædibus, ſolitus etiam ſu- *Ibid. ijdem.* Chrudimij Prædicatorum Convẽtus deletur.

Digitized by Google

§. LXXXIV.

Czaslaviæ Minorum Conventualium, Nymburgi Prædicatorum Conventus flammis, & ſuorum ſangvine delentur. Cuttenbergenſes Catholici, qui ſedes mutare ob Religionem volebant, contra datam fidem membris mutilati, pars cæſi ab hæreticis, repelluntur.

1421.

PEnè tantùm, non ampliùs, in *Narratione* erit, quantum *Titulus* præfert; rebus enim omnibus cum Religione mutatis, ſuccedente in eas ipſas Urbes hæreſi, & propè trium ſæculorum ſpatio regnante, nimirum monimenta omnia exciderunt: deleta eſſe Cœnobia *Czaslaviæ & Nymburgi*, id verò conſtat inter omnes, Manuſcripti Codices teſtantur, rudera Eccleſiarum, & Cœnobiorum pendentia hodiéque clamant, lapides altarium fracti, & parietes ſangvine perfuſi loquuntur. Sed de *Nymburgenſi Cœnobio*, quo illud tempore exciſum ſit, non æquè conſtat: longè tardiùs, & jam *Ziſkâ* extincto, *Nymburgum* eſſe captum certiſſimum puto; etſi illud excidium, alios Scriptores ſecutus, hoc loco & anno poſuerim.

FF. Minor: Czaslaviæ, Nymburgi Prædicatores perimūtur.

Kuttenbergæ quid geſtum ſit eo ipſo die, quo *Ziſka ad Chrudimium*, aut potiùs, ùt paulò antè ex M. S. Codice dixeram, Raudnicij verſabatur (niſi iſta per ejus Duces geſta eſſe dicamus) habet M. S. *Cives Kuttnenſes* cùm ea, quæ *Berаunæ, Brodæ, Kaurzimij, Kolini* geſta erant, accepiſſent, conterritos, Legatos ex ſuis honoratiſſimos Viros ad *Pragenſes* (qui *Taboritis* longè mitiores habebantur) miſiſſe, qui pacem orarent, revocarent in memoriam utriusq; Urbis ab antiquo tempore fœdera, unam fuiſſe *Pragæ, & Kuttnæ Civitatem*, univerſi Regni theſaurum argentifodinis contineri, proinde parcerent Urbi cognatæ, parcerent Regno, parcerent ſibi. *Theobaldus* ex *M. Laurentio* ait, cum Monſtrantia *Ven: Sacramenti* occurriſſe *Pragenſibus Kuttnenſes*, & genibus poſitis veniam orâſſe, & impetrâſſe, etiam illud, ut qui Catholicam Religionem mutare hæreſi nollent, uſquè ad *Aſſumptionis B. Virginis* diem, rebus ſuis venditis, vel convaſatis, innoxiè quò vellent, abirent. ità tum inter partes convênit; cui conventioni cùm fiderent *Catholici*, & plurimi Urbe excederent, *Pragenſium* ſatellites inſidijs collocatis quàm plurimos exceperunt, rebus omnibus exuerunt, manus nonnullis crudeliter amputârunt, alios naſis, alios auribus mutilatos ad ignominiam rurſus impulerunt in Urbem, nullâ fidei, quam dederant curâ, nullo pactorum fœderum reſpectu.

Epit hiſt. l. 4. c. 7. Theob. P. 1. c. 45. Hagek l. c.

Cuttenbergenſes Catholici pereunt.

Lupac. in Calend.

Digitized by Google

§. LXXXV.

Ziſska in vicinia Lichtemburgicæ Arcis Sacerdotes quàm plurimos occidit; Sedlecenſe Cœnobium Ciſtercienſium ditiſſimum, & frequentiſſimum, occiſis Religioſis omnibus inflammatur.

1421. Cædes multorum Sacerdotum. *M. S. Bartoſſek de Drabonicz. Hagek ad A. 1421. A. 1421. 28. Maij.* Sedlecenſe Cœnobiū cum Religioſis exscinditur. *Euſtach. in hiſt. Sedlecenſi. Paul Zidek in Inſtr. ad Regem Georg. M. S. Euſtach. ad A. 1309.*

Z*Iſska Taboritarum Ductor*, cùm ſe à Pragenſibus ſeparâſſet, ſubitò *Taborium* ſeſe retraxit, & *Piccarditis* Taborij, pérq; eam viciniam deletis, celeriter reverſus, non procul *Jenikovviâ* ſub montibus, iterum *Pragenſium* copijs ſuas conjunxit; ad Caſtrum deinde *Lichtemburgum* progreſſus, arcis deditione factâ, *Chrudimium* cum ſuis pervenit. In hoc itinere maximam vim *Sacerdotum à Ziſka* trucidatos perijſſe, Eccleſias quàm plurimas inflam̄ari, incendíq; juſſiſſe, tradit *Hagecius*; at *Sedlecij Cœnobij* venuſtiſſimi incendium, & cruentam Religioſorum omnium ſtragem, cujus etiam hæretici meminêre, ab eo omiſſam, quoties ejus Cœnobij in mentem venit, admirari ſatis non poſſum. *Sedlecenſe Cœnobium* igitur, ſummâ celeritate uſi, nè quid prædæ elaberetur è manibus, *Taboritæ* cingunt, vias omnes occupant, tum ad prædas, & cædem Monachorum vertuntur: *quis cladem illius lucis, quis funera fando explicet?* quingentos Religioſos Viros *Sedlecij* DEO continuatis diu, noctúque horis laudes dixiſſe, & pro ſceleribus hominum DEI miſericordiam implorâſſe conſtat; quantus *Sedlecij* numerus occiſorum fuerit, nullibi, nè in hiſtoria quidem *Sedlecenſi* reperio; ſuſpenſos patibulis, aliíſque mortibus ſublatos *Euſtachius* tradit; *Zidek* vicinus eorum temporum *Carthuſianos* quoque, tam *Pragenſes*, quàm etiam *Podiebradienſes Sedlecium*, ùt ad locum ſecurum, recepiſſe ſeſe, cóſque omnes immaniter unà cum *Ciſtercienſibus* trucidatos ſcribit; an *Jacobus Abbas* evaſerit mortem tectus latebris (quæ in Cœnobio multæ fuiſſe feruntur, & quas *Henrici Abbatis* exemplo paratas habebat) nondum comperi. Necatis Religioſis omnibus faces Eccleſiæ *B. Virginis*, & Cœnobio ſunt ſubjectæ; conſtans omnium traditio eſt: *Ziſkâ* invito, *Eccleſiam & Cœnobium* arſiſſe, quòd magnitudini, venuſtati, & præſtantiſſimis ædificationibus parcere ſtatuiſſet, ideóque ut *Euſtachius, & Theobaldus* narrant, viſis flammis indoluiſſe, & confeſtim proclamari juſſiſſe, quaſi lætum incendio: *quisquis accendiſſet, veniret, præmium recepturus, quantum auri, & argenti ſatis in omnem vitam eſſet*; cùm ſacrilegus veniſſet, comprehenſum illico, eíque liquatum aurum, argentúmque in os infuſum, ut mortuus conciderit; ſimul cum ejus morte ſeveriſsimè vetitum, nè quis injuſſu *Ducis* flammas cuicunque ædificio ſupponeret. Ità nemo malus eſt, qui bonus aliquando eſſe, aut ſaltèm videri non

Digitized by Google

non velit. Agit de hoc Cœnobij Sedlecenſis excidio Menologium Sacri Ord: Ciſtercienſis ad 28. Maij his ipſis verbis: *In Monaſterio Zedelitzenſi* (Sedlecenſi) *Paſſio Beatorum Monachorum Ciſtercienſium, qui ob fidei Catholicæ profeſſionem ab Huſſitis Martyrio affecti Coronam immortalitatis promeruerunt; quibus aſſociati ſunt Monachi Carthuſiani, qui à Noſtris hoſpitio charitativè excepti, eodem die, eodem loco, & eandem ob cauſſam Martyres evolarunt ad cælum. De illis Joannes Cochlæus, Aubertus Miræus, & Paulus Langius in Chronico Citizenſi A. D. 1421.* hæc Menologium Henriqvez.

Carthuſiani in Sedlecenſi Cœnobio deprehenſi occiduntur.

§. LXXXVI.

Excidia Cœnobiorum in Chrudimenſi, Boleslavienſi, & Reginohradecenſi Provincijs, cum innumeris Catholicorum, Sacerdotum, ac præcipuè Monachorum cædibus.

FUlminis in morem, ùt vidimus, in *Cœnobia* ferebantur hæretici: acuebat prædones ipſa hæreſis, quæ ſangvine libentiſsimè paſcitur, ſtimulabat prædarum ex Cœnobijs, ac Templis ditiſsimis infinita cupiditas, incendebant Victoriæ, & ſemel deguſtata ſangvinis dulcedo, velut de *Urſis* tradunt, magìs, ac magìs efferabat; hæc vulgus hæreticorum. At Duces non diu impunè ſe volitaturos cogitare poterant, adfore brevì in *Catholicorum* ſubſidium univerſam *Germaniam*, utendum eſſe tempore, fibras omnes Catholici ſangvinis excindendas ferro, præcipuè urbes omnes in partes ſuas metu, odio, aut quacunque ratione adjungendas, & trahendas ſtatuerant; accedebat, quòd nulla legitima ſtipendia militi repræſentare poterant, præter quæ prædando collegiſſent, ſciebant aſſvefaciendos eſſe ſangvini, & ſacrilegijs Suos, ut neque receptum ad veniam habere unquam poſſent, & cùm ex ſacris, & Eccleſiarum flammis prædas agerent, majoribus ſceleribus perpetratis, minora flagitia ducerent pro nihilo. Igitur *Nobilitate* adhuc intactâ, præterquam ſi quis opponeret ſeſe, in *Cœnobia* ſuos ire juſſerunt: explicari non poteſt, quantæ cædes his pauculis diebus in tanta hæreticorum omnia pervadentium celeritate, perpetratæ ſint. Ut priora, quæ jam commemoravi, prætercam; Primo furentium impetu in uno *Chrudimenſi Diſtrictu* deletur *Conventus Prædicatorij Ordinis* in minori *Pardubicio* (w Pardubičkách) *Dobrovicij*, vel *Drobovicij Præmonſtratenſium*; *Podlazicenſe Benedictinorum* (in quo fugâ dilapſis fratribus cæteris, deprehenſum *Abbatem* cum alijs *duobus Religioſis Patribus*, in flammas injectum perijſſe, literæ *Picardorum* fatentur) in *Orlik ad Chocznam* dives Cœnobium *Crucigerorum S. Cyriaci* (de quibus alio in loco agemus) in *Arce Gezborzicenſi* (quod

1421.

Cædes innumeræ Sacrorum Virorũ

Epiſt. Picardorum ſub Wladis. Rege Typis edita.

Digitized by Google

Templarijs extinctis, pridem *Rhodijs Equitibus* ceſſerat) *Altomeita geminum Ordinis Minorum, Virorum* atque *Virginum* (quod *S. Ludovici* appellabatur) cum his *Altomeitani Cives*, qui portas claudere ſunt auſi, non pauci periêre; *Skalicenſe* iterum *Ciſtercienſium, ac Sezemicenſe* ejuſdem inſtituti Virginum. In hoc poſtremum *Ziſka cum Taboritis* nullo prohibente ingreſſus, attonitas, tam horrido ſpectaculo D E I ſponſas (nam ex ipſis *Taboritarum* vultibus ſpirabant tormenta) vinciri, & in profluentem, *tredecim* numero (nam forſitan pluribus, ut alibi quoque factum lego, defuit animus) abjici juſſit; bonâ fortunâ accidit, ut quibus id mandatum erat negotij in *Pragenſem* aciem incurrerent, qui, utpote civiliores, illas ſibi Virgines dari petierunt, datáſque *Reginohradecium* dimiſerunt incolumes, quæ innocuæ animulæ lacrymantes per viã, extra mundum ſe ire credebant, quòd ejicerentur ex clauſtro. Sed, & *Czaslavienſis Provincia* ingens tum à *Taboritis* in ſacris damnum accepit: *Wilemovienſe* Ordinis *S. Benedicti Cœnobium* cum ſuis cultoribus, & omnibus memorijs deletum, & incenſum, aliud item *Michalovienſe* ejusdem Ordinis, & *Chotuſſienſe*, vel *Chotiecenſe S. Procopij* Ciſtercienſis Inſtituti, *Byſſovienſe* (quod, cujus Ordinis fuerit, ignoratur) aliáque complura. Eandem calamitem ſubiêre Cœnobia quædam in *Boleslavienſi, & Reginohradecenſi Provincia*, ùt *Benatek novum* (quanquam id antè à *Pragenſibus*, qui *Boleslaviam Veterem* tenebant, factum videatur) *Crucigerorum S. Cyriaci, Jablonenſe Virginum ex S. Dominici diſciplina* (nam poſtea Virginibus Viri ſucceſsêre) *Domum Rhodiorum Equitum* in juniore Boleslavia, ibidémque *Fratrum minorum Conventualium* Cœnobium; *Liſſa, & Proſik*, & ſub Caſtro *Bezdiezy Canonicorum Regularium S. Auguſtini* (coloniæ Cœnobij Carolini Pragenſis) & aliud eorundem Canonicorum Cœnobium in *Saczka*, & aliud *Landſcronæ, in Zleby Noſocomium* opulentiſſimum à *Marquardo de Wartemberg* An. 1377. fundatum, cui *ſex Ciſtercienſes Monachi* cum *Præpoſito* ex Cœnobio *Gradicenſi* miſſi præerant; *Reginohradecij ad S. Joannem Baptiſtam* Cœnobium *Fratrum Minorum*, ibidem alia duo Cœnobia in ſuburbio *Ordinis Prædicatorum* Virorum, & fæminarum: illud ad *Eccleſiam B. Virginis*, hoc ad *S. Georgium* (quanquam *Reginohradecenſia* Cœnobia, non priùs, quàm *Ziſkâ* adveniente, & ſuburbanas domus inflammante deleta videantur) item *Præpoſitura Ordinis S. Benedicti in Baſſczin*; *Collegiata Eccleſia in Lipnicz à D. Wilhelmo de Landſtein* An. 1397. fundata, ubi Decanus cum ſex numero Canonicis ejecti; & *Domus Rhodiorum in Dub, Cœnobium Crucigerorum cum navicula Sancti Sepulchri ad Trutnovium* (quæ civitas armatâ manu capta eſt) *Bidzovienſe Ord: Minorum Conventualium; Zvvolenſe* ad *Jaromirium Ordinis Prædicatorum*, aliæque plurimæ Religioſæ ſacrorum hominum Sedes, in quibus omnibus, quantum ſit effuſum ſangvinis, expendat, quisquis hæreticorum in ſacra rabiem, & eorum temporum latro-

Enumerantur Cœnobia vaſtata] & cum Incolis deleta hoc tẽpore.

M. S. varia Epi. l. 4. C. 7 Hag. 1421. Theob. in Huſſit. P. 1. C. 44. & 45. Dubr. l. 27.

Digitized by Google

latrocinia, & ſacrilegia in noſtris Annalibus legit. Hæc omnia Cœnobia per hoc iter *Brodenſe*, *Kuttnenſe*, *Chrudimenſe*, & *Jaromirienſe*, aut in reditu *Pragam* exciſa ſunt; Monachi, deprehenſi, ùt habet *Dubravius*, exuſti. *Dubr. l. cit.*

§. LXXXVII.

Jaromirium Reginæ Bohemiæ dotalis Civitas in Reginohradecenſi Provincia, datâ, & non ſervatâ ab hæreticis fide, Religionis cauſsâ, aquâ & igne deletur. Zwolenſes quatuor Ordinis Prædicatorum in Albim abjecti, merguntur.

PLacet *Joannis Dubravij* verbis Tragicum Jaromirenſis Urbis excidium explicare, adjectis, ſi quid ampliùs inveniatur, breviſſimis Notis: *A. 1420. 14. Maij.* *certiores mox facti* (hæretici) *Jaromirium Oppidum diligentiſſimè tum à Bohemis, tum à Moravis, ſub* Præfecto *Moravo ex familia Procerum Bozkovicia, muniri, eò Exercitus ducunt, & mœnia ingenti, ac pertinaci impetu invadunt, quippe ab ortu Solis uſquè ad meridiem illum continuarunt, tantâ ſuorum occidione, ut* Pragenſium *plus minùs ſeptingenti, Taboritarum autem nongenti deſiderati fuerint. Minùs poſthac feroculi ad circumvallandum oppidum ſe dederunt, mox ad colloquium obſeſſos invitarunt,* Pragenſium *loquente* Præfecto, *futuram ſtatim obſidij ſolutionem, ſi quatuor capita agnoſcere voluerint. Nihil nobis, reſpondent, cum veſtris* Capitibus *errore plenis, nos unũ Eccleſiæ* Caput, *ſicut unum Regem noſtrum agnoſcimus. Cæterùm ſi liceat Viris, mulieribúſque cum ipſis pueris incolumibus exire, & tantum cuilibet recularum ſuarum ſecum auferre, quantum dorſo geſtare queat, de* Civitate *ſe* Pragenſibus, *non autem Taboritis conceſſuros. Obſtringunt fidem, ità ſe facturos, ſed perfidi non faciunt. Nam ipſum* Præfectum *Pragam captivum deduci jubent, viros, mulieréſque etiam ipſis veſtibus deſpoliant, ac plures Virgines nudatas in flumine ſubmergunt.* Hæc in *Hiſtoria Bohemiæ Dubravius*; quæ non parum aliter in *Theobaldo*, & *Hagecio*, aliíſque MM. SS. codicibus narrata leguntur: inprimis MM.SS. codices non *Czernohorskium*, ſed *Czervenohorskium* Urbis Præfectum nominant, quod fuit agnomen familiæ *Berkianæ in Bohemia*, non *Bozkovicianæ* apud Moravos ſtirpis. *Taboritas* nongentos, & ſexdecim humum planxiſſe, ab *Jaromirenſibus* occiſos tradit *Hagecius*. *Hagek ad 1421.* Cùm urbe exirent Catholici, nihil moventibus *Pragenſibus*, *Taboritas* fœdifragos aggreſſos Civium turmas, primò *Senatum* (cùm ſe in hoc *Senatûs* dignitatem tueri velle cum amaro riſu profiterentur) deinde cæteros, ac tandem *nudatas Virgines* ex rupe (locus hodiéq; monſtratur) in *Albim* jeciſſe, & merſiſſe. Jam quod omiſit *Dubravius* ex modò citatis Scriptoribus eſt ſupplendum

Dubr. l. 26. hiſt. Boh.

Hæretici Jaromirenſibus fidem non ſervarunt.

dum; alter dies (15. Maij) ſupplicijs *Sacerdotum* datus eſt totus: unum ſupra vicenos eduxerunt, pleroſque *Canonicos Regulares S. Auguſtini* ex Jaromirienſi Cœnobio, *tres* tormentorum metu victi (ùt habet *Theobaldus*) acceſſerunt hæreticis, reliqui duodeviginti exercitu hæreticorum utroque ſpectante, flammis pyrâ ingenti excitatâ, ſunt conſumti.

Canonici Regulares S. Auguſtini Jaromirij cōbuſti.

Zvvole pagus medio *Jaromirio* milliari ſitus, in quo *S. Dominici* Religioſa Familia Cœnobium, aut domicilium potiùs quoddam fixerat, *quinque* enim non ampliùs alebantur; ex his *quatuor* dum *Jaromirium* obſidetur & capitur, captos, & in *Albim* projectos à *Taboritis* narrat *Joannes Laicus* ejusdem Ordinis, qui latebris tectus evaſit; cujus Chirographum Libro III. *Miſcellaneorum Cap. XI.* recitavi. Corrigendus ibidem Annus: non enim 1425. ſed 1421. geſta res eſt, licèt eam primùm A. 1425. *Joannes* deſcripſerit.

Demerſi IV ex Ord. Prædic. ex Cœnobio Zvolenſi.

§. LXXXVIII.

Tuſtenſes Cives hæretici Caſtra Herſtein, & Ryzemberg occupant, ibi ſeptemdecim Catholicos, hîc ſexdecim Viros nobiles exurunt; Conventuales domeſticos ſuos trucidant. Virgines Sacræ Parthenonis Georgiani ignominiosè acceptæ per fora Pragæ ducuntur, & cum alijs Sacris Virginibus, quarum numerus ad trecentas quinquaginta aſcenderat, in exilium deportantur.

1421. Cùm Orientalia *Bohemiæ* loca Eccleſijs, ac Cœnobijs plurimis, nonnulliſque etiam Urbibus inflammatis, deſolarentur, *Occidentalem* quoque Bohemiæ partem Catholicorum cædibus hæreſis funeſtavit, octo diebus ante Pentecoſten *Tuſtenſes Hæretici* arcem munitiſſimam, in quam loci fiduciâ ſuas opes multi ex Nobilitate, & Sacerdotes ex Templis intulerant, *Herſtein* (ad *Ronſperg in Plſnenſi Provincia* ſitam) expugnant, in eâque *ſeptemdecim* Viros Catholicos, Religioſos pleroſque, ùt probabilis conjectura evincit, flammis enecant, deinde in deſcenſu montis, nobile *Cœnobium Pivvonkanum Eremitarum S. Auguſtini* incendunt.

Theob. in Huſſ. P. 1. C. 45. *Epit. l. cit.* Herſtein. Pivvonka.

Propè jam mihi exciderat alterum *Civium Tuſtenſium*, ſeu *Domazlicenſium* ſacrilegum facinus, niſi memoriam admonuiſſet *Calendarium hiſtoricum Procopij Lupacij Civis Tuſtenſis*, cujus hæc verba ſunt ad 18. Maij, An. 1421. *Domazlicenſes expugnatâ Rizembergâ* (caſtro munitiſſimo) *XVI. Clientes* (id eſt Nobiles) *veritatum Chriſti adverſarios* (vide hæretici hominis amentiam!) *combuſſerunt, Bohuslao Rizembergæ Domino Ssvvihovianæ gentis*

Ryzmberg.

ſoli

ſoli pepercerunt, eò quòd eſſet Reipublicæ Pragenſis jam antè captivus. En cædem, en cauſſam! ſed & *tertium* eorundem hæreticorum *Tuſtæ* facinus An. 1419. patratum in M. S. Codice reperio: excidium videlicet in Urbe ſua *Cænobij Minorum Conventualium* multo cum ſangvine. erat id pro *Auguſtinianis* A. 1288. fundatum (ut dicam alibi) pòſt ad *S. Franciſci* Ordinem pervenit; hodie rurſus habitatur à ſuis.

> Cœnobiũ Tuſtenſe FF. Minorũ *M S. f.191. InCœnobijs*

Nec *Pragæ* quies Catholicis data; rudes puellæ, DEOque plenæ Virgines ex Cœnobijs extractæ tantùm non perierunt. In Junio Anni 1431. *Borzka*, ſeu *Urſula Czenkonis de Wartemberg Burgravij ſupremi ſoror Antiſtita Parthenonis Georgiani* ad Senaculum Antiquæ Urbis Pragenſis, ad profana ſubſellia ab Altaribus, ad opifices ſordidiſſimos Princeps fæmina, & *Principis titulo* ornata evocatur; quærit *Joannes Apoſtata Monachus*: velítne *Pragenſium Articulis* (quos ſcilicet hæreſis dictaverat) ſubſcribere? ità *Parthenoni* omnia tuta fore, & pacata; ſin recuſet, omnia malè illi eventura. *Borzka* in maximorum Procerum familia genita, animo præſenti conditionem paucisſimis verbis recuſat; ergo illi exilium in *pervigilium S. Joannis Baptiſtæ* decernunt; mittunt, qui deducerent ſatellites hæreſi corruptisſimos: *Borzkam* triginta ſacratæ Veſtales ſequebantur, per frequentisſima *parvæ Urbis* loca ducuntur, compita omnia vociferationibus hæreticorum, & petulantisſimis ſcurrilibus, & impudicisſimis (quod Virginitati tormentum maximum) vocibus perſonabant; in P*onte* qui *magnam, & parvam* Pragam conjungit in ſum̃um venêre diſcrimen: erat quibusdam animus dare præcipites in *Muldavam*, reſtitêre prudentiores civium, rixa, ac propè jam pugna fuit, tandem pars ſanior, & mitior vicit: ad *S. Annam Virginum S. Dominici Cœnobium* adducunt: huc enim ex cæteris quoque Cœnobijs Virgines compulerant mitiores hæretici, numero ampliùs trecentas quinquaginta. Poſt varias conſultationes hæreticorum, generis claritudo (nam pleræque Procerum, & Nobilium nurus erant) mortis periculo innocuas animulas exemit; B*orzka* cum ſuis prima, ſed pecunijs, rebúsque omnibus ſpoliata, in exilium, deinde & cæteræ paulatim, nè furens plebs ſentiret, dimittuntur, quas procul Patriâ exulatum in alienas terras ad ſui inſtituti Sorores abijſſe, traditum eſt. *Hagecius à M. Laurentio* iterum deceptus B*orzkam* Articulis hæreticorum ſubſcribere voluiſſe narrat, ſed eum tum cæteri Scriptores, tum ipſum exilium, quod irrogatum eſt, luculentè refellit.

> *Hagek ad A.1421.*

> Vide ſuperiùs quæ de Borzka ejusque conſtãtia memoravi §.LXXIII

> Virgines ſacræ Pragâ in exilium deportantur.

§. LXXXIX.

Doxanenſe, & Teplicenſe Cœnobia, illud Præmonſtratenſis, hoc Benedictini Ordinis Virginum, tum deinde Oſſecenſe virorum Ciſtercienſis inſtituti, ferro & igni delentur.

1421. in Jul. Hagek. l. c. Epit. l. cit. Theob. P. 1. C. 49.

JUlij Menſis initio *Joannes Apoſtata Monachus*, qui tum *Pragæ* omnia poterat, *Pragenſes* copias in *Zatecenſem*, *&* *Litomericenſem* Diſtrictus emittit: *Doxanenſe Cœnobium* Præmonſtratenſis Inſtituti Virginum opulentum inprimis, ac multis Regum, & Reginarum fundationibus locupletatum ante omnia invadunt ſacrilegi, ſpoliant, & cum Eccleſia incendunt. *Hagecius* diem Lunæ poſt *S. Procopium* nominat (id eſt, nî fallor, 7. Julij) quo die flammis *Doxanum* conciderit; eandem rabiem, quamvìs initio humanitatem præferrent, in alterum Cœnobium *Teplicenſe* Virginum S. Benedicti Pragenſes effuderunt; ac primùm Antiſtita Parthenonis leniri poſſe beneficijs ſperaverat, itaque velut Amicis Civitatem ſuam *Teplicenſem* pro poteſtate patêre, & portas aperiri juſſerat, deinde opiparè, lautéque tractari ſubmiſsis ex præſenti copia cibarijs; at apud improbos, & ſacrilegos fruſtra ex beneficio gratiam quæſieris; curatis, & ſatiatis corporibus, crudeles etiam animos incendijs, & ſupplicijs paſcere jam pridem cupiebant; impetu in *Cœnobium* facto, eductis priùs *Virginibus*, deprædantur omnia, & ad extremum clauſtrum inflammant, ac diruunt; improbiſſimus quisque abeuntes *Sacras Virgines* aſſecuti deſpoliant, ipſis veſtibus exuunt, & nudatas agunt in fugam, quasdam aquis præfocant.

Doxanenſis & Teplicenſis Parthenones vaſtati.

Peſſina in Moravogr: l. 4. C. 4.

12. Julij, *Oſſecenſe Cœnobium* Ciſtercienſis Ordinis elegantiſſimis ædificijs, & magnifico Templo percelebre *Pragenſes* adoriuntur, ídque nullo defendente occupant. In tempore admoniti Religioſi evasêre cladem pleriq; & in proximas ſilvas, ac montes abdidêre ſeſe; at hæretici rabie in ſaxa converſâ, elatis rebus omnibus, quæ uſui eſſe poterant, *Eccleſiæ*, *&* *Cœnobio* auguſtiſſimo faces ſubjecêre. In his tribus *Cœnobijs*, quotquot deprehendere poterant Religioſos, qui aut Sacra apud *Virgines DEO devotas* procurabant, aut ægroti, aliâve cauſsâ retardati venêre in manus, vel igne, vel ferro peremerunt. *Chronicon Citizenſe*, Religioſi è familia *S. Benedicti* Scriptoris, diſſertiſſimè affirmat: An: 1421. cùm Hæretici *Bilinam* (quæ tum erat in ditione *Alberti de Colditz* Viri Catholici) obſiderent, *Cœnobium Oſſecanum* ab jisdem exuſtum, & *Monachos Ciſtercienſes*, qui ibidem DEO militabant, crudeliter occiſos. Idem affirmat diſertis verbis Menologium Ciſtercienſe Chryſoſtomi Henriquez: *Apud Bohemos*, inquit, *Paſſio Beatorum Martyrum Sanctæ Mariæ de Oſſek Ord. Ciſtercienſis*, *qui in confeſſione fidei conſtan-*

Oſſecenſe Ciſtercienſium Cœnobium incenſum.

f. 513.

Ciſtercienſes in Oſſecenſi crudeliter peremti.

ter

Digitized by Google

ter perſiſtentes ab Huſſitis immaniter interemti (An. 1429.) *cum palma Martyrij victores evolarunt in cœlum. Eorum Martyrium referunt* Paulus *Langius.* Cochl*æus l. 6. hiſt. Huſſitar. Aubertus Miræus l. 5.* Originum *Monaſticar. c. 15.* Obſervet Lector, diſcrepare *de Oſſecenſi* Cænobio Scriptores: *Theobaldus*, aliíque evaſiſſe cœdem Religioſos, alij ſubiíſſe; alij Cœnobium 12. Julij An. 1421. alij 23. Sept. 1429. exciſum affirmant. conciliari utraque pars à Nobis poteſt: dicimus enim primo hæreticorum incurſu A. 1421. 12. Julij fugâ in vicinas ſilvas vitaſſe mortem: at cùm paulò pòſt rediíſſent, & damna illata, ut poterant, reparaſſent An. 1429. 23. Sept. inopino hoſtium hæreticorum impetu crudeliſſimè deturbatos è vita, ídque poſtremum ipſius *SS. Ordinis* authoritate firmatur, imò hodiéque locus *in Oſſecenſi Cœnobio* monſtratur, in quo *Beatorum illorum Martyrum* ſacra oſſa quieſcunt; ut de cæde illa dubitare ampliùs non liceat.

§. XC.

Bilinæ expugnatâ Arce, cruenta Catholicorum laniena. Ad Brixiam ſeptem Sacræ Virgines Ordinis S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia, crudeliſſimè ante Effigiem DEI Matris in Templo necantur.

INgentem C*atholicorum & Sacerdotum*, qui ſe *Bilinæ* clauſerant, ſtragem non modò Scriptores Noſtri, ſed hæretici etiam execrantur; obſeſſa primùm Civitas à P*ragenſibus*, cùm defendi non poſſe videretur, præſidiarij, & quidquid erat armatorum cum *Sacerdotibus*, qui confluxerant plurimi, ad *Arcem*, quæ Urbi imminet, reſugerunt; ſed quod arma efficere non poterant, confecit proditio. Arce P*ragenſes* potiuntur, trucidantur promiſcuè omnes *Catholici*, præſidium, *Nobilitas* plurima, *Sacerdotes* magno numero pyris exſtructis quaſi per otium (quò magìs odium Catholici nominis appareret) concremantur. Utinam ſingulatim à Scriptoribus hæc tractata haberemus! at illi velut in *titulis Triumphorum* captam *Bilinam*, & ingentem numerum eorum, quos diximus, peremtum, & exuſtum dicere contenti, reliqua omnia ſilentio tranſierunt. Vix quidquam ampliùs de crudeli cæde *Sacrarum Virginum Zaras* traditum accepimus: ſed magno authore nititur narratio *Georgio Bertholdo* P*ontano à Breitenberg, Metropolitanæ* P*ragenſis Eccleſiæ* P*ræpoſito*: obſidebant Pragenſes hæretici Brixiam *Julio* Anni hujus, eam obſidionem à cæde DEO devotarum Virginum inchoarunt; erat *Cœnobium* Ordinis *S. Mariæ Magdalenæ de* Pœ*nitentia in pago Zaraz* ſub ipſa *Arce Brixienſi* (quam in Regni Conſtitutionibus vetuſtis *Landsvertam* pridem dixi-

1421. 7. Jul. Hag. 1421. Epi. l. 4. C. 7

Bilinæ Catholici cremantur.

Pontan. in Brixia.

Septem Moniales in Zaraz interfectæ.

diximus appellatam) dum advenirent *Pragenſes*, timore, qui in eum ſexum plurimùm poteſt, ex *Cœnobio* in proximas ſilvas profugerant; at brevì cùm nihil quo pellerent famem, invenirent, neque inopes conſilij expedire iter poſſent, *amore Martyrij incenſæ*, ùt loquitur *Pontanus*, mutuò ſeſe adhortantes, ad *Cœnobium*, velut columbulæ, ſeptem ex omnibus revolarunt. At hæretici re cognitâ, in *cœnobium* irruunt, illæ ad *Eccleſiam*, & ad *Beatiſſimæ Virginis Aram* confugiunt, ut fæliciùs ad *pedes JESU, & MARIÆ* advolutæ morerentur: hæretici hâc ipsâ pietate irritati, quasdam jacentes in precibus, capillis, contactu fœdiſſimo, ab humo levant, eásque adacto in præcordia ferro trucidant, alias genibus flexis mortem ſuam *Reginæ Virginum MARIÆ* commendantes, capite abſciſſo, frameis, natantes in ſangvine relinquunt. Narrat *Pontanus*, geminum in ea Virginum cæde contigiſſe miraculum; ac primùm quaſi ſacrilegio gravatam *Tellurem moviſſe, & intremuiſſe*; deinde *Signum DEI Matris avertiſſe vultum*, nè vel in ſtatua domeſticarum ſuarum cædem videret, in eadémque ſtatua *Puerum JESUM* quem ſinu geſtat *Mater*, velut etiam ipſum conterritum, ut hominum more loquar, digitum ori Materno inſeruiſſe;

Miracula quædam in earũ cæde.

Pont. l. cit.

Hoc monimenta docent, & teſtes Numinis aræ,

canit Pontanus, quod ipſum *Divæ Matris ſignum in Zaraz* vidiſſe me jam pridem, & in ſigno mirifico *JESUM, & MARIAM*, quamvìs cultu longè diverſo (hanc ùt *hominem*, illum ùt *Deum, & Hominem*) adorâſſe lætor, & glorior. Porrò *Zarazenſes Virgines* annis volventibus, ex horrore illo locorum, in *Urbem Brixiam* tranſtulêre Cœnobium, & ſecuriorem in Urbe ſolitudinem nactæ, DEO hodiéque ſerviunt, rerum humanarum prorſus immemores, cui ſacro Parthenoni à Confeſsionibus ſacris aliquo tempore fui, ex *Commotovienſi Societatis Collegio Brixiam* non ſemel devectus.

§. XCI.

Borenſe Cœnobium Virginum ad Horazdiovicium à Ziſka, Swietſenſe ad Bilinam Monialium S. Sepulchri, & aliud in Biela Eremitarum Sancti Auguſtini, à Pragenſibus excinduntur, & incenduntur.

1421.

M. S.

MAnuſcriptus Codex *Hiſtoriæ Bohemicæ* fidiſsimus narrat, cùm *Pragenſis Exercitus*, ùt modò narraveram, obſidione *Bilinæ*, *Brixiæ*, & excidijs vicinorum Cœnobiorum occuparetur, *Ziſskam* in *Bechinenſi Provincia Piccardorum, & Adamitarum* ſectam naſcentem funditus deleviſſe (quod unum operum ejus laude digniſsimum noſtri Scriptores agno-

ſcunt

ſcunt (mox in *Crucigeros Melitenſes*, qui *Strakonicium* ditione tenebant, arma vertiſſe, inde ſemel, iterúmq; virtute *Henrici de Novadomo Grandis Prioris Crucigerorum*, cum ignominia rejectum, ùt habet *Cochlæus*, minora oppida, & arces vicinas infeſtâſſe. Urebat illum poſt *Horazdiovicium* ſitum Virgineum Cœnobium in *Bor*, quod irritatus *Straconicenſi* repulsâ, capto oppido, & caſtro delevit, incendítque. *Virgines* in hoc Cœnobio habitâſſe conſtans, & à Majoribus tradita memoria eſt, at cujus inſtituti? nuſquam invenire potui, ſepulchra in Eccleſia inferiore *crucibus* ubique *Melitenſium* adjectis ſignata, oſtendunt *Crucigeros Virginum* illarum ſpiritualem curam habuiſſe; perluſtravi lapides omnes, monimenta omnia antiqua indagavi ſolicitè, nihil invenire certi potui; *Eccleſia* in vicino colliculo (ad quam *Cœnobium Virgineum* ſteterat) *Altare* habet Virginibus congruum; nihil enim aliud, quàm *Sanctarum Virginum* maximo numero circa *DEI Matrem*, & *Puerum JESUM* ſtantium ſigna parvula repræſentat: ſuſpicio oboritur (ſi modò mea conjectura potentiùs ſcripto aliquo vetere conprobari poſſet) *Melitenſium Ordinis* fuiſſe; neque obſtat *Crux*, & inſtitutum *militare*: nam & *Crucigeri milites S. Sepulchri* apud S. Jacobum in Svvietſy (**Schwatz** hodie Germani appellant) Moniales ſuas in *Bohemia* habuerunt, quod ipſis ſepulchris ad oculum, ut loqui ſolemus, demonſtraturum me promitto.

Cochl. lib. 5. hiſt. Huſſit.

Virgineum Melitenſiũ Cœnobiũ in Bor.

Hoc quoque *Cœnobium Svvietſenſe* (quod antè prætericram) locuples, Virginibus ſacris (ùt poſtea in *Zaraz* fecerunt) aut occiſis, aut in fugam actis, hoc eodem Anno delevêre *Pragenſes*, & flammis, ùt hodiéque ruinæ ipſæ ſatìs loquuntur, corrupêre.

Svietſenſe Cœnobiũ.

Die *S. Lucæ* ſacro ijdem miſſo Exercitu, *Michalovicij* (quem capitaliter oderant) Civitatem, & Arcem, *Bielam* nomine, obſeſſam cepêre, in eâque deprehenſos (quòd loco fiderent) *Religioſos Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ad Eccleſiam S. Wenceslai*, diverſis mortibus omnes crudeliſsimè peremerunt. Hæc omnia *Joannis Apoſtatæ Monachi* imperio geſta eſſe, omnes eorum temporum Scriptores fatentur, quem inſuper *Piccardorum* ſectæ deditum, iíſque, cùm apertè non poſſet, ex occulto, & velut poſt ſiparium faviſſe, ijdem *Manuſcripti Codices* multis argumentis oſtendunt; unde etiam *Piccardorum* ſpiritu inſtinctus, Catholicorum ſangvinem maximè ſitiebat. In *Octobri* hujus anni *Joannes Sadlo de Koſtelecz* innoxiè à *Monacho* damnatur ad mortem; rem geſtam ex *Theobaldo* narrabimus: *Joannes Præmonſtratenſis Pragæ* nimiùm ſeſe tractationi Reipublicæ imergens, quem oderat, hunc vitâ privabat, vel Civitate pellebat; id apertiſſimè declaravit mors ſtrenui Equitis *Joannis Sadlo de Koſtelecz*; hunc, ut exoſum Pragenſibus redderet, quòd Catholicus eſſet, accuſavit ad populum: *venenum, & peſtem Patriæ*, appellans, qui cùm Pragenſes adverſùs hoſtes Bohemici nominis *Brixiam* ducerent, nullam opem adferre voluiſſet, ac nuper in *Comitijs Kuttnen-*

Bielenſe itẽ deletur.

Hag. 1421.

Theob. in Huſſit. P. 1. C. 50. ex Germanico verti.

Equitis Catholici ob religionem cædes.

ſibus

Digitized by Google

orum ſcelera contegere, *octodecim*, totúmque adeò, ùt vocant, *Conventum Beatiſſimæ Virginis* (ità enim appellabant) exciſum eſſe tradit, cui etiam *Weleslavinus* ſubſcribit. Cùm olim per *Chrudimium* neceſſarium iter eſſet mihi, & Cœnobij, & pyræ, in qua perierant *Martyres*, locum, monſtrantibus civibus, honoravi. hæc 25. Aprilis geſta tradit *Theobaldus*, at certum eſt 28. Aprilis perpetrata; tum omnis ſacrorum apparatus ex illa *Beatiſſimæ Virginis Eccleſia*, Cimelia Templi, Calices, Monſtrantiæ, (ùt vocant) Sacerdotum ſacrificantium amictus pretioſi, & gem̃is collucentes, foras ad caſtra *Pragenſium & Taboritarum* ſunt transmiſſi.

§. LXXXIII.

Cædes Abbatis Woldemari cum ſuis, ex Ordine Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ac denique totius Cœnobij Raudnicenſis excidium ab hæreticis.

1421. 24. Apr. ZIſſca Taboritarum Ducis Sangvinolentus animus nihil aliud volvebat, quàm cædes & ſangvinem: quoties hoſtis armatus abeſſet, quærebat *Cœnobia*, raptisque ſecum, qui expeditiores erant latronibus, ubi minimè timebatur apparens, opprimebat incautos. 24. Aprilis repentè ad Pontem *Raudnicenſem* ſtetit: nihil erat, quod tranſitum prohibere poſſet: *Archiepiſcopus Conradus* hæreticis peramicus deſidebat in Arce, certatum officijs: *Ziſska* etſi vi agere poſſet, per pontem & Urbem tranſitum à *Conrado* petit; *Conradus* indulget, neque id modò, ſed ad *Ziſskam* demerendum cibum & potum Exercitui liberaliſſimè ſuppeditat. Curatis corporibus pontem ſuperant hæretici, *Raudnicium* tranſeunt; viſo Cœnobio contineri non potuerunt, curſu in *Cœnobium & Eccleſiam* elegantiſſimam, & prorſus baſilicam feruntur: *Abbas Woldemarus* occurrens, protinus ab hæreticis occiditur, tum alij complures Canonici, pauci ſubterraneis quibusdam cellis contecti vitam ſervarunt; *Cœnobio, & Eccleſiâ* ſpoliatis utrumque arſit; Latrones *Pragam* versùs abière. Deſcribit hanc cædem Codex M. S. Cœnobij *Raudnicenſis*, aítque rem geſtam An. 1421. altero poſt S. Georgij die. De *Woldemaro* in alio M. S. Codice Cœnobij hęc lego: *In hoc noſtro Raudnicenſi Cœnobio educatus, & Martyrio coronatus fuit Venerabilis Abbas Woldemarus Rhenanus, ob doctrinam eximiam, Vitæq́ integritatem, præſertim ſummum in Beatæ Virginus cultu ſtudium valde celebris.* hæc ibi. Nimirum tales eligit DEUS, quos Martyrij laureâ coronet, ut virtutibus inſtructi DEUM (ut S. Tereſia quodam loco ſcripſit) *DEUM habeant debitorem.*

Raudnicenſes Canonici Reg: Ord: S. Auguſt: perimuntur

De Woldemaro Abb:

§. LXXXIV.

Digitized by Google

§. LXXXIV.

Czaslaviæ Minorum Conventualium, Nymburgi Prædicatorum Conventus flammis, & ſuorum ſangvine delentur. Cuttenbergenſes Catholici, qui ſedes mutare ob Religionem volebant, contra datam fidem membris mutilati, pars cæſi ab hæreticis, repelluntur.

PEnè tantùm, non ampliùs, in *Narratione* erit, quantum *Titulus* præfert; rebus enim omnibus cum Religione mutatis, ſuccedente in eas ipſas Urbes hæreſi, & propè trium ſæculorum ſpatio regnante, nimirum monimenta omnia exciderunt: deleta eſſe Cœnobia *Czaslaviæ & Nymburgi*, id verò conſtat inter omnes, Manuſcripti Codices teſtantur, rudera Eccleſiarum, & Cœnobiorum pendentia hodiéque clamant, lapides altarium fracti, & parietes ſangvine perfuſi loquuntur. Sed de *Nymburgenſi Cœnobio*, quo illud tempore exciſum ſit, non æquè conſtat: longè tardiùs, & jam *Ziſkâ* extincto, *Nymburgum* eſſe captum certiſſimum puto; etſi illud excidium, alios Scriptores ſecutus, hoc loco & anno poſuerim.

1421.

FF. Minor. Czaslaviæ, Nymburgi Prædicatores perimũtur.

Kuttenbergæ quid geſtum ſit eo ipſo die, quo *Ziſka ad Chrudimium*, aut potiùs, ùt paulò antè ex M. S. Codice dixeram, Raudnicij verſabatur (niſi iſta per ejus Duces geſta eſſe dicamus) habet M. S. *Cives Kuttnenſes* cùm ea, quæ *Berаunæ, Brodæ, Kaurzimij, Kolini* geſta erant, accepiſſent, conterritos, Legatos ex ſuis honoratiſſimos Viros ad *Pragenſes* (qui *Taboritis* longè mitiores habebantur) miſiſſe, qui pacem orarent, revocarent in memoriam utriusq; Urbis ab antiquo tempore fœdera, unam fuiſſe *Pragæ, & Kuttnæ Civitatem*, univerſi Regni theſaurum argentifodinis contineri, proinde parcerent Urbi cognatæ, parcerent Regno, parcerent ſibi. *Theobaldus* ex *M. Laurentio* ait, cum Monſtrantia *Ven: Sacramenti* occurriſſe *Pragenſibus Kuttnenſes*, & genibus poſitis veniam orâſſe, & impetrâſſe, etiam illud, ut qui Catholicam Religionem mutare hæreſi nollent, uſquè ad *Aſſumptionis B. Virginis* diem, rebus ſuis venditis, vel convaſatis, innoxiè quò vellent, abirent. ità tum inter partes convênit; cui conventioni cùm fiderent *Catholici*, & plurimi Urbe excederent, *Pragenſium* ſatellites inſidijs collocatis quàm plurimos exceperunt, rebus omnibus exuerunt, manus nonnullis crudeliter amputârunt, alios naſis, alios auribus mutilatos ad ignominiam rurſus impulerunt in Urbem, nullâ fidei, quam dederant curâ, nullo pactorum fœderum reſpectu.

Epit hiſt. l. 4. C. 7. Theob. P. 1. C. 45. Hagek l. c.

Cuttenbergenſes Catholici pereunt.

Lupac. in Calend.

§. LXXXV.

Ziſska in vicinia Lichtemburgicæ Arcis Sacerdotes quàm plurimos occidit; Sedlecenſe Cœnobium Ciſtercienſium ditiſſimum, & frequentiſſimum, occiſis Religioſis omnibus inflammatur.

1421. Cædes multorum Sacerdotum.

ZIſska *Taboritarum Ductor*, cùm ſe à Pragenſibus ſeparâſſet, ſubitò *Taborium* ſeſe retraxit, & *Piccarditis* Taborij, pérq; eam viciniam delectis, celeriter reverſus, non procul *Jenikovviâ* ſub montibus, iterum *Pragenſium* copijs ſuas conjunxit; ad Caſtrum deinde *Lichtemburgum* progreſſus, arcis deditione factâ, *Chrudimium* cum ſuis pervenit. In hoc itinere maximam vim *Sacerdotum à Ziſska* trucidatos perijſſe, Eccleſias quàm plurimas inflamari, incendíq; juſſiſſe, tradit *Hagecius*; at *Sedlecij Cœnobij* venuſtiſſimi incendium, & cruentam Religioſorum omnium ſtragem, cujus etiam hæretici meminêre, ab eo omiſſam, quoties ejus Cœnobij in mentem venit, admirari ſatìs non poſſum. *Sedlecenſe Cœnobium* igitur, ſummâ celeritate uſi, nè quid prædæ elaberetur è manibus, *Taboritæ* cingunt, vias omnes occupant, tum ad prædas, & cædem Monachorum vertuntur: *quis cladem illius lucis, quis funera fando explicet?* quingentos Religioſos Viros *Sedlecij* DEO continuatis diu, noctúque horis laudes dixiſſe, & pro ſceleribus hominum DEI miſericordiam implorâſſe conſtat; quantus *Sedlecij* numerus occiſorum fuerit, nullibi, nè in hiſtoria quidem *Sedlecenſi* reperio; ſuſpenſos patibulis, aliiſque mortibus ſublatos *Euſtachius* tradit; *Zidek* vicinus eorum temporum *Carthuſianos* quoque, tam *Pragenſes*, quàm etiam *Podiebradienſes Sedlecium*, ùt ad locum ſecurum, recepiſſe ſeſe, eóſque omnes immaniter unà cum *Ciſtercienſibus* trucidatos ſcribit; an *Jacobus Abbas* evaſerit mortem tectus latebris (quæ in Cœnobio multæ fuiſſe feruntur, & quas *Henrici Abbatis* exemplo paratas habebat) nondum comperi. Necatis Religioſis omnibus faces Eccleſiæ *B. Virginis*, & Cœnobio ſunt ſubjectæ; conſtans omnium traditio eſt: *Ziſkâ* invito, *Eccleſiam & Cœnobium* arſiſſe, quòd magnitudini, venuſtati, & præſtantiſſimis ædificationibus parcere ſtatuiſſet, ideóque ut *Euſtachius*, *&* *Theobaldus* narrant, viſis flammis indoluiſſe, & confeſtim proclamari juſſiſſe, quaſi lætum incendio: *quisquis accendiſſet, veniret, præmium recepturus, quantum auri, & argenti ſatis in omnem vitam eſſet*; cùm ſacrilegus veniſſet, comprehenſum illico, eíque liquatum aurum, argentúmque in os infuſum, ut mortuus conciderit; ſimul cum ejus morte ſeveriſsimè vetitum, nè quis injuſſu *Ducis* flammas cuicunque ædificio ſupponeret. Ità nemo malus eſt, qui bonus aliquando eſſe, aut ſaltèm videri

M.S. Bartoſſek de Drabonicz.

Hagek ad A.1421.

A.1421. 28. Maij.

Sedlecenſe Cœnobiũ cum Religioſis excinditur.

Euſtach. in hiſt. Sedlecenſi.

Paul Zidek in Inſtr. ad Regem Georg. M.S.

Euſtach. ad A.1309.

non

non velit. Agit de hoc Cœnobij Sedlecenſis excidio Menologium Sacri Ord: Ciſtercienſis ad 28. Maij his ipſis verbis: *In Monaſterio Zedelitzenſi* (Sedlecenſi) *Paſſio Beatorum Monachorum Ciſtercienſium, qui ob fidei Catholicæ profeſſionem ab Huſſitis Martyrio affecti Coronam immortalitatis promeruerunt; quibus aſſociati ſunt Monachi Carthuſiani, qui à Noſtris hoſpitio charitativè excepti, eodem die, eodem loco, & eandem ob cauſſam Martyres evolarunt ad cælum. De illis Joannes Cochlæus, Aubertus Miræus, & Paulus Langius in Chronico Citizenſi A. D. 1421.* hæc Menologium Henriqvez. Carthuſiani in Sedlecenſi Cœnobio deprehenſi occiduntur.

§. LXXXVI.

Excidia Cœnobiorum in Chrudimenſi, Boleſlavienſi, & Reginohradecenſi Provincijs, cum innumeris Catholicorum, Sacerdotum, ac præcipuè Monachorum cædibus.

FUlminis in morem, ùt vidimus, in *Cœnobia* ferebantur hæretici: acuebat prædones ipſa hæreſis, quæ ſangvine libentiſsimè paſcitur, ſtimulabat prædarum ex Cœnobijs, ac Templis ditiſsimis infinita cupiditas, incendebant Victoriæ, & ſemel deguſtata ſangvinis dulcedo, velut de *Urſis* tradunt, magìs, ac magìs efferabat; hæc vulgus hæreticorum. 1421. At Duces non diu impunè ſe volitaturos cogitare poterant, adfore brevì in *Catholicorum* ſubſidium univerſam *Germaniam*, utendum eſſe tempore, fibras omnes Catholici ſangvinis excindendas ferro, præcipuè urbes omnes in partes ſuas metu, odio, aut quacunque ratione adjungendas, & trahendas ſtatuerant; accedebat, quòd nulla legitima ſtipendia militi repræſentare poterant, præter quæ prædando collegiſſent, ſciebant aſſvefaciendos eſſe ſangvini, & ſacrilegijs Suos, ut neque receptum ad veniam habere unquam poſſent, & cùm ex ſacris, & Eccleſiarum flammis prædas agerent, majoribus ſceleribus perpetratis, minora flagitia ducerent pro nihilo. Cædes iñumeræ Sacrorum Virorũ. Igitur *Nobilitate* adhuc intactâ, præterquam ſi quis opponeret ſeſe, in *Cœnobia* ſuos ire juſſerunt: explicari non poteſt, quantæ cædes his pauculis diebus in tanta hæreticorum omnia pervadentium celeritate, perpetratæ ſint. Ut priora, quæ jam commemoravi, præteream; Primo furentium impetu in uno *Chrudimenſi Diſtrictu* deletur *Conventus Prædicatorij Ordinis* in minori *Pardubicio* (w Pardubičkách) *Dobrovicij*, vel *Drobovicij Præmonſtratenſium*; *Podlazicenſe Benedictinorum* (in quo fugâ dilapſis fratribus cæteris, deprehenſum *Abbatem* cum alijs *duobus Religioſis Patribus*, in flammas injectum perijſſe, literæ *Picardorum* fatentur) in *Orlik ad Chocznam* dives Cœnobium *Crucigerorum S. Cyriaci* (de quibus alio in loco agemus) in *Arce Gezborzicenſi* (quod *Epiſt. Picardorum ſub Wladis. Rege Typis edita.*

Templariſs extinctis, pridem *Rhodijs Equitibus* ceſſerat) *Altomeitæ geminum Ordinis Minorum, Virorum* atque *Virginum* (quod *S. Ludovici* appellabatur) cum his *Altomeitani Cives*, qui portas claudere ſunt auſi, non pauci periêre; *Skalicenſe* iterum *Ciſtercienſium, ac Sezemicenſe* ejuſdem inſtituti Virginum. In hoc poſtremum *Ziſka cum Taboritis* nullo prohibente ingreſſus, attonitas, tam horrido ſpectaculo DEI ſponſas (nam ex ipſis *Taboritarum* vultibus ſpirabant tormenta) vinciri, & in profluentem, *tredecim* numero (nam forſitan pluribus, ut alibi quoque factum lego, defuit animus) abjici juſſit; bonâ fortunâ accidit, ut quibus id mandatum erat negotij in *Pragenſem* aciem incurrerent, qui, utpote civiliores, illas ſibi Virgines dari petierunt, datáſque *Reginohradecium* dimiſerunt incolumes, quæ innocuæ animulæ lacrymantes per viã, extra mundum ſe ire credebant, quòd ejicerentur ex clauſtro. Sed, & *Czaslavienſis Provincia* ingens tum à *Taboritis* in ſacris damnum accepit: *Wilemovienſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium* cum ſuis cultoribus, & omnibus memorijs deletum, & incenſum, aliud item *Michalovienſe* ejusdem Ordinis, & *Chotuſſienſe*, vel *Chotiecenſe S. Procopij* Ciſtercienſis Inſtituti, *Byſsovienſe* (quod, cujus Ordinis fuerit, ignoratur) aliáque complura. Eandem calamitem ſubiêre Cœnobia quædam in *Boleslavienſi, & Reginohradecenſi Provincia*, ùt *Benatek novum* (quanquam id antè à *Pragenſibus*, qui *Boleslaviam Veterem* tenebant, factum videatur) *Crucigerorum S. Cyriaci, Jablonenſe Virginum ex S. Dominici diſciplina* (nam poſtea Virginibus Viri ſucceſsêre) *Domum Rhodiorum Equitum* in juniore Boleslavia, ibidémque *Fratrum minorum Conventualium Cœnobium; Liſſa, & Profik*, & ſub Caſtro *Bezdiezy Canonicorum Regularium S. Auguſtini* (coloniæ Cœnobij Carolini Pragenſis) & aliud eorundem Canonicorum Cœnobium in *Saczka*, & aliud *Landſcronæ, in Zleby Noſocomium* opulentiſſimum à *Marquardo de Wartemberg* An. 1377. fundatum, cui *ſex Ciſtercienſes Monachi* cum *Præpoſito* ex Cœnobio *Gradicenſi* miſſi præerant; *Reginohradecij ad S. Joannem Baptiſtam Cœnobium Fratrum Minorum*, ibidem alia duo Cœnobia in ſuburbio *Ordinis Prædicatorum* Virorum, & fæminarum: illud ad *Eccleſiam B. Virginis*, hoc ad *S. Georgium* (quanquam *Reginohradecenſia Cœnobia*, non priùs, quàm *Ziſkâ* adveniente, & ſuburbanas domus inflammante deleta videantur) item *Præpoſitura Ordinis S. Benedicti in Baſſczin*; *Collegiata Eccleſia in Lipnicz à D. Wilhelmo de Landſtein* An. 1397. fundata, ubi Decanus cum ſex numero Canonicis ejecti; & *Domus Rhodiorum in Dub, Cœnobium Crucigerorum cum navicula Sancti Sepulchri ad Trutnovium* (quæ civitas armatâ manu capta eſt) *Bidzovienſe Ord: Minorum Conventualium; Zvvolenſe* ad *Jaromirium Ordinis Prædicatorum*, aliæque plurimæ Religioſæ ſacrorum hominum Sedes, in quibus omnibus, quantum ſit effuſum ſangvinis, expendat, quisquis hæreticorum in ſacra rabiem, & eorum temporum latro-

Enumerantur Cœnobia vaſtata & cum Incolis deleta hoc tẽpore.

M. S. varia Epi. l. 4. C. 7 Hag. 1421. Theob. in Huſſit. P. 1. C. 44. & 45. Dubr. l. 27.

Digitized by Google

latrocinia, & ſacrilegia in noſtris Annalibus legit. Hæc omnia Cœnobia per hoc iter *Brodenſe*, *Kuttnenſe*, *Chrudimenſe*, *&* *Jaromirienſe*, aut in reditu *Pragam* exciſa ſunt; Monachi, deprehenſi, ùt habet *Dubravius*, exuſti. *Dubr. l. cit.*

§. LXXXVII.

Jaromirium Reginæ Bohemiæ dotalis Civitas in Reginohradecenſi Provincia, datâ, & non ſervatâ ab hæreticis fide, Religionis cauſsâ, aquâ & igne deletur. Zwolenſes quatuor Ordinis Prædicatorum in Albim abjecti, merguntur.

PLacet *Joannis Dubravij* verbis Tragicum Jaromirenſis Urbis excidium explicare, adjectis, ſi quid ampliùs inveniatur, breviſſimis Notis: *A 1420. 14. Maij.* *certiores mox facti* (hæretici) *Jaromirium Oppidum diligentiſſimè tum à Bohemis, tum à Moravis, ſub* Præfecto *Moravo ex familia* Procerum *Bozkovicia, muniri, eò Exercitus ducunt, & mœnia ingenti, ac pertinaci impetu invadunt, quippe ab ortu Solis uſquè ad meridiem illum continuarunt, tantâ ſuorum occidione, ut* Pragenſium *plus minùs ſeptingenti, Taboritarum autem nongenti deſiderati fuerint. Minùs poſthac feroculi ad circumvallandum oppidum ſe dederunt, mox ad colloquium obſeſſos invitarunt,* Pragenſium *loquente* Præfecto, *futuram ſtatim obſidij ſolutionem, ſi quatuor capita agnoſcere voluerint. Nihil nobis, reſpondent, cum veſtris* Capitibus *errore plenis, nos unū Eccleſiæ Caput, ſicut unum Regem noſtrum agnoſcimus. Cæterùm ſi liceat Viris, mulieribúſque cum ipſis pueris incolumibus exire, & tantum cuilibet recularum ſuarum ſecum auferre, quantum dorſo geſtare queat, de* Civitate *ſe* Pragenſibus, *non autem Taboritis conceſſuros. Obſtringunt fidem, ità ſe facturos, ſed perfidi non faciunt. Nam ipſum* Præfectum *Pragam captivum deduci jubent, viros, mulieréſque etiam ipſis veſtibus deſpoliant, ac plures Virgines nudatas in flumine ſubmergunt.* Hæc in *Hiſtoria Bohemiæ Dubravius*; quæ non parum aliter in *Theobaldo*, *&* *Hagecio*, aliíſque MM. SS. codicibus narrata leguntur: inprimis MM. SS. codices non *Czernohorskium*, ſed *Czervenohorskium* Urbis Præfectum nominant, quod fuit agnomen familiæ *Berkianæ in Bohemia*, non *Bozkovicianæ* apud Moravos ſtirpis. *Taboritas* nongentos, & ſexdecim humum planxiſſe, ab *Jaromirenſibus* occiſos tradit *Hagecius*. Cùm urbe exirent Catholici, nihil moventibus *Pragenſibus*, *Taboritas* fœdifragos aggreſſos Civium turmas, primò *Senatum* (cùm ſe in hoc *Senatûs* dignitatem tueri velle cum amaro riſu profiterentur) deinde cæteros, ac tandem *nudatas Virgines* ex rupe (locus hodiéq; monſtratur) in *Albim* jeciſſe, & merſiſſe. Jam quod omiſit *Dubravius* ex modò citatis Scriptoribus eſt ſupplendum

Dubr. l. 26. hiſt. Boh.

Hæretici Jaromirenſibus fidem non ſervarunt.

Hagek ad 1421.

dum; alter dies (15. Maij) ſupplicijs *Sacerdotum* datus eſt totus: unum ſupra vicenos eduxerunt, pleroſque *Canonicos Regulares S. Auguſtini* ex Jaromirienſi Cœnobio, *tres* tormentorum metu victi (ùt habet *Theobaldus*) acceſſerunt hæreticis, reliqui duodeviginti exercitu hæreticorum utroque ſpectante, flammis pyrâ ingenti excitatâ, ſunt conſumti.

Canonici Regulares S. Auguſtini Jaromirij cōbuſti.

Zvvole pagus medio *Jaromirio* milliari ſitus, in quo *S. Dominici* Religioſa Familia Cœnobium, aut domicilium potiùs quoddam fixerat, *quinque* enim non ampliùs alebantur; ex his *quatuor* dum *Jaromirium* obſidetur & capitur, captos, & in *Albim* projectos à *Taboritis* narrat *Joannes Laicus* ejuſdem Ordinis, qui latebris tectus evaſit; cujus Chirographum Libro III. *Miſcellaneorum Cap. XI.* recitavi. Corrigendus ibidem Annus: non enim 1425. ſed 1421. geſta res eſt, licèt eam primùm A. 1425. *Joannes* deſcripſerit.

Demerſi IV ex Ord. Prædic. ex Cœnobio Zvolenſi.

§. LXXXVIII.

Tuſtenſes Cives hæretici Caſtra Herſtein, & Ryzemberg occupant, ibi ſeptemdecim Catholicos, hîc ſexdecim Viros nobiles exurunt; Conventuales domeſticos ſuos trucidant. Virgines Sacræ Parthenonis Georgiani ignominiosè acceptæ per fora Pragæ ducuntur, & cum alijs Sacris Virginibus, quarum numerus ad trecentas quinquaginta aſcenderat, in exilium deportantur.

1421.

Cùm Orientalia *Bohemiæ* loca Eccleſijs, ac Cœnobijs plurimis, nonnulliſque etiam Urbibus inflammatis, deſolarentur, *Occidentalem* quoque Bohemiæ partem Catholicorum cædibus hæreſis funeſtavit, octo diebus ante Pentecoſten *Tuſtenſes Hæretici* arcem munitiſſimam, in quam loci fiduciâ ſuas opes multi ex Nobilitate, & Sacerdotes ex Templis intulerant, *Herſtein* (ad *Ronsperg in Plſnenſi Provincia* ſitam) expugnant, in eáque *ſeptemdecim* Viros Catholicos, Religioſos pleroſque, ùt probabilis conjectura evincit, flammis enecant, deinde in deſcenſu montis, nobile *Cœnobium Pivvonkanum Eremitarum S. Auguſtini* incendunt.

Theob. in Huſſ. P. 1. C. 45. *Epit. l. cit.* Herſtein. Pivvonka.

Propè jam mihi exciderat alterum *Civium Tuſtenſium*, ſeu *Domazlicenſium* ſacrilegum facinus, niſi memoriam admonuiſſet *Calendarium hiſtoricum Procopij Lupacij Civis Tuſtenſis*, cujus hæc verba ſunt ad 18. Maij, An. 1421. *Domazlicenſes expugnatâ Rizembergâ* (caſtro munitiſſimo) *XVI. Clientes* (id eſt Nobiles) *veritatum Chriſti adverſarios* (vide hæretici hominis amentiam!) *combuſſerunt, Bohuslao Rizembergæ Domino Ssvvihovianæ gentis*

Ryzmberg.

ſoli

Digitized by Google

ſoli pepercerunt, eò quòd eſſet Reipublicæ Pragenſis jam antè captivus. En cædem, en cauſſam! ſed & *tertium* eorundem hæreticorum *Tuſtæ* facinus An. 1419. patratum in M. S. Codice reperio: excidium videlicet in Urbe ſua *Cœnobij Minorum Conventualium* multo cum ſangvine. erat id pro *Auguſtinianis* A. 1288. fundatum (ut dicam alibi) pòſt ad *S. Franciſci* Ordinem pervenit; hodie rurſus habitatur à ſuis.

Cœnobiũ Tuſtenſe FF. Minorũ *M S. f. 191. InCœnobijs*

Nec *Pragæ* quies Catholicis data; rudes puellæ, DEOque plenæ Virgines ex Cœnobijs extractæ tantùm non perierunt. In Junio Anni 1431. *Borzka*, ſeu *Urſula Czenkonis de Wartemberg Burgravij ſupremi ſoror Antiſtita Parthenonis Georgiani* ad Senaculum Antiquæ Urbis Pragenſis, ad profana ſubſellia ab Altaribus, ad opifices ſordidiſſimos Princeps fæmina, & *Principis titulo* ornata evocatur; quærit *Joannes Apoſtata Monachus*: velítne *Pragenſium Articulis* (quos ſcilicet hæreſis dictaverat) ſubſcribere? ità *Parthenoni* omnia tuta fore, & pacata; ſin recuſet, omnia malè illi eventura. *Borzka* in maximorum Procerum familia genita, animo præſenti conditionem paucisſimis verbis recuſat; ergo illi exilium in *pervigilium S. Joannis Baptiſtæ* decernunt; mittunt, qui deducerent ſatellites hæreſi corruptisſimos: *Borzkam* triginta ſacratæ Veſtales ſequebantur, per frequentisſima *parvæ Urbis* loca ducuntur, compita omnia vociſerationibus hæreticorum, & petulantisſimis ſcurrilibus, & impudicisſimis (quod Virginitati tormentum maximum) vocibus perſonabant; in P*onte* qui *magnam, & parvam* Pragam conjungit in ſum̃um venêre diſcrimen: erat quibusdam animus dare præcipites in *Muldavam*, reſtitêre prudentiores civium, rixa, ac propè jam pugna fuit, tandem pars ſanior, & mitior vicit: ad *S. Annam Virginum S. Dominici Cœnobium* adducunt: huc enim ex cæteris quoque Cœnobijs Virgines compulerant mitiores hæretici, numero ampliùs trecentas quinquaginta. Poſt varias conſultationes hæreticorum, generis claritudo (nam pleræque Procerum, & Nobilium nurus erant) mortis periculo innocuas animulas exemit; B*orzka* cum ſuis prima, ſed pecunijs, rebúsque omnibus ſpoliata, in exilium, deinde & cæteræ paulatim, nè furens plebs ſentiret, dimittuntur, quas procul Patriâ exulatum in alienas terras ad ſui inſtituti Sorores abijſſe, traditum eſt. *Hagecius à M. Laurentio* iterum deceptus B*orzkam* Articulis hæreticorum ſubſcribere voluiſſe narrat, ſed eum tum cæteri Scriptores, tum ipſum exilium, quod irrogatum eſt, luculentè refellit.

Hagek ad A. 1421.

Vide ſuperiùs quæ de Borzka ejusque conſtãtia memoravi §. LXXIII

Virgines ſacræ Pragâ in exilium deportantur.

§. LXXXIX.

Doxanenſe, & Teplicenſe Cœnobia, illud Præmonſtratenſis, hoc Benedictini Ordinis Virginum, tum deinde Oſſecenſe virorum Ciſtercienſis inſtituti, ferro & igni delentur.

1421. in Jul: JUlij Menſis initio *Joannes Apoſtata Monachus*, qui tum *Pragæ* omnia poterat, *Pragenſes* copias in *Zatecenſem*, *&* *Litomericenſem* Diſtrictus emittit: *Doxanenſe Cœnobium* Præmonſtratenſis Inſtituti Virginum opulentum inprimis, ac multis Regum, & Reginarum fundationibus locupletatum ante omnia invadunt ſacrilegi, ſpoliant, & cum Eccleſia incendunt. *Hagecius* diem Lunæ poſt *S. Procopium* nominat (id eſt, nî fallor, 7. Julij) quo die flammis *Doxanum* conciderit; eandem rabiem, quamvìs initio humanitatem præferrent, in alterum Cœnobium *Teplicenſe* Virginum S. Benedicti Pragenſes effuderunt; ac primùm Antiſtita Parthenonis leniri poſſe beneficijs ſperaverat, itaque velut Amicis Civitatem ſuam *Teplicenſem* pro poteſtate patêre, & portas aperiri juſſerat, deinde opiparè, lautéque tractari ſubmiſsis ex præſenti copia cibarijs; at apud improbos, & ſacrilegos fruſtra ex beneficio gratiam quæſieris; curatis, & ſatiatis corporibus, crudeles etiam animos incendijs, & ſupplicijs paſcere jam pridem cupiebant; impetu in *Cœnobium* facto, eductis priùs *Virginibus*, deprædantur omnia, & ad extremum clauſtrum inflammant, ac diruunt; improbiſſimus quisque abeuntes *Sacras Virgines* aſſecuti deſpoliant, ipſis veſtibus exuunt, & nudatas agunt in fugam, quasdam aquis præfocant.

Hagek. l. c. Epit. l. cit. Theob. P. 1. C. 49.

Doxanenſis & Teplicenſis Parthenones vaſtati.

Peſſina in Moravogr: l. 4. C. 4.

12. Julij, *Oſſecenſe Cœnobium* Ciſtercienſis Ordinis elegantiſſimis ædificijs, & magnifico Templo percelebre *Pragenſes* adoriuntur, ídque nullo defendente occupant. In tempore admoniti Religioſi evasêre cladem pleriq; & in proximas ſilvas, ac montes abdidêre ſeſe; at hæretici rabie in ſaxa converſâ, elatis rebus omnibus, quæ uſui eſſe poterant, *Eccleſiæ*, *&* *Cœnobio* auguſtiſſimo faces ſubjecêre. In his tribus *Cœnobijs*, quotquot deprehendere poterant Religioſos, qui aut Sacra apud *Virgines DEO devotas* procurabant, aut ægroti, aliâve cauſsâ retardati venêre in manus, vel igne, vel ferro peremerunt. *Chronicon Citizenſe*, Religioſi è familia *S. Benedicti* Scriptoris, diſſertiſſimè affirmat: An: 1421. cùm Hæretici *Bilinam* (quæ tum erat in ditione *Alberti de Colditz* Viri Catholici) obſiderent, *Cœnobium Oſſecanum* ab jisdem exuſtum, & *Monachos Ciſtercienſes*, qui ibidem DEO militabant, crudeliter occiſos. Idem affirmat diſertis verbis Menologium Ciſtercienſe Chryſoſtomi Henriquez: *Apud Bohemos*, inquit, *Paſſio Beatorum Martyrum Sanctæ Mariæ de Oſſek Ord. Ciſtercienſis*, *qui in confeſſione fidei conſtanter*

Oſſecenſe Ciſtercienſium Cœnobium incenſum.

f. 553.

Ciſtercienſes in Oſſecenſi crudeliter peremti.

ter

ter perſiſtentes ab Huſſitis immaniter interemti (An. 1429.) *cum palma Martyrij victores evolarunt in cœlum.* *Eorum Martyrium referunt* Paulus Langius. Cochlæus *l. 6. hiſt. Huſſitar.* *Aubertus Miræus l. 5. Originum Monaſticar. c. 15.* Obſervet Lector, diſcrepare *de Oſſecenſi Cœnobio* Scriptores: *Theobaldus*, aliíque evaſiſſe cœdem Religioſos, alij ſubiiſſe; alij Cœnobium 12. Julij An. 1421. alij 23. Sept. 1429. exciſum affirmant. conciliari utraque pars à Nobis poteſt: dicimus enim primo hæreticorum incurſu A. 1421. 12. Julij fugâ in vicinas ſilvas vitaſſe mortem: at cùm paulò pòſt rediiſſent, & damna illata, ut poterant, reparaſſent An. 1429. 23. Sept. inopino hoſtium hæreticorum impetu crudeliſſimè deturbatos è vita, ídque poſtremum ipſius *SS. Ordinis* authoritate firmatur, imò hodiéque locus *in Oſſecenſi Cœnobio* monſtratur, in quo *Beatorum illorum Martyrum* ſacra oſſa quieſcunt; ut de cæde illa dubitare ampliùs non liceat.

§. XC.

Bilinæ expugnatâ Arce, cruenta Catholicorum laniena. Ad Brixiam ſeptem Sacræ Virgines Ordinis S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia, crudeliſſimè ante Effigiem DEI Matris in Templo necantur.

INgentem *Catholicorum & Sacerdotum*, qui ſe *Bilinæ* clauſerant, ſtragem non modò Scriptores Noſtri, ſed hæretici etiam execrantur; obſeſſa primùm Civitas à *Pragenſibus*, cùm defendi non poſſe videretur, præſidiarij, & quidquid erat armatorum cum *Sacerdotibus*, qui confluxerant plurimi, ad *Arcem*, quæ Urbi imminet, reſugerunt; ſed quod arma efficere non poterant, confecit proditio. Arce *Pragenſes* potiuntur, trucidantur promiſcuè omnes *Catholici*, præſidium, *Nobilitas* plurima, *Sacerdotes* magno numero pyris exſtructis quaſi per otium (quò magìs odium Catholici nominis appareret) concremantur. Utinam ſingulatim à Scriptoribus hæc tractata haberemus! at illi velut in *titulis Triumphorum* captam *Bilinam*, & ingentem numerum eorum, quos diximus, peremtum, & exuſtum dicere contenti, reliqua omnia ſilentio tranſierunt. Vix quidquam ampliùs de crudeli cæde *Sacrarum Virginum Zaras* traditum accepimus: ſed magno authore nititur narratio *Georgio Bertholdo Pontano à Breitenberg, Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Præpoſito*: obſidebant Pragenſes hæretici *Brixiam Julio* Anni hujus, eam obſidionem à cæde DEO devotarum Virginum inchoarunt; erat *Cœnobium* Ordinis *S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia in pago Zaraz* ſub ipſa *Arce Brixienſi* (quam in Regni Conſtitutionibus vetuſtis *Landsvertam* pridem dixi-

1421. 7. Jul: Hag. 1421. Epi. l. 4. C. 7

Bilinæ Catholici cremantur.

Pontan. in Brixia.

Septem Moniales in Zaraz interfectæ.

ſcunt (mox in *Crucigeros Melitenſes*, qui *Strakonicium* ditione tenebant, arma vertiſſe, inde ſemel, iterúmq; virtute *Henrici de Novadomo Grandis Prioris* C*rucigerorum*, cum ignominia rejectum, ùt habet *Cochlæus*, minora oppida, & arces vicinas infeſtâſſe. Urebat illum poſt *Horazdiovicium* ſitum Virgineum Cœnobium in Bor, quod irritatus *Straconicenſi* repulsâ, capto oppido, & caſtro delevit, incendítque. *Virgines* in hoc Cœnobio habitâſſe conſtans, & à Majoribus tradita memoria eſt, at cujus inſtituti? nuſquam invenire potui, ſepulchra in Eccleſia inferiore *crucibus* ubique M*elitenſium* ad jectis ſignata, oſtendunt C*rucigeros Virginum* illarum ſpiritualem curam habuiſſe; perluſtravi lapides omnes, monimenta omnia antiqua indagavi ſolicitè, nihil invenire certi potui; *Eccleſia* in vicino colliculo (ad quam *Cœnobium Virgineum* ſteterat) *Altare* habet Virginibus congruum; nihil enim aliud, quàm *Sanctarum Virginum* maximo numero circa *D E I* M*atrem*, *&* P*uerum JESUM* ſtantium ſigna parvula repræſentat: ſuſpicio oboritur (ſi modò mea conjectura potentiùs ſcripto aliquo vetere conprobari poſſet) M*elitenſium* Ordi*nis* fuiſſe; neque obſtat C*rux*, & inſtitutum *militare*: nam & C*rucigeri milites S. Sepulchri* apud S. Jacobum in Svvietſy (Schwatz hodie Germani appellant) Moniales ſuas in B*ohemia* habuerunt, quod ipſis ſepulchris ad oculum, ut loqui ſolemus, demonſtraturum me promitto.

Cochl. lib.5. hiſt. Huſſit.

Virgineum Melitenſiũ Cœnobiũ in Bor.

Hoc quoque *Cœnobium Svvietſenſe* (quod antè præterieram) locuples, Virginibus ſacris (ùt poſtea in *Zaraz* fecerunt) aut occiſis, aut in fugam actis, hoc eodem Anno delevêre *Pragenſes*, & flammis, ùt hodiéque ruinæ ipſæ ſatìs loquuntur, corrupêre.

Svietſenſe Cœnobiũ.

Die *S. Lucæ* ſacro ijdem miſſo Exercitu, M*ichalovicij* (quem capitaliter oderant) Civitatem, & Arcem, B*ielam* nomine, obſeſſam cepêre, in eâque deprehenſos (quòd loco fiderent) *Religioſos Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ad Eccleſiam S. Wenceslai*, diverſis mortibus omnes crudeliſsimè peremerunt. Hæc omnia *Joannis Apoſtatæ Monachi* imperio geſta eſſe, omnes eorum temporum Scriptores fatentur, quem inſuper *Piccardorum* ſectæ deditum, iiſque, cùm apertè non poſſet, ex occulto, & velut poſt ſiparium faviſſe, ijdem *Manuſcripti Codices* multis argumentis oſtendunt; unde etiam *Piccardorum* ſpiritu inſtinctus, Catholicorum ſangvinem maximè ſitiebat. In O*ctobri* hujus anni *Joannes Sadlo de Koſtelecz* innoxiè à *Monacho* damnatur ad mortem; rem geſtam ex *Theobaldo* narrabimus: *Joannes Præmonſtratenſis Pragæ* nimiùm ſeſe tractationi Reipublicæ im̃ergens, quem oderat, hunc vitâ privabat, vel Civitate pellebat; id apertiſſimè declaravit mors ſtrenui Equitis *Joannis Sadlo de Koſtelecz*; hunc, ut exoſum Pragenſibus redderet, quòd Catholicus eſſet, accuſavit ad populum: *venenum*, *&* *peſtem Patriæ*, appellans, qui cùm Pragenſes adverſùs hoſtes Bohemici nominis *Brixiam* ducerent, nullam opem adferre voluiſſet, ac nuper in *Comitijs Kuttnenſibus*

Bielenſe itẽ deletur.

Hag. 1421.

Theob. in Huſſit. P. 1. C. 50. ex Germanico verti.

Equitis Catholici ob religionem cædes.

Digitized by Google

gentiùs libro eodem titulo ſcripto *ſenior Theobaldus.* Videtur porrò *Ziſ-ka* ſpuriâ quadam, ut ita loquar, pœnitentiâ ductus *Teutobrodam* iterum habitabilem reddere voluiſſe. Habeo in M.S. Codice meo *Ziſka* bohemicam Epiſtolam *Wilemovio* hoc An. 1422. die Jovis Sancto datam, in qua omnes armorum ſuorum per Bohemiam Socios *Teutobrodam* ad diem Mercurij poſt feſta Paſchalia invitat, inter alia, *ut ubi peccavimus*, inquit, *eodem in loco pœnitentiam agamus*; at profectò pœnitentia illa ſacrilegi Latronis, ut videbimus poſtea, nimium brevis fuit, quam nova ſacrilegia obruerunt.

Octavo poſt *Teutobrodam* exciſam die, *Tabores* victoriâ utendum rati *Sobieslaviam* petierunt. Facilitate Civium, ac fortaſſe quòd eadem cum *Taboritis* ſentirent, admiſſi, præſertim cùm jam tantum ſangvinis fudiſſent, clementiæ famam aliquam aucupari voluerunt, veniámque dederunt omnibus; at cùm in *Coronam Monachorum & Sacerdotum* (ùt habet *Theobaldus*) incidiſſent, nimirum crudeles & cruenti Latrones animis imperare non poterant ampliùs, unâque omnes protinus injecerunt in rogum. Sobieslavię occiſi Sacerdotes. *Theob. P. 1. C. 15.*

§. XCIII.

Oslovanenſe Virginum Ciſtercienſium Cœnobium in Moravia vaſtatur; in eadem Provincia Müglicium Civitas Epiſcopalis prorſus deletur.

REm ipſam, quam titulus promiſit, breviſſimè abſolvam: *Oslovan* pagus eſt ad *Evanczicium* (nam arx, quæ hodie eò loci viſitur, ex *Parthenonis* ruderibus ſurrexit) in quo *Ciſtercienſis familia* Religioſa ſacratas ſui Inſtituti Virgines habebat. Exſtant hodiéque veſtigia, *Sacellum*, *& Ædes*, ex quibus facilè ædificium *Parthenonis* agnoſcere poſſis. Spectris infeſtatur locus, ac ſæpe *Proceſſiones ad Eccleſiam Arcis* ducuntur nocte, ùt à fide dignis comperi, ordinatè, & cum cantu; curioſè in eo loco verſatus per dies aliquot, & noctes, nihil præter terrorem vidi, vel audivi. Sed ut redeam: *Oslovanenſes Virgines* quotquot deprehendi poterant, *Ziſka* in profluentem abjecit, ac merſit; ſinè dubio Religionis cauſsâ, quid enim aliud imbelli, & propè adhuc lacteæ ætati, *Virginibus* innocentiſſimis, DEO ſacratis, quæ neque mundum, neque ſeipſas, præter Religiones, & DEI obſequium noverant, objici pro crimine potuiſſet? 1423. Oslovany cædes Sacrarũ Virginũ. *Peſſi. in Moravogr. l. 4. C. 7.*

Jam verò cùm in *Bohemiam Reginohradecium* ad ſuos ex *Moravia Ziſka* rediret, ſubitò ad dextram converſo itinere, *Mohelnicium*, hodie *Müglicium Epiſcopi Joannis Ferrei Olomucenſis* Urbem, etſi frequentiſſimam populo, imbellem tamen, invalidam, & malè vallis, ac mœnibus firmatam primo impetu capit; nihil ibi Sanctum, nihil immeritum, & innocens eſſe credidit, *Epit hiſt. l. 4. C. 8.* Müglicij Catholici interficiuntur.

Digitized by Google

didit, Cives omnes, ac puberes interfecit; ſunt qui etiam infantes, ac puellas occiſas tradant; dum ante complures annos illac iter haberem, monſtravêre *Cives Sacrarium* in Eccleſia ingredientibus ad partem dextram, ubi trucidatos, pauci qui remanſerant, tumulaſſent; illud ſubtus *Sacrarium* plenum his oſsibus, ideóque protuberare à tumulis, & altius Eccleſiæ plano ſolum ejus eſſe narrabant; occiſis Civibus vacuam, & jam inutilem urbem crudeliſsimus *Latro* cum Templis incendit.

§. XCIV.

Ziſka Kozogedy Caſtro occupato Catholicos quadraginta trucidat; Autumno medio in Moravos ducit Exercitum, Quaſicij, Evancicij, & per viam Catholicos omnes flam̃is exurit.

In Kozoged Catholicorum cædes.

1423.

Ep. l. 4. C. 8. Theob. in Huſſit. P. 1. C. 54. Hagek ad A. 1423.

POſt Victoriam cruentam, quam *Ziſka* de Catholicis quibuſdam Proceribus ex *Provincia Reginohradecenſi* ſupra *Horžicium* ad *S. Gothardi Eccleſiam* An. 1423. paulò ante *S. Georgij* feſtum reportârat, ſeptimo pòſt die *Kožogedy* Caſtrum, quod ad *Czenkonem de Wartemberg* pertinuiſſe, probabilis eſt conjectura, obſedit, & ultimâ Aprilis occupavit. Dedebant ſe, ac ſua *Catholici* præſidiarij, at *Ziſka* efferatus deditic ios æquè, ac repugnantes, modò Catholici forent, ſinè diſcrimine trucidare jam ſtatuerat, itaque nullâ miſericordiâ, omnes *Catholici* numero quadraginta Religionis odio periêre.

Dubr. l. 26.

Et in arce Quaſicz.

Nondum *Moravis* omnibus *Ziſcæ* nomen innotuerat, quò properavit magìs in Autumno præſentis anni, ſeſe ſceleribus, & ſacrilegijs toti *Moraviæ* commendare. *Quaſicium* arx percelebris, prima *Ziſcæ* ſævitiam, & truculentiam in *Moravia* ſenſit: nam captâ arce, non ùt ſolebat, militares viros ferro ſuſtulit, ſed quaſi per otium, odio majore flammis (quod ſupplicium *Sacerdotibus*, *Monachis*, iíſque tantùm, quos *Catholicæ fidei* propagandæ ſtuduiſſe, & ardenter eam colere ſciebat, irrogabat) pyrâ exſtructâ præſidium totum ùnà cum Arcis Domino redegit in cineres.

Et Evanczicij.

Evanczicium Znoymenſis Provinciæ Civitas poſt hæc tempora Civibus ſuis cœlum auxit; adveniente enim *Ziſkâ*, vix armorum terrore oſtentato, *Cives*, quorum potior pars *Huſſitarum* jam infecta erroribus Romanæ Religioni nuncium remiſerat, hoſtes admiſerunt. Quàm ibi crudeliter in *Sacerdotes & Cives*, qui veterem Religionem Catholicam præſenti animo, contemtâ etiam morte, tuebantur, ſævitum! pars in vicino flumine demerſi, pars in flammas conjecti, pulchrâ morte pulcriores animas *Chriſto* reddiderunt. Notant hoc loco ex *Ænea Sylvio Crantžius*, *Cochlæus*, *Dubravius*, his

Æn. Silv. hiſt. Boh. C. 44. Peſſ. in Marte Morav. l. 4. C. 7.

Digitized by Google

his ultimis vitæ annis *Ziſkam* longè cruentiorem, & irritabilem magìs eſſe redditum, elatúmque victorijs inſolentiùs indies egiſſe, *Eccleſias* paſſim per *Bohemiam*, & *Moraviam* deleviſſe, ſi quæ reſtabant; Civitatibus gravia imperâſſe tributa, etiam ſupplices, & petentes pacem *Catholicos* trucidari crudeliter juſſiſſe, vicos, & villas ſinè diſcrimine incendiſſe, omnem ſexum, & liberos etiam parvulos eorum, quos ſibi adverſari ſuſpicaretur, occidiſſe. Id maximè *Pulkavvæ* in *Auſtria* patuit, ubi capto oppido, immani feritate, quidquid ibi viventium reperit, interfecit, idem *Stockeraviæ* (utrumque *Auſtriæ Oppidum* eſt) præſtitit, Urbe & Eccleſiâ, in quam ſeſe receperant nonnulli Civium, incenſis, omnibus mortalibus ferro, vel igne conſumtis. Ziſka uſq; in Auſtriā pertendit.

Crantzius (quanquam ille in *Huſſitarum* bellis, itineribus, & progreſſionibus vehementer, & frequenter hallucinatur, ùt cuique ejus *Vandaliam* legenti perſpicere licet) *Crantzius*, inquam, author eſt, *Ziſkam in Auſtria* graſſantem perveniſſe in conſpectum uſquè *Viennæ*, omnia igne, & ferro crudelem in modum fædâſſe, incendiſſe oppida, evertiſſe urbes, dejeciſſe Arces, Templa, & Monaſteria diruiſſe; poſtea de *Moravia* ſubjicit: *in ſola Moravia per hanc unam æſtatem, decem muratas Urbes ſubvertiſſe Taboritas.* Hæc *Crantzius.*

§. XCV.

Zdenko (alijs Brzenko) Czernin vetuſtiſſimæ apud Bohemos ſtirpis Eques à Taboritis odio Religionis crudeliſſimè necatur. Turnovij Conventus univerſus Prædicatorum à Ziſka deletur. Gilemnicij Cœnobium Virginum, & ſuper Albipolim Præpoſitura vaſtantur.

Nihil atrocius, ùt ſæpe dixi, *Bohemia* vidit præ bellis *Taboritarum*, quibus latrones illi ſæviſſimi Juſtitiam, Pacem, Religionem, ſi cœlo deſcendiſſent, cupijſſent occidere. Anno Chriſti 1424. 5. Martij, *Ziſka Exercitum Arnoviæ*, ſeu *Hoſtinnæ* admovit, virtute Civium aliquoties repulſus, tandem deſperatione abſceſſit; eo itinere caſtrum *Mlazovice*, cujus rudera nuper ſpectavi, aggreſſus cepit, atque in eo *Zdenkonem Czerninium* ex illuſtri proſapia Equitem (quem ipſum etiam *Rhodiæ Militiæ S. Joannis Equitem Commendatorem*, vel *Vicecommendatorem*, ùt vocant, fuiſſe non vanè ſuſpicatur *Crugerius*) comprehenſum, per otium, odio Religionis minutatim, ac in fruſta diſſecari præcepit; quam ille plusquam barbaram lanienam, pro fide Chriſti fortiſſimè toleravit, æternâ ſtirpis ſuæ gloriâ, & nunc omnium dolorum victor in cælo triumphat laureatus. 1424. Zdenkonis Czernini Martyrium. *Cruger. ad 5. Martij.*

X Tur-

Digitized by Google

Turnovienſes Religioſi cremantur.

Turnovium dein *Ziſka* ſumâ uſus celeritate ſubitò occupavit, & cùm multum ſangvinis Catholici feciſſet, ad *Cœnobium Ordinis Prædicatorum*, quos peſſimè ob defenſionem Catholicæ Religionis *Tabores* oderant, contendit, captóſque univerſos, datâ ùt ſemper ſolebat, optione, ſi ad partes hæreticorum tranſire vellent, cùm nihil moverentur, omnes in rogos præparatos injecit, & flammis delevit. Quot fuerint, quæ nomina, quæ extrema geſta, abolitis omnibus monimentis, dicere non poſſumus; mortem ipſorum, & illam *Czerninij*, *Catholicorum æquè, ac hæreticorum Annales* continent. *M.S. Cuttnenſe*, *M. Laurentius*, *Hagecius*, *Theobaldus*, *Crugerius*, aliíque.

Vide Epit. hiſt. lib. 4. C. 9.

Gilemnicenſe Cœnobium, & Præpoſitura Gradicenſium.

In Codice quodam M.S. invêni: *Ziſkam* hoc ipſo *Arnoviam* ſeu *Hoſtinnam* excurſu, *Gilemnicenſe Virginum Religioſarum Cœnobium* ad *S. Eliſabetham dictum*, tum etiam *Præpoſiti ſedem ſuper Albipolim* ſangvine & flam̃is deleviſſe, iſtúdque immane & ſacrilegum facinus hujus Anni Martio Menſe patratum, nihil tamen adjicitur, unde *Religioſus Parthenonus* illius *Ordo*, vel etiam *Præpoſiti ſacrum Inſtitutum* poſſit cognoſci; ſed in alijs Manuſcriptis Codicibus lego, Gilemnicenſe Cœnobium à Ciſtercienſibus adminiſtrari ſolitum, & Præpoſituram Langenavienſem (ita enim appellabant) ad Cœnobium Gradicenſe vel in Gredis (quod inter novam *Boleslaviam*, & *Turnovium* medio ſtetit in loco) pertinuiſſe, adeóque ex tot *Martyribus* (nam eos *Martyres* diſertè nominat in ſuo Menologio Henriquez) juſtiſſimam & veriſſimam gloriæ cauſſam *Ciſtercienſis ſacer Ordo* reportat.

§. XCVI.

Cœnobia quæcunque reliqua erant in Provincia Plsnenſi, Zatecenſi, Slanenſi, Eccleſiæ item quàm plurimæ incenduntur à Ziſka. Libochovicij pro Religione Sacerdotes exuruntur.

1424.

JAm pridem monui, in Religioſorum, & Sacerdotum cædibus recenſendis, *Hagecium* negligenter eſſe verſatum; id adeò vel ex hiſtoria præſentis Anni 1424. luculentè pateſcit; contentus enim dicere: *Ziſkam* adjunctis ſibi *Clatovienſibus*, *Zatecenſibus*, *Launenſibus*, & *Slanenſibus* vim maximam Eccleſiarum, & Cœnobiorum, quæcunque ſupererant, flammis aboleviſſe, nullum omnino, præter *Clatovienſia* duo Cœnobia, *Virorum & Virginum S. Dominici*, nominavit (ſed hæc jam antè occiſis Religioſis deſerta ſtabant) alia omnia omiſit. Arſêre igitur, (ut Parochiales pulcherrimas Eccleſias omittam: *Inſulanum S. Benignæ Cœnobium Ordinis Eremitarum S. Auguſtini*, tum alterum *Roczovienſe*, & tertium *Suſſicenſe* ejuſdem Inſtituti) *Mizen-*

Cœnobia quàm plurima cum Religioſis deleta.

Digitized by Google

Mizenſe Minorum Conventualium S. Franciſci, Carmelitanorum Tachoviæ, Launæ ad B. Virginem Prædicatorum, vetuſtiſſimum *S. Joannis in Inſula, S. Procopij Saʒavienſe*, ùt etiam ad *S. Ivvanum Skalenſe, & Tauſſkovienſe Benedictina*; *ad Cadanam in Strʒydce Sanctimonialium S. Mariæ Magdalenæ*, & aliud ejuſdem Ordinis ad *Launam*; *Ʒatecij Ordinis S. Benedicti, S. Gothardi ad Slanam Collegiata* (ùt vocant) *Eccleſia*, aliæque innumeræ; facilè ſuſpicari poſſum, hæc Cœnobia non omnia hoc anno, ſed quædam priùs exciſa, cùm tamen ruinæ *Cœnobiorum, & Eccleſiarum* rudera *Taboritarum* maleficium hodiéque demonſtrent, cúmque hoc anno *Ʒiſſka Cœnobia* in *Occidentali Bohemia* ſita, delenda ſibi ſumſerit, ſi quæ nondum conciderant flammis, credibile eſt hoc anno concidiſſe; certiſſimum & illud (quod Scriptores omnes teſtantur) *Sacerdotes, & Monachos*, ubicunque deprehendi potuerunt, crudeliſſimè, ac plerumque flammis necatos. *Prʒeſticium S. Benedicti* familiæ ad *Cladrubienſe Cœnobium* ſpectans oppidum, & *Præpoſitura de nomine*, honoris cauſsâ adducendum eſt; nam quod Religioſos, & Sacerdotes ad ſe revocâſſent, indignatus *Ʒiſſka* Viris, & Civibus pleriſque cum Sacerdotibus omnibus trucidatis, oppidum expilavit, magna ex parte diruit, & incendit.

Libochovicium Nicolai Haʒmburgici, acerrimi Eccleſiæ propugnatoris in *Litomericenſi Diſtrictu* ſitum oppidum, die *S. Georgij*, triumphalibus flammis Martyres illuſtrârunt: *Paulus Ribka, & Wenceslaus Paſſer Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Altariſtæ*; *Georgius Tobiaſſek* (M. S. Codex *Tibiſtam* appellat) *Joannes Wlcʒek, Strʒidnik de Wranyho Litomericenſes Sacerdotes*, tum Equites nobiliſſimi duo *Joannes de Miſſeno, & Hinek de Raczinoves* unius Religionis odio flammis conſumti; Sacerdos quidam *Henricus* nomine in campo extra urbem ferro peremtus; omnes conſtantiſſimè ad extremum uſquè ſpiritum Catholicam Eccleſiam profeſsi, ſangvinem, & vitam Religioni impenderúnt; poſt hæc omnia *Libochovicium* oppidum exciſum.

Libochovicij Sacerdotes cremantur.

§. XCVII.

Przibislavia capta, & incenſa; Hunnobrodæ Catholicus Populus interfectus cum toto Prædicatorum Conventu; Cœnobium Lucenſe dirutum; Horziniewſij & Holohlaviæ Catholici plurimi necati, idémque actum Chlumecij.

Ʒ*Iſſka* peſtilentiâ ictus, XI. Octobris An. 1424. in obſidione *Prʒibislaviæ* (quod oppidum, & caſtrum ad *Proceres* inclytæ familiæ *Ronovienſis* ſpectabat) extingvitur, neque tamen ab oppugnatione hæretici deſiêre, ſed capto priùs oppido, deinde & caſtro, complures ſacros Viros 1424.

Przibislaviæ deleti Catholici.

cum

Digitized by Google

cum ſexaginta præſidiarijs injecerunt in flammas, quòd ſe ritu ſolenni *Ziſcæ* juſta funebria velle perſolvere clamaret Exercitus.

Cœnobiū Lucenſe deletur.

Przibislaviæ poſt *Ziſcæ* mortem alij aliò, *Procopius major*, ſeu *Raſus cum Taboritis Moraviam* ingreſſus eſt; deleviſſe *Cœnobium Lucenſe* (quod hactenus firmo præſidio tenebatur) M.S. Codices affirmant; neque ſinè ſangvine Religioſorum expugnationem peragi potuiſſe, nimis quàm certum eſt, ſed tacent Annales.

Crug. in Pulver. ſacris ad 4. Aug. M.S. Hunnobrodenſe.

Hunnobrodenſes Martyres.

Georgius Crugerius Hiſtoriæ noſtræ peritiſsimus optimâ fide narrat, in veteri M.S. legiſſe ſe: *Przibislaviâ* captâ *Taboritas* quoſdam ab alijs factione diviſos in *Ungariæ* confinia irruiſſe, & crudelem in modum ferro & igne graſſatos eſſe, nominatim *Hunnobrodæ* ingentem *Catholicorum numerum in ore gladij*, ut ſacræ literæ loqui ſolent, occidiſſe; haud dubiè *laureâ Martyrij*, ut Crugerius loquitur, coronatos; ſed præcipua in *Cœnobio Ordinis Prædicatorum* laniena; varijs ac varijs mortibus è vita deturbati ſunt, néve ſola truculenta barbaries tam cruenta facinora deſignaſſe videretur, extremum Religionis contemtum addidêre *Latrones*, & *Sacerdotali amictu* induti, velut rabioſi Simij, Plateas obequitantes, ut alij alijs ridiculi fierent, *Catholicis* illuſêre.

Et Pulkavienſe.

Theob. in Huſſ. P. 1. C. 57.

Paulò antè *Pulkavienſe* quoque in *Auſtria Cœnobium* diruerant *Taboritæ*, in quo tamen jam ità, ùt erat, diruto, poſtea *Bohuslaum de Sſwamberg*, in *Recij* oppugnatione ſagittâ occiſum (ùt habet *Theobaldus*) tumulârunt; ejus tumulus *Pulkaviæ* oſtenditur, & ipſemet non ante multos annos cum execratione, mixto tamen dolore (quòd Vir nobiliſsimus, quódque certò conſtat, *Catholicus*, contra animi ſui conſcientiam *Taboritis* ſeſe junxerit) ſpectavi; ſunt, qui *Crumlovij* apud Moravos *Bohuslaum* eſſe ſepultum affirmant, errantes.

Epit. l. 4. C. 10.

In multis Urbibus Catholici interfecti.

Jam campum clauſerat hiems ſæviſsima, ipſique *Taboritarum Duces* diviſi, Urbibus etiam, oppidis, & arcibus, quas vivente *Ziſkâ* cœperant, ſeſe (ùt in Epitome narravimus) diviſêre. Principio Anni 1425. *Taboritæ* præcipui, quorum Ductor *Joannes Bzdinka*, & *Procopius Major* (quibus *Nymburgum* ſortitione obtigerat) *Horzinieſium*, & *Holohlawum*, utrumque locum ob fundationes (de quibus in *Libris Erectionum* dicemus) Sacerdotibus, & Altariſtis Catholicis refertiſsimum excidêre; *Holohlavij* ut ſibi ludos facerent, alligatum Sacerdotem, *Sowa* nomine, ex murali machina, ſingulari crudelitate ejecerunt in auras; eadem *Chlumecij*, quam ditionem tum *Bercæ Catholici Proceres* obtinebant, patrata crudelitas, ubi *Pauczka Sacerdos* ab *Hinkone de Kunſtadt*, rogo ad id parato combuſtus eſt

§. XCVIII.

§. XCVIII.

Georgius Rohowlad Parochus Nimburgenſis, & Sacellanus ejus, Clemens nomine, pro Chriſti fide combuſti.

ANno Chriſti 1425. *Taboritæ* gens ad excidium nata, cùm *Nymburgum* tenerent, odio SS. Religionis *Georgium Rohovvladum* loci Parochum unà cum Clerico *Clemente* in vas pice oblitum injecêre, quódque de *Extremæ Unctionis Sacramento* prædicâſſe conſtaret, *Oleum vehi* clamantes, in præurbium curru devectos incendêre. A morte fortium virorum, lux cæleſtis noctibus viſa, *Angelorum cantus* auditi, ægroti quàm plurimi locum adeuntes, & ex pulvere ſacro in rogi loco collecto medicinam ſibi facientes, momentò ſanati. *Nimburgenſes* hunc Virum pro *Sancto* ab omni memoria coluerunt, atque in *Martyrij* memoriam, *Portam Urbis*, ad quam paſſus eſt, *S. Georgij portam* hodiéque appellant. In pyræ loco nullum gramen, nihilque aliud virens creſcere ad ſua uſquè tempora teſtatur *Hagecius*; at quod de ſuo adjicit: *Georgium ſub utraque Evchariſtiam* Populo porrigere ſolitum, non ſubſiſtit, refellúntque Catholici Scriptores *Pontanus Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus, & Wilhelmus Slavvata Supremus Regni Bohemiæ Cancellarius;* nimirum *Hagecius* à M. *Laurentio* Utraquiſta deceptus hæc deſcripſit, qui laudem hanc etiam affectavit (ut aliàs monuiſſe memini) ut aliquos ſuæ Religionis *Martyres* haberet, ideóque ex Catholicis ubi ubi licuit aut potuit, *Hæreticos* fecit, quod nunquam animadvertit *Hagecius*. Porrò ab hac *Rohovvladi* cæde, quem ferunt ad concionem Populo ſæpius inculcare ſolitum, ut peccata ſua (præcipuè in morte) legitimo Sacerdoti cum dolore confiterentur, *Euchariſtiam* abſque deteſtatione ſcelerum indignè & cum novo ſcelere ſumi; morientes *Oleo Sancto* ungi oportere, aliáq; *Catholica dogmata, Taboritarũ Ductor* præcipuus, ac tum *Nymburgi* præſens, *Bzdinka* præconis voce prædicari juſsit: nemo ampliùs Sacerdoti quale quale crimen patraſſet, aperiret, ſed coram fratribus (ità ſe *Taboritæ*, jam ad *Picardos* deflectentes, vocabant) confiteretur peccata; recitat *Hagecius* hoc loco ridiculum, & inſaniæ pleniſsimum *Taboriticæ Confeſſionis* exemplum de *Beneſſio* quodam adultero; unde quò progreſsi ſint agnovêre tandem, rurſúsque *Præconem* vociferari juſſerunt: nullâ confeſsione, nec apertâ, nec illâ quam *auricularem* appellant, opus eſſe. Hæc eò adduxi, ut optima Religionis cauſſa, quæ *Rohovvlado* mortem attulerit, penitiùs intelligatur. Pontani verba ſunt: in loco Martyrij *lux noctu luxit, Angelorum cantus, infirmis reddita ſanitas eſt, & alia multa ab Incolis, & Taboritis ipſis fuerunt obſervata.*

Hag:in An: Boh. A.1425
Pont. L.1. Boh. Pia.
Slav:in A-pol. M. S.

Nimburgi porta S. Georgij.

Locis ante citatis.

Confeſſio Taboritica nulla.

Pont. L.1. Boh. Pia.

Digitized by Google

§. XCIX.

Litomiſslium Epiſcopalis Urbs, occupatur ab Orphanis, arce deinde captâ in Catholicos omnes promiſcuè ſævitum. Cœnobium Prædicatorum Switaviæ, & Carthuſia ad Litomiſslium delentur.

A. 1425. 9. Martij.

Borzek de Miletnik ſeu de Richemburg.

Litomiſſlium jam pridem occupârant *Pragenſes*, illúdque A. 1421. *Dionyſio Borzek de Miletnik* partium ſuarum ſtudioſiſsimo donârant. Erat *Boczek Baronum* è ſtirpe, qui primitus *de Pardubicz* (quòd eam Urbem ditione tenerent) appellabantur, & *Eqvum Album dimidiatum* gerebant in clypeo; ex ea ſtirpe olim prodijt ſanctiſsimus ille Præſul *Arneſtus Primus Archiepiſcopus Pragenſis*; ego nondum rebus ſatìs exploratis hunc *Dionyſium Dobalskiæ Stirpis Equitem* in *Epitome* feceram, méque alij quidam ſecuti idem ſcripſerunt, at dedidici errorem poſtea manifeſtis argumentis, quæ ſuo tempore, ac loco adducam; nunc ſatìs eſt dicere, *Joannem Hodiegovinum* præclariſsimis illis in *Hagecium Notis*, diſertè docere *Dionyſium Borzekum*, qui *Pragenſium Ductor* fuerit, cui *Litomiſſlium* donârint, *Cunieticij Arcis Dominum*, ex familia illuſtriſsima *Dominorum de Pardubitz* ortum eſſe, & de *Miletnik* appellatum. Hæc neceſſaria retractatio viſa eſt, jam ad narrationem veniamus: tenebat igitur Urbem *Dionyſius Borzek*; Arx tamen, ſeu Caſtrùm munitiſsimum ab *Joanne Olomucenſi* unà, & *Litomiſſlenſi Epiſcopo* tenebatur, qui præſidium ibi è *Catholicis* habebat, neque ità pridem novam, & validam ex ſtipendiarijs cohortem in caſtrum immiſerat, quò avidiùs *Orphani in Litomiſſlienſes* ferebantur, partim ut ſe de *Joanne*, qui multis eos in *Moravia* cladibus affecerat, ulciſcerentur, partim ut *Epiſcopalis Collegij* primores, qui ſe in caſtro cum plurimis Sacerdotibus clauſerant, denique *Catholicos* expugnarent. *Borzek* ſeptimo quàm oppugnari cœptus eſt die, Urbem dedidit, & cum ſuis omnibus diſceſsit; caſtri expugnatio multo Orphanis ſangvine conſtitit, jámque diebus quatuordecim fruſtra aſsiliebant; die *SS. Cyrilli, & Methodij* 9. Martij omni conniſu, & omnibus partibus furioſè, ac rabioſè, ſcandente toto *Orphanorum Exercitu*, licèt ſemel, iterúmque fortiter repulſo, tandem in poteſtatem hoſtium *Caſtrum* venit: nihil ibi deditionis mentio, nihil abjecta arma, nihil preces, nihil ætas, ſexus, dignitas valuêre, ſinè diſcrimine unà omnes etiam *milites*, utpote *Catholici*, & ex Epiſcopi Militia, quódque atrociùs, infantes, pueri, puellæq;, Religioſi, & Sacerdotes ferro conciſi perierunt. Paucis pòſt diebus *Svitavia* ſeſe dedidit, ubi *Monaſterium Ordinis Prædicatorum* expilatum; *Carthuſianorum* poſthæc *Eremus*,

Litomiſſlienſes Catholici internecione deleti.

Digitized by Google

mus, *Rubus Beatæ Virginis* dicta, ſub *Litomyſslio* ad *pagum Trzek*, funditus eſt exciſa.

§. C.

Slanæ Urbis ab Orphanis expugnatio cruentiſſima. Catholicoram Nobilium quædam Oppida, & Arces captæ, exciſæ, incenſæ.

NUllibi locorum anno præſente plus effuſſum eſſe Catholici ſangvinis, quàm, in duarum Urbium Bohemiæ *Litomiſslÿ*, *& Slanæ* excidio Scriptores noſtri conſentiunt; de priore jam diximus. *Slanam* die Jovis Sancto *Orphani* obſidione cinxerunt, Sabbatho advenêre *Taboritæ*, die Martis in *Paſchate Zatecenſes*, *& Launenſes* applicuêre, ità quatuor juſtis exercitibus, & quatuor partibus, velut coronâ, Civitas premi cæpit; tuebantur acriter, qui ſeſe intus clauſerant, præter Cives, ex *Nobilitate* quàm plurimi, ac præcipuè virtus Manipuli militaris, quem in ea Urbe nuper reliquerat inſignis bello Dux *Hinko de Waldſtein*, Cives verbo, & præſentibus exemplis confirmabant; ac ſanè jam per duodecim dies continuata obſidio, aſſultúsque omnes propè quotidiani fortitudine Civium fracti, tam hos ad ſpem victoriæ, quàm hoſtes ad deſperationem urbis capiendæ adduxerant, niſì interveniſſet *proditio hæreticorum quorundam Civium*, qui intus latebant; ità nocturno ſcelere *Slanâ* captâ, nilil crudelitatis omiſſum; cæſum præſidium *Hinkonis*, cæſi Cives; *Nobiles Viri*, qui ad Turrem campanariam confugerant, ſubjectis loco facibus cremati; *Prætor*, *Conſules*, ac præcipui Civium in Macellariam tabernam in fori medio ſtantem compacti itidem exuruntur; præcipuè duorum *Sacerdotum* cædem *Chriſtiani*, *& Wenceslai de Zvikovecz*, qui ſacrâ Eloquentiâ claruêre, lugent *Codices Manuſcripti*. Inter Nobiles eminebant *Joannes Srſſa* cocles, *Petrus Kamenecz de Holaus*, *Zdenko de Blahoticz*, *Witko de Kvvicz*, *Haramule*, aliique permulti; urbem ipſam poſtquam expoliâſſent, ſuper cadavera Civium ſuorum incendêre, diúque nihil præter parietinas *Slana* fuit. Satìs ſcio *Catholicis* immixtos in hac Urbe *Utraquiſtas*, ùt vocabant, plurimos fuiſſe; tum enim contra *Pragenſes* eorúmque fæderatos à *Taboritis* gerebatur bellum, tamen cùm etiam *Hæretici Scriptores* fateantur cum Catholicis ſuos quoque non paucos perijſſe, inde neceſſariò conficere poſſumus, majorem Catholicorum partem *Slanæ* ab hæreticis trucidatam. Perfecto uno ſcelere ad alia perpetranda profecti, *Catholicorum Arces*, & oppida potiſſimùm ſibi expugnanda ſumſerunt: Arcibus *Tocznik*, *& Zbiroh*, & caſtro *Raudnicenſi* necquicquam oppugnatis (quòd prima duo firmiſſimo *Catholicorum Procerum de Kolovvrat*, *Raudnicium* verò Archiepiſcopali præſidio tenerentur) oppida Catholica ſubjecta *Zebrakum*

1425.

Slanæ excidium.

Slanæ Catholici præcipuè cæſi.

MM.SS.

Digitized by Google

In Arcibus Catholici interfecti.

brakum, & *Horʒovicium*, & *Civitatem Raudnicium* incendêre; *Richmburgum Caſtrum* duplex, alterum Domini *Flaſſcæ de Pardubitʒ*, alterum quod *Knieʒninenſe* dicebant, tum *Opocʒnam*, *Hradek in Diſtrictu Reginohradecenſi*, *Michalovicium Caſtrum* propè *Boleslaviam* juniorem; in *Plſnenſi Ssvvihovium*, *Domini Wilhelmi de Skala Ssvvihovij*, poſt accerrimam quindecim dierum oppugnationem cœpêre, ac diruêre: plurimis ubique Catholicis, præſertim *Sacerdotibus*, ferro, flammâque deletis. In ditionibus, villis, ac pagis *Fratrum Kolovvratæorum*, *Hanuſsij*, & *Friderici*, maxima facta Catholicorum cædes, ut *Bartholomæus Eques de Drahonicʒ* in M.S. ſua hiſtoria (quæ apud me eſt) commemorat, ſcilicet irritati erant, quòd à *Kraſſovv*, & *Libſtein Arcibus* (illud ad *Hanuſſium*, hoc ad *Fridericum Libſteiniorum* originarium pertinebat) rejecti turpiter, fugientium inſtar diſcedere cogerentur.

§. CI.

Oborziſſtij Henricus Colman Vir nobilis cum alijs decem; Kwietnicij Procopius Trczka Eques ſplendidiſſimus Catholicæ Religionis odio cum ſuis omnibus crudeliſſimè necantur. Bellum, quod patibularium appellabant, inter hæreticos, & Catholicos geſtum hoc tempore.

1425.

Catholici cremati.

INter tot Catholicorum, quas dixi, cædes, ſingularem ſibi vendicat locum, *Henrici Colmani* mors pro fide Chriſti fortiſſimè tolerata: degebat is in caſtro ſuo *Oborʒiſſtie*, cùm ecce ſacrilegi *Taboritarum Duces Boguslaus de Ssvvamberg*, *Joannes Bʒdina*, *Joannes Zmrʒlik* junior, *Petrus Buʒko de Smolotel* cum ſuis repentè adveniunt; nulla nisì in armis ſpes, triduo Catholici ſummâ vi latronibus reſtitêre; ad conditiones deinde ventum eſt. Viri militares credebant militariter ſecum actum iri, ideóque gratiæ ſe Ducum permiſerunt; at quid à latronibus, qui unicam in mortibus, & cædibus voluptatem reponebant, ſperari potuit? ſtatim *Henricus Colman de Dorenſtein*, *natus verò in Krʒiklavva* (ùt loquitur Eques *Drahonicius*) indignè vinculis conſtringitur, conjunguntur alij Viri Equeſtri loco nati, *Ulricus Holeska*, *Sigiſmundus Steʒka de Sokolovicʒ*, & quidam **Czert**, aliíque ſeptem numero, ac rogo ingenti excitato, nullâ aliâ nisì Religionis cauſsâ, in *pervigilio SS. Corporis Chriſti* cremantur; cæteri *Petrus de Taʒovecʒ*, & alij quadraginta quinque milites præſidiarij abducuntur, arx denique ipſa inflammatur, & in rogum convertitur.

In M.S.

Treʒka Eques Catholicus interficitur.

Paulò antè circa Pentecoſten *Arx Kvvietnicenſis in Kaurʒimenſi Provincia ab Orphanis* occupatur; *Caſtri Dominus Procopius Treʒka de Lippy* co-

cles

cles Eques nobilitate generis, opibus, & dignitate illuſtris, quòd Catholicam Religionem ſectaretur, & ardenter promoveret, incenſus eſt, familiâ univerſâ trucidatâ. Habebant hoc ſolenne *Taboritæ*, ac *Orphani* (ùt exemplis plurimis probari poteſt) eos, quos Religionis Zelus, & pietas magìs commendabat, pyrâ, & rogis, alios verò Catholicos ferro, ùt hìc factum videmus tollere. Vehemens mihi ſemper ſuſpicio fuit, quam hoc loco communicabo cum lectore: hunc *Procopium* ab *Orphanis* concrematum, eum eſſe *Equitem*, quem tacito nomine *præfatione in hiſtoriam Bohemiæ ad Alfonſum Regem Arragonum* laudat *Sylvius*, qui *captus* ab *Huſſitis* (verba ipſa annumero) *admotus ignibus, pedes primùm, deinde tibias, mox genua, coxásque, poſtremò reliquas corporis partes exuri paſſus ſit potiùs, quàm illorum inſaniæ conſentiret.* Hæc *Silvius.*

Bellum patibularium hoc tempore inter Catholicos, & hæreticos exarſit; unde initium datum ſit, dicere non habeo; ſuſpenſis ex alterutra parte quibusdam militibus, pars altera à ſe captos, ut ulciſceretur, ſuſpendit, hoc iterum facinus velut non militare, ulti ſunt alij, ità univerſi quaſi lege quâdam indictâ quicunque caperentur *Catholici* ab hæreticis, *Hæretici* à Catholicis inſerto in collum laqueo ſuſpendebantur, quod *Bellum patibularium* (Bohemicè **Sſybeničnau Wognu**) appellabant; eam non ſatìs honeſtæ mortis rationem, anno ſequenti, an conventione aliquâ partium, an bello (quod contra *Germanos* ad *Auſtam Bohemi* geſsere) ceſsâſſe, & abolitam eſſe comperio; ſed hoc anno Manuſcripti Codices duo annotant: complures generoſiſsimos, & bello clariſſimos *Equites* pluribus in locis, & maximè in *Sedlczan* ſuſpendio necatos, præcipuè eos *Catholicos Equites*, qui ex *Woзicz & Wlaſſimio* contra *Taboritas* pugnabant; poſtea tamen *Caſtrum Woзicze* poſt diuturnam quinque hebdomadum obſidionem autumno hujus anni *Taboritæ* per conditiones ceperunt. De Bello patibulario

§. CII.

Ozelka Petrovicenſis Parochus Religionis cauſsâ Gratij in Bohemia exuritur; quædam aliæ Catholicorum in Bohemia cædes.

Bellum hoc anno 1425. *Meinhardo de Novadomo* cum *Taboritis* fuit; narrat *Roſenſis hiſtoria Manuſcripta*, cum in ditiones quasdam *Roſenſium Taboritæ* prædatum excurriſſent *Joanne Bzdina Duce*, **Nowy Dwory** (*Gracium*, vel **Gratzen** hodie appellant) occupâſſe; captum deinde, & exuſtum eſſe *Gracium*, *&* *Sacerdotem Catholicum*, *Ozelkam* nomine *Petrovicenſem* in vicinia illa *Parochum* in manus hęreticorum deveniſſe, eúmque ſtatim in piceum vas injectum, & incenſum, vitam Religioni impendiſ- 1425. Cædes Ozelcæ Parochi.

ſe, *Cives Gracenſes* pleroſque ferro deletos. Ego hiſtoriam in dubium revocare non poſſum, præſertim cùm Civium traditione firmetur; at de tempore controverti poteſt: conſtat pacem *Roſenſes* inter, & *Taboritas* pactis hoc ipſo anno firmatam, adeóque credibile non eſt pace integrâ tantam hoſtilitatem in ditione *Roſenſium à Taboritis* admiſſam, præſertim, cùm tradant Scriptores *Ulrico* medium ſe offerente inter *Meinhardum*, *&* *Taboritas* pacem coaluiſſe; libenter igitur annis pòſt decem *Gracij* occupationem, & *Ozelcæ Martyrium* ponerem, ſed obſtat iterum: quòd hæc ab *Joanne Bzdina Taboritarum Duce* geſta dicantur, quem omnium Scriptorum fide ſcimus hoc anno in expugnatione *Woziczij* telo vulneratum paulò pòſt exſpirâſſe. priùs igitur, cùm bellum contra *Roſenſem Taboritæ* gererent, perpetratum à *Taboritis* eſt ſcelus. Porrò hoc anno multum *Catholici* ſangvinis effuſum eſt obſeſſo, & occupato *Kamenicio ad Novamdomum*, & ad *Poczatek* oppidum, quod tamen *Taboritæ* fruſtra oppugnavêre, tum in prælio ad *Kamenicium* propè piſcinam ex eo dictam Kalich / ſeu *Calix*; tum in quotidianis, & ſemper ab utraque parte cruentis velitationibus; ſed quia cædes iſtæ inter pugnantes factæ ſunt, omittuntur: mihi enim propoſitum non fuit hoc loco, prælia, ſed *Martyria* recenſere, & irrogatas *Catholicis* non in acie, ſed quaſi per otium, aut per tormenta cædes, quantum ex ipſorum hoſtium confeſſione & libris, & chartis Manuſcriptis cognoſci potuit, annotare; ob eandem cauſſam & atrox prælium ad *Auſtam*, & aliud ad *Tachoviam*, multis Catholicorum millibus cadentibus, prætereo; qui bella legere velit, noſtram *Epitomen* conſulat, alióſque *Bohemicæ Hiſtoriæ* Scriptores.

Catholici cæduntur.

§. CIII.

Catholicorum Arces, & Oppida in Litomericenſi Provincia expugnata. Duchczóvium, vel Dux ad Teplicium, Civibus trucidatis, tota flammis concidit.

A. 1426.

ANte decretorium ad *Auſtam* prælium 16. Julij An. 1426. hæreticos inter, & Catholicos commiſſum, *Pragenſium*, *Taboritarum*, *Orphanorum Exercitibus* diverſis itineribus ad *Auſtam* Urbem obſidendam (quæ firmiſſimo Germanorum præſidio tenebatur) properantibus, villæ, arces, caſtella, oppidáque plurima, viæ, montes, ac ſilvæ *Catholicorum* ſangvine rubuerunt. 1. Maij *Lippa Civitas* capta, & incenſa, Catholico præſidio toto, & potiſſimâ parte civium deletis. *Bielam Joannes Rohacius de Dube* occupavit, omnéſque puberes interfecit; capta quoque (vel potiùs, quòd munita non eſſent, occupata) ſunt ab hæreticis Catholicorum oppida,

Lipa, Biela captæ.

Hoſka

Hoſka Archiepiſcopalis, *Trebnicium Virginum S. Georgij*, *Arx Strzekovv*, Cœnobium *Svvietecenſe* iteratò, aliáque plura. *Procopius Raſus*, ſeu *Major*, T*eplicium*, *Duxovium*, *Krupnámque* cum caſtro cepit, quæ Urbeculæ omnes, oppida item quæ enumeravimus omnia, quòd Catholicis Dominis parêrent, quódque Catholicè crederent, & viverent, funeribus Civium, & oppidanorum ſunt fœdata: *Duxovium* internecinâ cæde concidit, ùt ex *Krantzio Cochlæus* commemorat: *Huſſitarum manus* inquit, *obſedit Duxam oppidum. Id veritus Fridericus Marchio, urbem ùt poterat, communivit, valido impoſito præſidio, quantum defenſioni ſatis eſſe putaret. Armavit & foris ſex millia ſuorum, quæ ex opportunis locis in obſidentes incurrerent. Urbs acriter impugnata, aliquandiu fortiter eſt defenſa. Ubi autem Urbis Præfectus cum præſidio eſt noctu egreſſus, ut hoſtes invaderet, quidam ex civibus hæreticis favens, clam muro delapſus, hoſtes admonet, fortiter oppugnarent, abeſſe præſidium. Illi ergo acriùs inſtantes, ac ſinè intermiſſione oppugnantes, miſeros cives ità fatigarunt, ut ampliùs propugnare non poſſent. Hoſtes itaque muro, & inde urbe potiti, ſævierunt ſinè exemplo in omnem ætatem, in utrumque ſexum, in omnem ordinem. Multi ex civibus Eccleſiam in caſtelli modum communire tentabant, ut inde ſe ſuós que defenderent; hæretici autem ſupervenientes injecto igne, omnem illam multitudinem incendio conſumsêre. Atque ità miſerabili ſtrage peractâ, facta eſt ea Urbs civium ſuorum commune ſepulchrum; ità ab alto diſſimulante Domino, ut per occultam juſtitiam aut purget ſcoriam peccati, aut excipiat abundantiùs in cætu Sanctorum Martyrum vaſa gloriæ.* hæc ad verbum *Krantzius*. Narrat deinde *Miſnenſe* præſidium in hoſtes prædâ onuſtos ex inſidijs erupiſſe, ac tria circiter *Huſſitarum* millia peremiſſe, multò tamen minùs damni rependiſſe, quàm acceperant. Ex quo manifeſtè *Krantzius* oſtendit, longè plura, quàm tria hominum millia *Duxovij* ab hæreticis occiſa; neque id mirum videatur, cùm in omnes etiam in infantes, & imbellem ſexum T*aboritæ* ſævierint, quos fidei cauſsâ profudiſſe innocentem ſangvinem, nemo niſi ſuperſtitiosè timidus, negaverit. Porrò nè quid diſſimulem, non ſatis de cædis hujus tempore inter Scriptores convenit: *Krantzius* poſt cladem *Pragenſium ad Brixiam*, quæ A. 1421. accepta eſt, *Duxovienſes* peremtos ſignificat, ac nî fallor (quod legenti patet) malè *Brixiam à Catholicis* oppugnatam, & de hæreticis captam docet, cùm contrà *Brixiam à Catholicis* egregiè defenſam, rejectis hoſtibus hæreticis dicere debuiſſet. *Cochlæus* Annum 1424. nominavit, quo *Duxovium* cum civibus omnibus ſit exciſum. *Peſſina in Marte Moravico* & ipſe in Annum 1421. inclinat; Ego, qui in T*heobaldo* legam An. 1426. circa initium Junij expugnatum à *Procopio Raſo Duxovium*, conſtétque ex Manuſcriptis tam crudeliter exciſum, & incenſum, ut diu habitatore caruerit, vix credo tam brevi ſpatio civibus impletum, ut ſtatim quinto pòſt anno inhabitari, oppugnari, de-

Crantz. in Vandalia l. 11. C. 6. Cochl. lib. 5. hiſt. Huſſit.

Duxovium proditione captum & deletum.

Controverſia de tempore.

Peſſ. in Marte Morav. l. 4.

Digitized by Google

defendi, & à *Procopio* iterum expugnari potuerit; ſed perinde nunc quidem habeo, quando id acciderit, cùm de re conſtet. Excidij ſui diem celebrant ſupplicatione ſolenni *Duxovienſes Catholici* hodiéque, eùmque peragunt *Viſitationis Beatiſſimæ Virginis feſto die*; probabile eſt hac in re ſervire illos tempori, & cùm de die non conſtet ſatis, hunc diem elegiſſe, quo, niſi fallor, etiam Nundinæ celebrantur.

§. CIV.

Auſta Bohemiæ Civitas ad internecionem ab hæreticis deletur; quædam de Prælio Auſtenſi.

A. 1426. NOn eſt hîc prælij *Auſtenſis* deſcribendi locus, in quo, ſupputato etiam *Auſtenſium* cęſorum numero quinquaginta Catholicorum millia tam in prælio 16. Junij, quàm in fuga, & poſt victoriam in caſtro Schreckenſtein / & Gejerſperg cecidiſſe narrantur; ſi id incredibile videatur timido Lectori, *Hagecium* ſequatur, aut *Silvium*, quorum prior duodecim millia, alter novem millia in *acie cæſa* ſcripſerunt. Ad duo germanica milliaria fugientes inſecuti, qui vicerant, grandem edidêre ſtragem, multóque eâ, quæ in acie contigit, majorem. Orabant veniam victi abjectis armis, genu flexo ſupplices; nihil impetravêre ab irato victore conciſi; quidam, cùm ſe in Schreckenſtein arcem, alij in Gajerſperg recepiſſent, per proditionem circumventi perierunt. Mirabile viſum ex *Cochlæo* recitabo; unde facilè apparet, quàm ſit pretioſa in conſpectu Domini mors eorum, qui pro Religione, vel pugnantes, occumbunt; nam cùm is complures ex illuſtribus Germaniæ familijs in *Auſtenſi* prælio deſideratos narrâſſet, ſubdit: *ferunt ex una familia Nobilium de Kokeritz cecidiſſe ſupra 65. Viros, quorum unus uxori ſuæ puerperæ apparens, & lecto aſſidens, eam rogâſſe fertur, ut agricolis ſibi ſubditis non eſſet tot angarijs aut ſervitutibus (ùt ipſe fuerat) moleſta, modiúmque daret juſtiorem: Ob eas enim res iniquas, ipſe fuiſſet damnatus DEI Judicio, niſi pugnâſſet contra hæreticos.* hæc *Cochlæus*. Quo exemplo ſatis intelligitur, damnationi cauſſam ſibi, ut ità dicam, manufacere, qui ſubditos, & ſuæ glebæ adſcriptitios, immiſericorditer novis ſervitutibus inventis opprimunt; deinde & illud: mortem pro fide Chriſti vel armis quæſitam, militibus Chriſtianis cælum aperire. Sed ad id, quod propoſueram, venio: Poſt Victoriam hæretici nullo jam reſiſtere auſo, *Auſtam*, quam nuper obſederant, apertis portis ingrediuntur; quidquid erat hominum, trucidant, extremâ barbarie etiam infantibus, & omni fæminarum ætate ferro deletâ, ſpoliatam Urbem incendunt, nullo ex incolis ſuperſtite, quòd vel ferro, vel flammâ neceſſariò perijſſent. Conſtat triennio toto *Auſtam* deſertam, & cultoribus vacuam ſtetiſſe, tum primùm *Jacobus Wrzeſovecius Bilinæ Dominus*, invi-

Coch in hiſt Huſſ. l. 5.

Auſtenſes internecione deleti.

Digitized by Google

invitatis quoſcunque habere potuit novis Civibus, mœnibus utcunque reparatis, ſpeciem quandam Urbis reſtituit, & Catholicorum loco, qui Religionis cauſsâ perierant, *Hæreticos* impoſuit. De hoc *Auſtæ* excidio agunt hiſtorici noſtri omnes, *Silvius*, *Cochlæus*, *Hagek*, *Dubravius*, *Theobaldus*, omniáque Veterum manuſcripta. Nemo hoc loco nominari ſibi Martyres poſtulet, unum omnibus nomen eſt *Omnes*, omnis ſexus, omnis ætas Auſtenſis, Religioni vitam impendit; aliquos tamen bonâ fortunâ in Epiſtolis *Joannis Decani Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis* nominatos invêni: *M. Wenceslaum de Praga*, *&* *Mathiam de Biela Canonicos Pragenſis Eccleſiæ*, tum *Peregrinum Vicarium* ejusdem Eccleſiæ qui cum *Paulo Canonico* Mielnicenſi, & *Paulo Plebano* in Wyſoka, & (ut diſertè adjicit *Joannes Decanus*) cum alijs multis Sacerdotibus, & Clericis, vel ferro conciſi, vel flam̃is conſumti ſunt.

Coch. l. c. Hag: in An: Boh. A 1426 Theob. in Huſſit. Dubr: l. 27. Æn. Silv. hiſt. Boh. C. 44.

Nomina quædam occiſorum.

M.S. Epiſt Joannis Decani ad Ian konem de Duba. ex Oibin 1426 26. Julij.

§. CV.

Wartæ in Sileſia duo Beatiſſimæ Virginis Templa ab hæreticis incenduntur; Camencenſe Cœnobium Ciſtercienſium excinditur. Quædam Martyrum nomina.

DE *Wartenſi Diva* hoc loco, etſi maximè cuperem, nihil poſſum dicere, quòd ejus hiſtoriam diligenter elucubratam pridem An. 1655. pu- 1427.
blicârim, quæ inter manus verſatur: Stabant *Wartæ* celſiſſimi operis Templa duo *Parochiale* alterum, alterum quod appellabant *Bohemicum* (Pietati ſcilicet peregrinorum Bohemorum alendæ conditum) utrumque hæretici flammis corruperunt, ſed *Camencij Ciſtercienſium Cœnobio* crudelior ab ijsdem tempeſtas incubuit: *Baſilica Camencij* viſitur admirandi operis (ùt in hiſtoria *Wartenſi* deſcripſi) neque huic rabies *Taboritarum* pepercit, Templo ſubjecêre ignes; eóque ipſo tempore quidam Cœnobij Religioſus, qui ſub tecto Eccleſiæ latebat, extractus ab *Huſſitis* ex media Templi teſtudine dejectus in Eccleſiam, cervicibus eliſis Religioni vitam impendit. In libro mortuorum, quem *Camencij* aſſervant, hæc leguntur: *An. 1427. intravêre perfidi Huſſitæ in Sileſiam, devaſtantes per combuſtionem ignis Civitates, & Monaſteria, villas annihilantes, captivantes, mortificantes homines maximè Religioſos, de quorum numero ſunt occiſi ab ipſis Fratres noſtri, videlicet Frater N. Kappiz Plebanus in Byczovv, Frater Joannes quondam Camerarius, Frater Wenceslaus Cuſtos cum uno famulo; & Fratrem Jacobum Rogeler ceperunt in caſtro dicto Homole, qui obijt in vinculis ibidem. Item Fratrem Scheller Plebanum in Henrichsvvaldt, hunc horribiliter percuſſerunt uſquè ad mortem.* ità manuſcriptum. Neque contenti *Huſſitæ* ſemel expugnâſſe *Camencium*,

Multæ cædes Catholicorum in Sileſia.

Diva Wartenſis l. 1. C. 5. §. 4.

M. S.

Cladius. atque (ùt ille minabatur) *incendium ruinâ, & ſangvine bonorum extinxiſſe*, nequa ſcintilla avitæ Pietatis lateret in cinere, quæ deinde ſe efferret, ſæpius è *Bohemia* rediêre flammis, & ſangvine graſſantes, idq; conjici poteſt ex propinquiſſimo *Henrichovienſi* ejuſdem inſtituti Cœnobio, quod (ùt in Templi auguſtiſſimi veſtibulo hodiéque legimus) *Huſſitæ* ſepties igne, ferróque vaſtârunt.

§. CVI.

Taboritæ, & Orphani Moraviam ingreſſi, & uſquè in Ungariam Poſonium penetrantes plurimùm Catholici ſangvinis profundunt. Luſatia, & Sileſia vaſtatur: oppida Catholica quædam internecione delentur, nec venia data pueris in literario ludo ſedentibus. Lubanenſium Martyrum cædes.

1427. *Bartoſſ. de Drahonicz M. S.* PRocopius (*Magnus* cognomento) malarum partium ſtrenuiſſimus Dux cum *Taboritis* ſuis, adjuncto etiam Exercitu *Orphanorum*, *Moraviæ* partem, eam præcipuè, quæ *Ungaris* confinis eſt, An. 1427. ſcelere, & furore in Catholicos amens intravit; quantum ibi Catholici, & innocentis ſangvinis profuſum ſit, non ex annalibus (qui brevi titulo *cæſos Catholicos* promiſcuè omnes, in quos apud *Moravos Orphani, & Tabores* incurriſſent, annotârunt) ſed ex hoſtium perpetua conſvetudine, & inexplebili *Loca plurima Catholicorũ ſangvine cruentantur.* Catholici ſangvinis ſiti ſatìs intelligitur: *Napagedla, Malenovicium, Zlina, Broda ad Ungariam* ſita Civitas, tum omnis illa villarum, pagorum, oppidorúmque vicinitas, ſangvine ſuorum decolor, ad extremum flammis concidit; *nihil Taboritas Morava fluvius*, nihil munita loca, & arces, quas à tergo relinquebant, nihil *Ungarici Regni* potentia, avidos prædarum, & ſangvinis morabantur; non enim obtinere, ſed vaſtare & urere Provincias, præcipuéque Sacerdotes, & Catholicos Viros, ipſáſque adeò virtutes occidere ſi poſſent, cogitabant. Tranſito *Moravâ*, cæteríſque, quæ obſtare poterant, ſummâ celeritate ſuperatis, *Poſonium* uſque penetrant, & cùm Urbem, & arcem non poſſent, *Suburbium* incendunt; vaſtant, & occidunt omnia, tam celeri, & fulmineo gradu volantes, ut coloni ſimul mortem vulneribus reciperent, ſimul hæreticos hoſtes agnoſcerent. Omnis illa feraciſſima *Moraviæ, & Hungariæ plaga ad ſiniſtram Danubij ripam*, quæ inter *Poſonium, Dievinam*, & inde uſquè *Cremſirium Moravorum* latè porrigitur, ſangvine, & incendijs fœdata eſt, cladíſque tantæ memoriam diutiſſimè conſervavit. At hæretici velut glorioſo patrato facinore, conſcientiâ malorum læti, præ-

dis

Digitized by Google

dis, & omni genere mortalium bonorum aucti, & grave agmen trahentes, ad collaterones, & collatrones ſuos in *Bohemiam* redierunt.

Weleſ: ad 19 Maij. Curæus in Ann: Sileſ: Epit. l. 4. C. 10.

Crantz. in Vandal. l. 11 C. 9. Cochl. lib. 6.

In Sileſia & Luſatia Catholicorum cædes.

Goldberg.

In Marte Morav.

Lubanæ cæſi Catholici

Paulò pòſt vere adhuc tepente, prædarum, & ſangvinis dulcedo *Orebitas* quoque, & *Orphanos* in *Sileſiam*, & *Luſatiam* extraxit: *Goldberga*, *Hainovia*, *Lubena*, *Lignicenſis Ducatûs Oppida* exciſa ſunt funditus; Cives, viri, fœminæ, Sacerdotes necati, adeò & *Abecedarij* pueri in Scholis Tabellas ſuas cretæ loco, innocenti ſangvine depinxerunt, villæ omnes arſerunt, vulgus omne ruri interfectum. Hæc ab ijs *Orphanis* geſta, qui domi remanſerant; at potior pars, quæ, ùt paulò antè narraveram, per *Moravos* in *Ungariam* uſquè, & *Auſtriam* cum *Taboritis* penetrârant, captâ modicâ quiete, *Luſatiam* ſibi petendam delegerunt: *Luba*, vel *Lubana* poſt *Gerlicium* acriter 12. Maij à *Procopijs* cœpit oppugnari, quintóque pòſt die capta eſt: *Clerus* (verba Krantzij apud Cochlæum recito) *cum reliquo populo in Eccleſiam confugientes, laudes DEO concinunt, & Beatæ MARIÆ DEI Genitricis opem implorant, Salve Regina ſonoris vocibus decantant, ut in confeſſione orthodoxæ Fidei morerentur. Mox igitur adſunt cruentis gladijs hæretici, raptóſque ex ulnis Matrum parvulos diſſecant medios, Sacerdotes confodiunt, anus obruunt, Virgines adultas, & juniores fœminas ad libidinem reſervant, nulli parcunt ordini, ſexui, vel ætati, Templa fuſo ſangvine profanant, cadaveribus replent, ac ſuppoſito igne incendunt, Monaſteria ſubvertunt, Monachos trucidant, Moniales conſtuprant, Urbem denique totam ferro, & igne devaſtant. Hoc ibi edito crudelitatis exemplo è Luſatia pergunt in Sileſiam, ubi urbem quæ aureus mons dicitur, conſimili ſtrage, ac ſævitiâ deperdunt. Inde in* Moravi*am converſi, unâ illâ æſtate decem muratas Urbes ſubverterunt. Non ſufficit lingva, nec calamus, crudelis Huſſitarum populi ſævitiam explicare. Parvulos cum matribus unà perimunt, omnem Pietatem abijciunt, omnem humanitatem exuunt, Chriſtum obliviſcuntur, cunctis infidelibus immaniores, imò beſtijs omnibus ferocitate incomparabiles.* Hæc Crantzius, ſed ſinè ordine temporum; conſtat enim non omnia, quæ attulit, uno anno, ſed quædam 1427. quædam ſequenti, à ſceleratis latronibus eſſe patrata, ùt mox dicemus. Porrò *Lubæ in Luſatia* complures etiam è *Bohemis* perijſſe, Viros dignitate, virtutibus, & ſcientijs magnos invenio, qui illuc exulatum abierant; *Peſſinam* audiamus: *Multi tum Sacerdotes, qui Lubam ex vicinis locis, aliqui etiam ex Bohemia confugerant, miſerabili, ſed pulcra pro Chriſto, & Catholica Religione morte trucidati ſunt. Inter alios erant Canonicus* Metropolitanæ *Pragenſis Eccleſiæ* M. *Joannes de Launa, & duo Altariſtæ: Andreas de Jablonna, & Procopius, atque unus è Vicarijs &c.* Marcus Ssobka *Lubenſis* Parochus, qui è loco ſuperiore ad ferendam pro Chriſto mortem fortitér illo ipſo periculi articulo cohortabatur (quod hæretici ferre non poterant) Templo inter manus elatus equis quatuor ſecundùm manus, & pedes alligatus, in quatuor partes

tes

tes crudeliſſimè diſcerptus eſt. Illa certè dies memorabilis, tot Martyribus, ùt *Divus* Maximus loquitur, *ſangvine laureatis* coronam immortalitatis impoſuit. *Luſatiæ* parte *Sileſijs* conterminâ vaſtatâ, in *Sileſiam* Procopij duo (ille *Taboritarum*, hic Or*phanorum Ductor*) cum ſuis commigrârunt, magnâ iterum Catholicorum editâ cæde.

§. CVII.

Quædam Arces ex Catholicis captæ, & dirutæ, per agros paſſim cæſi Catholici. Tachovia Bohemiæ Civitas Catholica deleta, præcipuè Coenobium Carmelitarum.

1427. INgrata, & otioſa prorſus ſinè cædibus, & ſangvine vita *Taboritis*, *Orebitis*, *&* Orphanis eſſe videbatur; itaque ex *Sileſia* reverſi, velut per ludum eodem Anno in C*atholicos* quoſdam Proceres conſurgunt. Oderant peſſimè jam ab ipſo *Jaromirij* excidio C*zervvenohorskium* (is erat *Hinko Aderſpach* ex ramo ità dicto *Berkarum*) ejus igitur caſtrum C*zervvenohoram* diu obſeſſam expugnant, & diruunt; *Zleby* quoque caſtrum *Haſskonis de Dietenitz* captum, & incenſum eſt; quæ caſtra licèt ſinè ſangvine, & per colloquia occupârint, in viciniam tamen, & ditiones eorum Catholicas ferro, & igne ſunt graſſati; ac plura ſinè dubio in eo *Bohemiæ* tractu perpetrâſſent, niſi in auxilium à *Pragenſibus* evocati in Occidentalem *Bohemiam* bellum propere transportâſſent. Immiſerat in *Bohemiam Martinus V. Pontifex* cum C*ardinali Vintonienſi* Cruce ſignatorum Exercitus, qui triparti tò, tribúſque vijs *Bohemiam* ingreſſi, *Miſam* obſidione cinxerunt; advenientibus hæreticis C*atholici* panico quodam terrore correpti, fugam arripiunt; victima potiùs fuit, quàm pugna; decem millia *Fidelium* humum planxiſſe Scriptores conſentiunt; ſed hæc ab inſtituto meo aliena omitto; legantur *Silvius*, *Dubravius*, *Cochlæus*, *Theobaldus*, *Hagek*, *Drahonicius* meus, aliíque. Pulſis cruce ſignatis *Tachovia Civitas Catholica* obſeſſa ab hæreticis, ſtrenuè à *Bohemis Catholicis* defenſa, decimo ſexto primùm obſidionis die 11. Auguſti tandem capitur: præcipui è *Bohemis* defenſores nominantur *Camrovecz Eques* nobiliſsimus, & belli peritiſsimus (Equeſtris familiæ de C*amberg*, quos adhuc noſtrâ memoriâ ad *Kuttenbergam* perſtantes novi) W*ilhelmus de Ssvihovv*, *&* H*enricus* C*zerninius*. hi duo poſtremi arcis deditione factâ inter captivos numerati ſunt; *Camrovecz* cum ſua quinquaginta virorum fortiſſimâ cohorte, & quidquid hominum arma geſſit, (*Hagek* adultos omnes interfectos ſcribit) hoc uno nomine, quòd C*atholici* forent, trucidati perierunt. *Tachovienſe* C*œnobium* C*armelitani Ordinis* ante omnia cum omnibus Religioſis

Drahonicius M. S.

Civitates & Arces Catholicorum exciſæ.

Carmelitani Tachoviæ necati. *M. S. f. 247*

Digitized by Google

gioſis Viris properârunt excindere Taboritæ, & cùm nondum furorem exſatiâſſent, *Eccleſiæ, & Cœnobio* injecêre flammas, quod ſatìs hodiéque pendentia rudera teſtantur. Objiciet de *Tachovia* quiſpiam: ſi armati ſoli & adultiores interemti ſunt, non videri etiam armatos & adultos cauſsâ Religionis cecidiſſe. Quaſi verò ipſa Tyrannis modum & finem aliquem ſibi non imponat! quoties in *SS. Martyrum actis* legimus, in pari cauſſa Fidei, hos ad mortem damnatos, alijs vitæ gratiam à Tyrannis & Prætoribus factam eſſe!

§. CVIII.

Cædes plurimæ Catholicorum in Sileſia. Franckſteinij poſt Glacium Nicolaus, Joannes, Andreas, ex Ordine Prædicatorum odio Sanctiſſimæ Religionis necati.

ANnus 1428. iterum *Sileſiam*, ac *Luſatiam* maximis affecit cladibus, *Taboritæ, & Orphani* facto à *Warta* initio in Principatum *Münſterbergenſem* irrumpunt, eóque crudeliſſimè pervaſtato in *Svidnicenſem*, tum in *Jaurovienſem, & Lignicenſem*, tandem in *Wratislavienſem* vertuntur. Furias emiſſas Orco crederes, ità in omnes ſævierunt, nullum omiſſum eſt barbaræ crudelitatis exemplum. Captæ Civitates, & Oppida: **Reichenſtein** (Bohemis **Rychba**/vel **Rychleby**) *Franckſteina, Niems*, (**Niemcy**) *StrZela* (**Střelina**) *Briga* (**Břeh**) *Striga, Liſſa, Parchvvicium, PacZkovia* (**Pačkow**) aliáque minora; Urbes majores ſuis ſeſe vallis, ac mœnibus ægerrimè contexêre. Quidquid Religioſorum Virorum in Cœnobijs, aut vijs occurrit, inter manus hoſtium, ferro non tam perfoſſum, aut ſectum, quàm certatim laceratum, & laniatum; *Canonici Regulares S. Auguſtini Arroaſienſes* ad *Sobotkam*, ſeu **Zottenberg**/ an mortem evaſerint, non ſatìs conſtat; **Zottenberg** Caſtrum occupatum; eadem ſtrages *Griſſovienſe*, & iterum *Camencenſe, & Henrichovienſe* involvit, monimentorũ defectu nomina edere non poſſumus: *Franckenſteinij* quoque invicti ex *Ordine Prædicatorum* Heroës obliterati laterent, niſi una in *Templo* columna loqueretur, hiſce pauculis lineolis notata: *Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo, ipſo* (hic eſt hiatus, ſubſtituíque poteſt, ſancto Veneris die) *in Paſſione crematus eſt Frater Nicolaus Cur* (rurſus hiatus) *Supprior hujus Conventûs, homo Sanctiſſimæ vitæ in introitu Cœmiterij ab Huſſiticis, eò quòd apertè prædicâſſet contra ſectam ipſorum. Eodem die occiderunt Fratrem Joannem Budam eâdem de cauſſa concidentes in fruſta, & alium Fratrem Andream Cantoris Diaconum occiderunt per ſagittam foris valvam Wratislavienſem. tunc enim devaſtârunt multas Civitates, & pro majori parte totam Sileſiam.* Hactenus

1428.

Civitates Sileſiæ & Luſatiæ vaſtatæ.

Catholici & Religioſi occiduntur

Crug ponit Sabbato ante Dominicam Paſſionis 20. Martij.

Digitized by Google

ctenus Columna Franckſteinenſis; monſtrantur hodiéque in eadem *Prædi-torum Eccleſia* decenter arculis concluſæ (ùt SS. Martyrum ſolent) eorum Reliquiæ, quas pro eo, ac decuit, cùm An. 1654. *Franckſteinium* acceſſiſſem, ſum veneratus. Porrò veriſimillimum eſt hunc *Nicolaum* eum ipſum eſſe, cujus mortem (etſi neque loco ſuo, neque tempore) *Crantzius*, & ex eo *Cochlæus* deſcribunt, quorum verba, quia cædis cauſſam, & quod inde ſequitur, Martyrium ſatìs oſtendunt, operæ pretium erit adducere: *Huſſitæ quaſi eſſent in perniciem hominum nati, rurſus eduxerunt Exercitum in Sileſiam, & in ea quinque non contemnendas Urbes vi ceperunt ſinè diſcrimine omnem ætatem, ſexum, & ordinem mactantes, Templa, & Monaſteria abſque ullo divinæ Religionis reſpectu ſubvertentes, nemini parcentes, ſangvini, ac prædæ inhiantes. Qui etiam in ſceleratiſſimis Sacrilegijs Eccleſiarum, & mortibus hominum immaniſſimo riſu, & joco ludebant. Nam in maximam Chriſti Domini, & DEI noſtri, omniúmque Sanctorum ejus contumeliam, coacervatis undique eorum imaginibus, & in pyram collectis, alligatum quendam Suppriorem Ordinis Prædicatorum ſuperpoſuerunt, ac igne ſuppoſito illum ſimul cum univerſis imaginibus concremaverunt, Tragicum exercentes ludum crudeli cum riſu.* hactenus Crantzius apud Cochlæum. Fælix profectò pyra, & triumphalis mors tot inter *Chriſti*, & *Sanctorum* lucentes imagines, ut haberet *Martyr*, quod imitaretur in morte, ultróque ſeipſum *Chriſto* addiceret victimam, & holocauſtum.

Crantz. in Vandalia l. xi. C. 17. Cochl. lib. 6. hiſt. Huſſit. ad A. 1429.

Franckenſteinenſes Martyres.

§. CIX.

Novocellenſe Ciſtercienſium Cœnobium in Luſatia Regni Bohemiæ Provincia, crudeliſſimè ab hæreticis cum omnibus Religioſis deletur.

1428. 9. Febr.

TOt Catholicis Urbibus, & oppidis exciſis, tot ſacris, & Religioſis Viris trucidatis, tanto facto ſangvine, penè jam in *Bohemia* (paucis Urbibus, & Arcibus exceptis) nihil erat, quod vinceretur; itaque *Huſſitæ* humani ſangvinis, præcipuè *Sacerdotalis*, helluones, prædarum inſuper deſiderio, in vicinas latè Provincias exiêre. Volumen juſtum confici poſſet, ſi ea, quæ Anno 1428. & ſequentibus ſacrilegè, & cruentè in Eccleſijs, Cœnobijs, denique locis omnibus perpetrârant, commemorare vellem, neque tamen centeſimam ſacrilegiorum, & cædium partem complecterer; ſatìs eſt dicere: *Miſniam*, *Saxoniam*, *Luſatiam*, Marchiam, *Voitlandiam*, *Sileſiam*, *Moraviam*, aliquam etiam *Bavariæ*, *Auſtriæ*, *Franconiæ* partem ab illis latrocinando peragratas, eáque omnia in ſacros Viros, & Catholicos, in omnem ætatem, ac ſexum exempla crudelitatis edita, quæ paulò antè in *Bohemia*

per-

Digitized by Google

perpetrâſſe narravi. Vix credi poteſt, multóque minùs explicari extrema illa hæreticorum barbaries; legantur, qui *bella Huſſitica* tractârunt *Krantzius*, *Cochlæus*, *Theobaldus*, *Hagek*, *Peſſina*, & *Codices* manuſcripti; hæc, quia in *Bohemia* geſta non ſunt, velut aliena ab inſtituto tranſilio, *Neocellenſes* tamen Martyres, quia in *Luſatia*, quæ inter *Regni Bohemiæ Provincias* eo tempore cenſebatur, paſſi ſunt, præterire non poſſum; ratio temporis in controverſia eſt, alijs Annum cædis 1427. alijs ſequentem, aut 1429. ponentibus: *Novocellenſe* igitur *Ciſtercienſium Cœnobium*, cùm velut indagine cinxiſſent, Divinis laudibus canendis occupatos Religioſos nacti, velut in ſummo ſcelere deprehenſos (ô incredibilem hæreſos cæcitatem!) pro ſe quisque, ùt valebant ingenio, milites, ſibi ad ſupplicium dari poſcebant; varijs mortibus *Martyres* periêre; plerosque manibus, certísque membris, quæ pudor vetat dicere, cum ſannis, & riſu amaro reciſis, inter vitam, & mortem jacentes reliquêre, dum putredini vulnerum mors optata ſuccederet. *Menologium Ciſtercienſe* cædis hujus meminit hiſce verbis: *In Sileſia* (Luſatia legendum eſt) *Paſſio Beatorum Monachorum, qui in Cœnobio de Novacella Ciſtercienſium inſtitutum amplexi, inibi piiſſimam vitam inſtituerunt, & tandem laborum ſuorum præmium obtenturi, pretioſâ in conſpectu Domini morte agoni præſentis vitæ terminum impoſuerunt. Nam ab Huſſitis hæreticis crudeliter interemti ſuo ſangvine Catholicæ Fidei veritatem viriliter comprobârunt. Factum id eſt An. 1427.* (ſequens annus ab alijs nominatur) *de his tractat Paulus Langius in Chronico Citizenſi; Aubertus Miræus l. 5. Orig. Monaſt. c. 15. Item Joannes Cochlæus l. 6. hiſtor. Huſſit.* Conſimili crudelitate exciſum eſt eo tempore *Riſſenſe Cœnobium*, ipſæque *Urbes Miſnicæ* non paucæ conciderunt, plerisque Catholicis per extremam barbariem trucidatis: *Cotzbrodæ*, *Strelæ*, *Belgræ*, *Veterodresdæ*, *Lomacij*, *Mogellæ*, *Dobellæ*, *Dolæ*, *Oſchucij*, *in Smolim*, *Grimmitij*, *Werdæ*, *Reichenbachij*, *Auerbachij*, *Olſniciæ*, *denique in Luſatia*, & *Voitlandia* univerſa, *Aldeburgum* ad *Pleiſſam* ſita Urbs nobilis illud calamitoſum inſuper habuit, quòd in Cœnobijs tribus, & in *Domo Rhodienſium*, omnibus flagitiorum, & turpidinum generibus toleratis ſangvine utriusque ſexûs *Religioſorum*, quos diverſis cruciatibus, & mortibus *Taboritæ* ſuſtulerant, inundata, eodem ſacro ſangvine incendium ſuum ferè extinxerit; ſed ego, quæ extra *Bohemiæ Provincias* geſta ſunt, libenter prætereo, cùm domeſticis exemplis ſic abundem, ùt propè ſuccumbam.

Crantz. l. 11. Vand. c. 10. Petr. Langius in Chr. Citizenſi. Bolland. in Vitis SS. Febr. ad 9. Febr. in prætermiſſis.

Novocellæ crudelitas in Religioſos.

Urbes Miſnicæ cum Catholicis exciſæ.

Digitized by Google

§. CX.

Gubæ Catholicæ Civitatis apud Luſatios miſerabile excidium; Aliud ſimile Plaunæ. Quatuor Cœnobia in Moravia delentur. Taucha Miſniæ Urbs cum omnibus Civibus Catholicis excinditur internecinè. Slavata Vir illuſtriſſimis Natalibus Taboritarum inſidijs exceptus Religionis odio necatur.

1429. EX eadem cauſsâ, quâ impulſi paulò antè *Novocellenſis Cœnobij* excidium commemoravimus, etiam *Gubenſe* adferemus. Eſt *Guba Luſatiæ* Civitas non ignobilis, eam ſummâ celeritate, & furore adorti *Taboritæ* in pervigilio Sanctorum *Simonis*, *& Judæ*, in poteſtatem redigunt. *Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet?* *Krantzius* paucis explicuit: *Oppidum Gobin crudeliſſimè diripiunt hæretici, ſævientes in omne genus hominum. Perierunt hominum multa millia in populoſiſſimo oppido, factáque eſt Urbs illa Civium ſuorum commune ſepulchrum.* hactenus verba *Krantzij* apud *Cochlæum*. In eadem Urbe, non paucos Religioſos ab hæreticis interfectos invenio, ùt in *Epitome* dixi, & habet *Theobaldus*. *Plavvno*, vel *Plava* in Bohemicis Annalibus locum habere debet, quòd propè magìs quàm *feudum* obnoxium *Bohemiæ Regibus* fuerit, ùt aliquando probabimus, & ipſi *Plavenij Advocati* inter *Bohemiæ* incolas, & Cives nominentur. Hujus Urbis excidium diligentiſſimi Scriptoris *Georgij Fabricij* verbis deſcribemus: *Oppidum Plava inter Eliſtrum & Siram fluvios Arcem in excelſo colle habet: huic Præfectus erat Georgius Radſchaverus, cum quo paciſcebantur hoſtes* (hæretici) *ut ipſe ex Arce diſcederet, milites arma deponerent, ſalvi abirent; ni facerent, extrema minitantur. Spatio ad deliberandum conceſſo, Arcem in poteſtatem Bohemi accipiunt, nec pacti memores, dedititios inermes crudeliter interficiunt, inter quos de Nobilitate plures, quàm centum necati, & ſpoliati ſunt. Metu illo ſublato in Cives ferrum ſtringunt, & ſupra nongentos trucidant; in Senatum, & Flamines* (Sacerdotes, & ſacros Viros) *magis quàm in cæteros ſuâ conſvetudine truces. Octo Fratres Marianos* (Franciſcanos intelligo) *& quatuor Dominicanos, unâ foſſâ vivos obruunt. Editâ per oppidum cæde univerſorum Arcem diruunt, & tecta incendunt VIII. Calend. Februarij, quo die Memoria Converſionis Pauli Apoſtoli celebratur.* hæc Fabricius. Quis oro majorem barbariem excogitare poſſit? nimirum hæreſis, ejus ſpiritu, qui *homicida fuit à principio*, impletur, & regitur. Eadem crudelitatis exempla in *Frankonia Culmbachij*, *Barnithij*, *& in Coburgi* vicinia, in Sacerdotes, Religioſos, & moniales edidêre.

Guba deleta.

Crantz. in Vandalia l. 11. C. 20.

Cochl l. 6. hiſt. Huſſit.

Theob. P. 1. C. 69. hiſt. Huſſit.

Fabr. in Or. Saxon. l. 7.

Et Plavva.

1430.

Anno

An: ſequenti 1430. Cùm *Procopius Raſus*, ſeu *Major* in Moravos bellum transferret, atque in eam rem omnes *Taboritarum* ſuorum vires contuliſſet, ut in *Epitome* noſtra memoratum eſt, primus impetus Furiarum ab ejus Ducibus *Kromeſſinio, & Kerskio* (quos Exercitui præmittebat) in Cœnobia *Moraviæ* quæ occurrebant, ac nondum flammis conciderant, factus eſt: *Trebicenſe Cænobium*, quod omni Arce munitius ſtabat, & defendebatur, capere ſe poſſe deſperabant, proinde in *Cænobij* ditiones furorem verterunt, omnéſque devaſtarunt. *Novoreiſsij* poſt Teltzium ſacrum Præmonſtratenſium Parthenonem, tum *Daleſſicij* Ciſtercienſis Inſtituti Virginum, quibus antea *Ziſka* ſemel iterúmque eo itinere tranſiens pepercerat, diripiunt, & ſuccendunt; an in ſacrarum Virginum innoxia corpora ferro aut igne ſævierint hęretici, in Scriptorum ſilentio, affirmare non auſim, ſed perpetua *Taboritarum* crudelitas dubitare non ſinit, ſi quæ deprehendi potuerunt, occiſas, aut demerſas. Idem de *Sternbergenſi Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cænobio*, quod ſitum eſt ad Arcem, dicere non audeo: namque id caſtrum octo ſeptimanis acriter oppugnatum ipſemet *Procopius* deditione & conditionibus cepit; quo ſcilicet fieri potuit, ùt clementiùs dedititij tractarentur ab hoſte.

A. 1430.

Peſſ. in Marte Morav.

Trebnicenſe Cœnob: adv: Taboritas defenſum.

Neoreiſſiſi & Daleſſicium Cœnobia delentur.

Sternberga deditione capta.

Anno 1432. *Orphanorum* rabida gens, *Procopio minore* Duce, *Oſterlandiam* (Auſtralem Miſniam) quæ hucuſque à damnis, & cædibus utcunque immunis manſerat, cęſo priùs *Saxonum & Bavarorum*, qui ſuppetias Saxonibus attulerant, occurrentium Exercitu, ingreditur. *Taucha Oppidum* penes quod commiſſum erat prælium, primò omnium direptioni ceſſit, quódque tantulo tempore mirêris, everſum eſt, hodiéque *nihil niſi rudera*, ut habet Fabricius, *oſtentat*, via nunc etiam monſtratur diligenter ſtrata ſilicibus, aliud nihil; *Catholici* promiſcuè omnes occidione occiſi.

Taucha Catholica Civit: exciſa.

Poſt devictos magno prælio *Taboritas* An. 1434. (vide *Epitomen* noſtram) cùm *Czapek* ſuorum proditor ex acie cum Eqvitatu profugiſſet, *Colinum* civitatem id temporis munitiſſimam *Gubernatori Bohemiæ Alexio de Wrzeſſtiovv*, ut ſe bonâ fide cum Nobilitate in gratiam redijſſe demonſtraret, ultro Czapek tradidit. *Alexius Generum* ſuum Virum, apprime Catholicæ fidei tuendæ & proferendæ cupidum (cujus fidem, & prudentiam pridem perſpexerat) *Wankonem*, ſeu *Wenceslaum Slavatam*, *Lacenbok* ab Arce ſua dictum, *Colino* præfecit. *Slavata* pro ardentiſſimo ſtudio, quo in Catholicam Religionem ferebatur, primo acceſſu *Taboritas* ex Civitatis Templo, deinde etiam ex Urbe (nè quid infidum ſibi, aut dubium, aut diſcors in tanta Munitione, cujus ſumma defenſio concordia Civium eſſet, haberet) ejecit; eo contemtu irritati, qui ejectis favebant, omnia conſilia ad *Præfectum* trucidandum contulerunt. Tandem *Slavatam* à *Drslao Wratislav* Equite ſplendidiſſimo *Komarovicio* redeuntem ex inſidijs aggreſſi obtruncant, unâque omnes, quos circum ſe habebat; neque uno facinore contenti, præ-

M. S. Drabonicij.
M. S. Chro: Reginohra: Fabr: in Orig. Sax. l. 7

Wen: Slavata ob Relig. Catholicā ad Colinū occiſus.

Chr: Reginohra. M. S. apud me.
Ex eo Peſſ: in Marte Mor. l. 5. c. 5

 ſidium

ſidium omne quod *Catholicis* conſtabat, aut occidunt, aut Urbe pellunt, Exulibus omnibus *Taboritis* in Urbem revocatis. Senſit univerſa *Bohemiæ Nobilitas* peſſimum facinus, ſed præcipuè *Socer Slavatæ Gubernator Alexius de Ryzmberg & Wrzeſſtiov*, datóque Ducibus ſuis negotio obſeſsâ per Menſes duos civitate *Colinenſi*, deinde etiam occupatâ, omnes cædis & perfidiæ conſcios, aut egit in furcam, aut in *Albi* præterfluente demerſit: atque hæc ultima fuit cædes Catholicorum à Taboritis perfecta, & penè ultimus furiarum conatus: nam fracti armis Catholicorum atque etiam Utraquiſtarum (qui Catholicis ope Sigiſmundi Cæſaris in Concilio Baſileenſi ſeſe junxêre) nunquam poſtea Taboritæ juſtum ex ſeſe Exercitum formare potuerunt.

LECTORI BENEVOLO S.

Finis cædiũ Catholico:

Tandem aliquando cruentiſſima, & internecina bella ab *Huſſitis. Taboritis, Orebitis, & Orphanis* in Catholicos excitata, tum fidelium, Sacerdotum, & Religioſorum cædes, Cœnobiorum & DEO conſecratorum locorum, & Eccleſiarum incendia & excidia finivi, hoſtes acie victi, & proſtrati Ducibus occiſis quieverunt; ac licet poſtea non ſemel vitam Catholicorum appetierint, id tamen quaſi per inſidias, vel per populi tumultum, non conſilio, vel authoritate publicâ, neque ſcripto Exercitu factum eſt, imò, ſi quid in Catholicos moliti ſunt, nunquam hoc illis abivit impune, Regibus, qui ſecuti ſunt, etiam ipſo *Georgio Podiebradio Rege*, nè bellum Religionis exardeſceret, ſummâ ope caventibus, & vigilante pro Pace publica Magiſtratu. Illud unum hoc loco timeo, & timorem meum *Lectori* aperio: nè quis fortaſſe me negligentiæ accuſet, & quædam Cœnobiorum excidia in ſuperiori narratione queratur omiſſa, & prætenta ſilentio. Nolui id quidem, neque ſcio, neque vidi Scriptorem (abſit verbo jactantia) qui in hoc argumento diligentiùs ſit verſatus, neque ullum, qui, ut ego feci, id ſibi propoſitum habuerit; ſed quis omnia in numerato habere poſſit? præſertim, quòd excepto *Hagek, Dubravio, & Cochlæo*, ſcelera, & ſacrilegia hæreticorum ex ipſis eorum Libris, & manuſcriptis Codicibus (qui tamen crudelitatem ſuam ubi ubi poterant, ut antè monuimus, occultabant, aut excuſabant) colligere ſim coactus: nam memoriæ Cœnobiorum omnes vel flammis vel ſangvine ſunt deletæ, ipſáque Cœnobia tam perniciali odio, & tam barbarè, atque atrociter exciſa, ut ipſam humum, & ſolum quod Religioſi homines calcaverant, & preſſerant, è rerum natura tollere voluiſſe videri potuerint, certè quorundam Cœnobiorum vix ac nè vix quidem veſtigium hodie supereſt, ſæpe ac multis in locis, *Eccleſiâ, Cœnobio*, & ſacris ædificijs in Arcem, vel Domum aliquam, vel in ſtabula Equorum, & pecorum, vel in ovilia, & Villici ac famulorum cubilia, & apothecas vini, Cereviſiæ, frumenti, vel in cellas butyri, & caſeorum converſis. Ut igitur Lectori piè curioſo faciam ſatis enumerabò *Cœnobia* quædam, præter illa, quæ in contextu & narratione cædium nominavimus; ea exciſa & deleta ab hæreticis conſtat, ſed quia annus & dies excidij reperiri non potuit, in hiſtoriam inſeri non potuerunt, atque hîc ſeparatim nominabuntur.

Cruentiſſi- Cœnobiorum excidia

Cœnobia Benedictinorum.

Ordo S. Benedicti præter Cœnobia, nuper varijs in locis, nominata, amiſit *Prapoſituras*, ut vocant, *Braumovienſem, Policenſem, Zatecenſem, S. Joannis in Augezd Praga, Cœnobium Bickovvicenſe, S. Michaëlis in Mieſtecz. Skalenſe, ſeu in Petra S. Joannis, itidem S. Joannis in Teslin, & in Weliz* Eremos duas, & aliam Eremum ſub Arce *Przimda* ſeu *Fraunberg Cladrubienſi* Cœnobio attributam. *S. Hieronymi Cœnobium* Slavorum in honorem *Caroli IV.* & nationis Slavicæ permanſit illæſum; aliam etiam cauſſam attulit *Hagecius.*

Ciſter-

Ciſtercienſium.

Ciſtercienſia exciſa ſunt incerto tempore: *Zdiarenſe, Rzeporegenſe & Fraunthalenſe utrumque Virgineum, Biſtricenſe, & in Leskovecenſi Camenecio. Skalicenſe* An. 1521. 18 Aprilis deletum eſt unà cum Eccleſia. *Aulæregienſis Cœnobij* (quod *miraculum Cœnobiorum* appellat *Pius II.*) excidium, cùm ſcriberet Amanuenſis meus, tranſilijt properando: exciſum eſt *Duce Corandâ* An. 1420. 10. Auguſti, ut latè commemoravi in *Epitome*, ſed latiùs in *Appendice* I. ad Hiſtoriam S. Montis, cùm *Podbrcenſem Diſtrictum* deſcriberem. *Ad Cœnobij S. Coronæ excidium* §. LXXV. adjici poteſt, quod ex Codice antiquo M. S. *Mortuorum S. Coronæ*, poſtquam priora ſcripſeram, didici: XI. Maij (non 14.) exciſum illud eſſe Cœnobium, & præter ſuſpenſos in tilijs, ùt narraveram, duos *Cœnobij Sacerdotes* (utrumque *Joannem* appellatum) excitato rogo incendio hauſtos. *Altovadenſe Cœnobium*, cùm hæretici *Ulrici Roſenſis* arma timerent, neque auderent accedere, ſervatum eſt; de reliquis exciſis jam egimus.

Præmonſtratenſium

Præmonſtratenſe Cœnobium in Sion, Pragenſes exſpoliarunt quidem, ſed ut aliqui tradunt, non diruerunt. *Teplenſe Ssvihovij, & Guttenſteinij*, aliiq; Proceres Catholici in ea vicinia ſunt tutati. *Milovicenſe* S. Georgij die (ſed quo anno?) *Zelivenſe, Drkolmenſe, Limovicenſe, Zbeiſſovienſe, Weſelenſe, Fridlandienſe &c.* quando exciſa ſint, non conſtat.

Canonicorum Regularium.

Canonicorum Regularium S. Auguſtini Landſcronenſe, Rzedhoſtenſe, ſub arce Bezdiezy, in Saczka, deleta ſcimus, dies ignoratur. *Glacenſe, & Trebonenſe* defenſa ſunt, *Borovanenſi* Cœnobio ipſemet *Ziſka*, utpote in fundo Cœnobij natus, pepercit. cæterorum excidia leguntur ſuis locis.

Eremitarum S. Auguſtini Submelnicanum S. Laurentij An. 1421. 28. Martij arſit, & exciſum eſt! *S. Benignæ* in Inſula, *B. Mariæ Roczovienſe* & alia quædam, quando deleta ſint, non invenio. aliorum excidia commemorantur in hiſtoria.

Prædicatorum.

Ordo S. Dominici Cœnobium Litomericenſe S. Michaëlis, S. Annæ in Augezd in minore Praga, *S. Laurentij* vel *S. Annæ* in Majori Urbe Pragenſi; *S. Laurentij Jablonæ, S. Clementis Reginohradecij, B. Mariæ Launenſe*, & aliud ante *Pardubicium*, amiſit, diem ignoramus. Budvicenſe & Plſnenſe defenſa ſunt.

Minorum.

Ordo S. Franciſci Minorum diruta ab Huſſiticis Cœnobia numerat: *S. Jacobi Litomericij, S. Adalberti Gilovij, Reginohradecij, Bidzovij, Rizemberga, Teinecij Virginum*, & quædam alia. *Brixiæ, Novædomi, Crumlovij, Pardubicij* ob Dominorum potentiam ſervata eſſe videntur. In hiſtoriæ contextu plura, quæ exciſa ſunt, nominavi.

Ordo S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ poſt *Huſſitica* tempora primùm adveniente *B. Capiſtrano in Bohemia* cœpit florere.

De Pœnitentia.

Parthenones S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia ab Hæreticis deſolati ſunt incerto die: *Pragæ in Augezd, ad Cadanam in Strzidka, Launæ; de Zarazenſi, ſeu Brixienſi* actum eſt ſuperiùs.

Et aliorum Cœnobior:

Cæleſtinis ſub Wiſſehrado, & in *Zlichov; Crucigeris Teutonicis ad S. Benedictum Pragæ, & Commotovij; Rhodijs ſeu Melitenſibus ad Pontem Pragæ Minoris, & Pragæ Novæ ad S. Joannem, & Dubæ, & Reginohradecij in Suburbio* Domicilia ſeu Commendas unà cum Eccleſijs hæretici incenderunt, atque ipſos *Equites*, ſi deprehendi poterant, peremerunt: anni & dies conſignati non ſunt, ideóque in narratione continua rem omiſi.

Crucigeri S. Sepulchri in Domicilio ſuo S. Jacobi ad *Trutnovium* necati ſunt: de *Zderazenſi, & Svvietenſi*, dictum eſt ſuis locis.

Exciſa quoque ſunt *Crucigerorum cum Rubea Stella Pragæ; Carthuſia Podiebradenſis; S. Cyriaci, Pragæ & in Benatek, & in Orlik; Ambroſianorum ſub Wiſſehrado;* (hoc tamen cum nota temporis deletum invèni An. 1419. die S. Michaëlis) *Carmelitanorum* ad Nives, & *Tachovienſe* jam nominavi. Omnes Viri DEO conſecrati, ut antè ſæpiùs dixi, in his Cœnobijs crudeliſſimè ab *Orebitis, & Taboritis* ſunt necati,

exci-

excipio pleraque *Pragenſium Cœnobia*; *Pragenſes* enim mitiores & clementiores ſemper habiti fuêre, & ejeciſſe Religioſos contenti vitam ſæpe donabant. Porrò, ſi quis omnium *Bohemiæ Cœnobiorum* Indicem habere volet, eum in *tractatione de Cœnobijs* in Decade II. *Miſcellaneorum* inveniet.

Pragenſes hæretici humaniores.

§. CXI.

S. Hieronymus Pragenſis, Eremita Ordinis Camaldulenſis.

1440.

Cùm *Bohemiæ Regnum Huſſi, & Hieronymi* de Praga hæreſibus corruptiſſimũ ingenti per univerſam Europam laboraret infamiâ, ecce tibi eodem propè tempore ex *Camaldulenſi* ſolitudine alium *Hieronymum* itidem *Pragenſem* excitavit DEUS, qui damna quæ prior intulerat Eccleſiæ, Apoſtolicis laboribus quodammodo compenſaret, ſuúmque *Bohemiæ*, *ac Pragæ* potiſſimùm decus reſtitueret. *Hieronymus* igitur *Camaldulenſis* (quem *Pius II.* Virum *apprimè eruditum, vitæ munditiâ & ſingulari facundiâ clarum*, & iterum: *Virum fide dignum, gravitate ſermonis, doctrinâ, & religione ſpectabilem* appellat) *Pragæ* natus, DEO vocante, *Camaldulenſi Ordini* ſeſe addixit, & ſupra viginti annos in *Apennino Etruriæ* vitam egit aſperrimam. Ex ea ſolitudine egreſſus ad cauſſam Religionis in Patria ſua *Bohemia* tuendam, cùm corruptis jam eâ peſte omnibus Regni partibus, & membris, nihil ſe ad rei ſummam proficere videret, DEO monente ad prædicandum *Litvanis* idolorum cultoribus *Evangelium* animum adjecit, ac literis à *Wladislao Poloniæ Rege ad Vitoldum Regis Fratrem Litvaniæ Ducem* acceptis, commendatus in *Litvaniam* penetravit. Quantum in ea gente profecerit, quot ſilvas Deorum proſtraverit, quot lucos ſucciderit, jucundum eſt in *Silvio* legere, cui præſentibus quàm plurimis clariſſimis Viris ipſemet *Hieronymus* cùm ad Concilium Baſileenſe veniſſet, omnia commemoravit; ſed hic *Silvij Liber* cum ſit obvius, eadémque in *Theophilo Raynaudo* noſtro, & in *Epitome hiſtorica* mea legantur, deſcribere ſupervacaneum eſſe putavi. Colebant pro Dijs Litvvani *ſerpentes, ignem, arbores, lucos & nemora*, ſed *malleum ferreum grandem* præcipuè, hac de cauſſa, quòd cùm *Sol* à Rege quodam potentiſſimo olim captus eſſet, & in carcerem munitiſſimæ turris conjectus, *Signa Zodiaci Malleo* turrim illam perfregerint, & captivum Solem, multis jam menſibus non viſum mortalibus, liberârint; dignum itaque veneratione *Malleum* eſſe, cujus ope Mundus Solem receperit. Magnum *Hieronymus* in Litvania, Chriſtum prædicando, operæ pretium tulit, ut quodammodo *Apoſtolus* dici poſſit, maximè quòd doctrinæ miracula ſociaret: excindebat fortè ſilvam Deorum, novis Chriſtianis adjuvantibus ingenti Ethnicorum multitudine circumſtante, fortuito caſu Chriſtianus quidam tibiam ſuam, arbo-

Hieronymi prima ætas.

Æne: Sil: in Euro. C.26.

Religionẽ Camaldulenſium ingreditur.

Litvaniã adit ad Chriſtum prædicandum.

Rayn. T.X. tr. de Gladio & Pileo. Epit hiſt. l. 4. C. 4.

Litvanorũ ſtultæ perſvaſiones.

Digitized by Google

arboris loco bipenni, graviſſimo ut videbatur, vulnere percuſſit, ſtatímque ſemianimis corruit; *Hieronymus* Populum commoveri, & percelli videns, juſſit in *Chriſti nomine* jacentem ſurgere, ac proſequi laborem; ſurrexit protinus, ejúſque tibiam nulllâ in parte læſam Populo *Hieronymus* demonſtravit. Tantis Evangelij profectibus invidens Cacodæmon in populo ſeditionem ac tumultum concitare aggreſſus eſt, ipſúmque *Vitoldum*, Principem ſceleribus omnibus coopertum ac *Nerone* ſæviorem (*ſangvinarium Carnificem Vitoldum* vocat Silvius) inani metu ſeditionis, & Imperij amittendi perterruit, qui *Hieronymum* ex medio Evangelij curſu, & fæliciſſima prædicatione *Litvaniâ* decedere juſſit; quod acutè expreſſit Silvius: *maluit*, inquit, *Chriſto deeſſe Populum, quàm ſibi.* Vixit poſt hæc reverſus à Litvanis *Hieronymus* in Germaniæ & Italiæ luce, in ſumma virtutis & doctrinæ authoritate, adeò ut *Sancti Titulum* apud plurimos Scriptores ſit conſecutus. Vide *Bollandum* noſtrum alioquin in tribuendo ſanctitatis nomine meritò præparcum, apud quem *Arnoldus de Wion* ſic loquitur: *S. Hieronymus Pragenſis, Eremita, Epiſcopus & Apoſtolus Litvanorum* & Cap. 25. apud eundem Bollandum: *S. Hieronymus Pragenſis Juris utriusq; Doctor, & Theologus Eremita, acceptâ facultate concionandi, cum Epiſcopali Poteſtate, Litvanos ad fidem adduxit. Obijt Venetijs A. 1440. fuit in Concilio Baſileenſi; ſcripſit multa Opera* (enumerat illa *Wion, & Auguſtinus Florentinus*) inter quæ eſt *Sermo* longiſſimus de S. Romualdo, qui ibidem apud *Bollandum* recitatur. Ego *Hieronymo Sancti Titulum*, etſi timidè, eorum ſolummodo authoritate, quos modò laudavi, adſcripſi.

Hieronym• in prædicādo Chriſto impeditus.

loco cit.

T. II. Febr. ad vitā S. Romual: in Comment. prævio. Wion l. 1. Ligni Vitæ. C. 26. Auguſt. Floren. in Hiſt. Camald. l. 2

Obitus Hieronymi.

§. CXII.

Beatus Joannes Capiſtranus è S. Franciſci Ordine, Familiæ Ciſmontanæ, ſecundus poſt S. Bernardinum juxta Decreta Evgenij Papæ Vicarius Generalis.

ILluſtravit hoc ſidus & *Germaniam, & Bohemiam*, plurimáſque alias Provincias à *Nicolao V. Calliſto III.* ablegatus *Joannes Capiſtranus*, à Patrio ſolo *Capiſtrano Aprutij* oppido nuncupatus. Fuit Vir excellenti doctrinâ, *Theologiæ, & Juris utriusque Doctor*, nec minùs pietate (quam magiſtro *S. Bernardino* intimis ſenſibus hauſit) inſignis. In *Concilio Florentino* velut Sol inter Patres effulſit, multa opera edidit, maximéque celebratur *Speculum Clericorum.* Obitâ propè totâ Germaniâ in *Bohemiæ Regnum* aſcendit An. 1451. Ea omnia acta ſunt *Egræ, Plſnæ, Cadanæ, Brixiæ, Crumlovij*, poſtea *Wratislaviæ, Olomucij*, pérque univerſam *Sileſiam, & Moraviam*,

1470. 23 Oct.

Genus & geſta Capiſtr: ſummatim recitantur.

quæ per Imperium ab ea maximâ eloquentiæ, & Divini ſpiritûs vi geſta eſſe, eorum temporum Scriptores commemorant; præſente anno *Crumlovij in Bohemia* verſatus aliquandiu eſt, ùt in *Epitome* dixi, dein *Olomucium* abivit, atque illuc 17. Auguſti pervênit. Certavit Epiſtolis *B. Joannes* cum *Rokyczana Georgij Regis* (ut ità dicam) *Papa*, eæque Epiſtolæ in omnibus Manuſcriptorum Codicum apud nos Bibliothecis leguntur. In areis ante Eccleſias, & in foris dicebat ad populum *Latinè* cum Interpretibus, quorum alter *Bohemicè*, alter *Germanicè*, quæ diceret ipſe, reddebant; aleæ, chartæ, taxilli, libri Venerem olentes proferebant in medium, & exurebantur. Plurimos Viros nobiles argumentorum vi, præſertim Sanctiſſimis exemplis ad Eccleſiam reduxit, quos inter *Wenceslaus à Bozkovicz* magnæ authoritatis Vir apud Moravos, qui vale *Huſſitis* dicto, Veritatem Romanæ Sedis cum duobus ſubditorum millibus eſt amplexus; cujus filius, nomine *Protaſius*, poſtea *Olomucenſis Epiſcopus* fuit. Sed ad *Ungariæ* ſalutem potiſſimùm *Capiſtranum* deſtinavit DEUS, ùt *Æneas Silvius*, *Bonfinius*, *Gonzaga*, & *Raderus* oſtendunt; tandem annis, & magìs meritis plenus, ſeptuagenario major vitâ exceſſit, multis poſt mortem miraculis clarus; cui *Leo X. Pont. Max*: *in Diæceſi Capiſtrana* cœleſtes honores habendos decrevit; neque unquam ſinè *Beati* titulo nomen ejus vel legi, vel audivi, & omnes, quos in hac tractatione citavi, *Beatum* appellant.

Mag. Chr: Belgij. MM. SS. Roſenſ. duo

Maximo profectu prædicat ad Populum.

Dubr. l. 29. hiſt. Boh.

Bonf. Dec. 3. lib. 8. Silv. in hiſt Boh. C. 65 & in Eur: C. 8. Gonz. in hiſtor. Ord. p. 451. Rader. in Bavar. S. f. 158.

§. CXIII.

Beatus Jacobus de Marchia ex Ordine Fratrum Minorum.

QVem *Jacobum Picentem Bzovius*, eundem propè omnes cæteri *Jacobum de Marchia* appellant. Natus eſt in Italia in territorio Aſculano; materno adhuc utero clauſus, Matre hoſtes fugiente, clarâ voce Matrem admonuit nè timeret, nihil eſſe periculi; legitimam ætatem cùm attigiſſet fæliciſſimè Juris ſcientiam perdidicit, & profeſſus eſt, tum cœlitus ad religioſum ſtatum amplectendum vocatus, habitum & vitam *Ordinis FF. Minorum* in loco *S. Mariæ de Angelis* aſſumſit; exinde omnem doctrinæ prioris gloriam, dotéſque naturæ cæteras, vitæ ſanctitate, & luce miraculorum extinxit, ut ex miraculis compoſitus, & ipſemet miraculum omnibus videretur. Scripſêre ejus geſta permulti, præſertim *F. Venantius Fabrianenſis* ejus Sodalis, & itinerum comes, *Marcus Ulyſſiponenſis*, *Bzovius*, cæteriq;. Eſt in manibus Effigies B. Viri capite radiato, calicem manu geſtantis, ex quo ſerpens veneno turgens proſpectat, quem ſcilicet calicem in Religionis noſtræ confirmationem Cruce ſignatum *bis* exhauſit: miraculorum, quæ rite probata ſunt, ſummam quandam conficiam breviſsimè: centum mortales liberavit,

1476.

Bzov. in Annal. Eccl. ad A. 1476.

Ulyſſ. l. 6. P. 3. hiſt. Minorit. Bzov. l. c.

Miracula.

Digitized by Google

ravit à *peſte*, *à febre* lethali ducentos; *à dæmone obſeſſos*, tum *cæcos, & claudos*
ducentis plures ſanitati reſtituit; *podagricos* plures quàm centum, alios ſexa-
ginta *deſperatos à Medicis*, periculo mortis alios centum & plures exemit, ac ſi-
gno Crucis *ſeptem mortuos* revocavit ad vitam. Eloquentiâ cæleſti *Jacobus* re-
gnabat in animis: mulierculas omnes *Mediolani & Neapoli* concionibus ad
meliorẽ vitam traduxit, Domo etiam Pœnitentibus exſtructâ. Ob res tantas *Eloquentia cæleſtis.*
à Sum̃is Pontificibus in varias Europę Provincias miſſus, *Italiam, Illyricũ, Ger-*
maniam, Bohemiam, Poloniam, Norvegiam, Pruſſiã peragravit, ter in *Ungariã*
magno Reip. Chriſtianæ emolumento penetravit; quæ in *Bohemia* noſtra,
quam adijt, *B. Jacobo* acciderint operæ pretium eſt cognoſcere: *Pragam* B. Jacobus in Bohemiã venit.
(verba Bzovij annumero) *profectus Georgium Podiebradium* (Regem) *Huſ-*
ſiticâ hæreſi à Rokyczana Pſeudo-epiſcopo infectum reperiens, multis ſermonibus
***ad unitatem fidei adducere conatus eſt.** Non ferentes Hæretici magnam effica-*
***ciam demonſtrationum, venenum illico ſorbendum obtulerunt** eâ ſponſione, ut ſi is*
citra noxam bibiſſet, illi relictis erroribus Catholica dogmata amplecterentur.
Ibi Vir Sanctus ſigno Crucis impreſſo, vivâ & verâ fide nixus venenum guſtavit, Venenum bibit.
& pro concione quàm plurima altiſſima de myſterijs Eccleſiæ Catholicæ diſſeruit,
quo miraculo multa hæreticorum millia convertit. Tam inſignem animarum Multa hominum millia in Boh. convertit.
fructum hoſtis humani generis non ſuſtinens, Podiebradium Regem per Miniſtros
falſitatis, & præcipuè per quendam Necromantam, in Jacobum inflammavit,
identidem Rebellionem Populi oſtentans, ſi fidem Catholicam admitteret. Ea-
propter Rex eundem fraudis artificem, operam ſuam in Jacobo convincendo offe-
rentem, contra illum diſputare juſſit, cæterùm Necromantes falſus fuit: ſtatim Miraculum
enim atque Vir divinus hominem in Eccleſiam introijſſe per revelationem agno-
vit, brevi oratione pro concione factâ, loquelâ & auditu eum privatum reddi-
dit, adeò, ut qui antea nonniſi triumphos de Sancto DEI reſonabat, poſtea ſurdus
& mutus evaſerit, confuſioniſque impatiens è cœtu profugerit. Cernens tan-
dem Vir DEI, Regem cum ſequacibus obduratum, Bohemiâ relictâ in Epirum,
& Illyricum penetravit &c. hactenus *Bzovius*, ex quo ſatis apparet: *B. Ja-*
cobo laborum Campum noſtram quoque *Bohemiam* præbuiſſe. Reverſus Mors.
in *Italiam* aliquando, pridem *Archiepiſcopatu Mediolanenſi* recuſato glorio-
ſus, An. 1476. 28. Novembris *Neapoli* ſanctiſsimè deceſsit. *Carolus V. Im-*
perator apud *Clementem VIII.* pro *Jacobo* inter Divos reponendo diu inſtitit,
ſed morte præventus non pertendit. Ejus corpus etiamnum incorruptum
perſeverat. In *Beatorum* numerum ab *Urbano VIII.* An. 1624. 24. Octo-
bris ad inſtantiam *Philippi IV. Regis Catholici* relatus eſt.

Digitized by Google

§. CXIV.

Senatores Catholici in Triurbe Pragenſi ab hæreticis excitato tumultu, barbarè, & crudeliter trucidantur.

1483. 24. Septemb.

ANno Chriſti 1434. magno prælio inter *Brodam, & Kaurzimum*, hæreticis à *Nobilitate* Bohemica (cui ob hoc facinus plurimùm Catholica debet Religio) devictis, tandem cædibus Catholicorum, & Religioſorum aliquis impoſitus eſt finis, aut prudentiùs, & occultiùs ſaltèm ſub *Georgio Rege* hæreticis patrocinium præſtante ſævitum; *Wladislai* tamen *optimi Principis* tempora, cæde *Catholici Senatûs, Pragenſe* vulgus fœdavit. Jam *Religio Pragæ* rurſus efflorеſcere, ſacri homines redire cœperant; *Senatus Catholicus* tam in *Nova*, quàm in *Vetere Urbe* (quem *Rex* ipſe pro poteſtate creaverat) vijs omnibus, ut antiqua Pietas, fides, moréſque Catholici tanto pòſt intervallo in Urbem reducerentur, ſtrenuè laborabant. Pulchrum illud ex Antiquitate An. 1481. repetijt, & ſtatuit *Thomas Conſul ab aurea ſtella*, toto Senatu conſentiente (quod jam Annis facilè ſexaginta intermiſſum erat) nè quis Conſulum Senaculum in *Curia Veteris Urbis* Pragenſis intraret, quin *Miſſam in Sacrario Curiæ* priùs audiſſet; nî faceret, certam pecuniæ ſummam numeraret. *Sacrarium* hoc *DEI Matris* dotatum erat, ùt vocant, ab antiquo, & duo, tréſve Sacerdotes alebantur, qui eam cæleſtem operam *Senatui* præſtarent; ea fundatio à *Senatu Catholico* revocata eſt, datúmque An: præcedente 12. Novembris initium. Urebat hoc Senatorum facinus *Huſſitas*, & turbulentum vulgus omnia Catholicis omnibus promiſcuè minabatur; accedebat, quòd *Rex Wladislaus* Auguſto anni ſuperioris 1480. ſeditioſos quoſdam *Huſſitarum Sacerdotes* atque etiam *Cives*, qui novas res moliebantur, captos in *Hradek, & Carlſteinam* arces juſſerat deportari, quod utriusque Senatûs (*Antiquæ, & Novæ Urbis*) ſtudio, & diligentiâ perfectum dubitari non poterat. Anno ſequenti nova, & acerbiora excitata ſunt in *Senatores* omnium trium Urbium odia, cùm videlicet ſanxiſſent de *Dedicationibus Templorum*, nè eodem die Encœnia, ùt vocant, *Pragæ* ubique celebrarentur, ſed Parochijs ſingulis, quo die Eccleſiæ ipſæ fuiſſent dedicatæ, ageretur ſolennitas. Id Catholicum, & priſci moris, *Rokyczanus*, qui ſibi *Archiepiſcopi* dignitatem, & authoritatem nullo jure aſſumſerat, abrogavit olim, juſſerátque An. 1454. (ùt habet *Cochlæus*) Dominicâ proximâ ante feſtum S. Michaëlis in Menſe Septembri (quo die *feſtum Dedicationis Eccleſiæ B. MARIÆ ante Lætam Curiam*, cui *Rokyczana* præſidebat, celebratur) in omnibus Eccleſijs Parochialibus *eodem die Dedicationis feſtum* per utramque Civitatem Pragenſem ſolenniter in perpetuum celebrari. Pupugit rurſus Se-

Sub Wladiſlao Rege viſa redire Pietas & Religia Catholica in Bohemiam.

Senatus Catholic⁹ Pragæ.

Hagek ad An. 1478. & 1481.

Coch. in hiſt Huſſ. l. 11.

Digitized by Google

Senatûs decretum vehementer *Huſſitas*, & Religionem ſuam irreligioſam proſtitui, & contemni clamantes, primâ poſt Paſcha Dominicâ, cùm Memoria Dedicationis *Eccleſiæ S. Ægidij* ageretur, conſurgunt, & tumultum excitant; abſtinuêre tamen invadendis domibus, at quisquis occurrit, quem *Catholicum* eſſe ſuſpicarentur, rixâ ſtudioſè quæſitâ, vulnerabant, & necare conabantur; *Monachis* naſos, & auriculas amputabant (aliquos vulnêratos periculosè, & prorſus occiſos quidam ſcribunt) *Senatores*, nè ſeditionem illam irritarent magìs, prudenti ſilentio diſſimulârunt. Ab hoc initio paulò pòſt atrocior, in ipſum *Senatum omnium Urbium* procella detonuit, neque jam per tumultum res geſta, ſed ex compoſito, & conſulto audaciſſimi nebulones, & fæx hominum (incendentibus alijs ex occulto) grandis campanæ in *Teinenſi Eccleſia* lugubri ſono 24. Septembris horâ quartadecimâ dant ſignum, eidem ſignò reſpondent aliæ *Eccleſiarum Urbicarum* campanæ; primi *Novæ Civitatis* hæretici ſub veſtibus loricati *Curiam* ſuam invadunt: arcebat illos Senaculi aditu *Urbis Syndicus*, hunc primum adorti occidunt; fit fuga Senatorum, ſex deprehenſi in fruſta diſſecantur, duo alij ex Communitate *Civium Catholicorum* in Curia aderant, crudeliter necantur; quod ex corporibus laceris ſupererat, ex Curiæ feneſtris in ſubjectum forum dejicitur. *Princeps Senatûs Paral* nomine, Pellio, maximæ ætatis, qui ſeſe in vicini Civis lectulo abdiderat, repertus producitur in forum, & ante *Curiam* facto à ſeditioſis ſpatio, omnibus in eum, velut in metam jaculantibus, conficitur, & confixus unco ad aliorum cadavera trahitur. Quoſdam è Senatu in carceres compingunt, jubéntque acerrimè torqueri, faterentur, quæ conſilia adversùs *fideles, qui ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumerent*, habuiſſent; an non *Utraquiſtas* omnes occidere ſtatuiſſent? hæc omnia per tumultum hæreticis vociferantibus, iſti tormentis omnibus excruciati placidè ex ordine reſpondebant (præſertim cæteris eloquentior è Senatu *Kahaun* nomine) nunquam eam rem ſibi veniſſe in mentem, innocentes ſe mori, nec eam rem, cujus arguerentur, fieri potuiſſe; tres igitur eductos carcere, *Conſulem*, duósque Senatores per Carnificem capite minuunt, vociferante Lictore: *hos nebulones coactos mori, quòd omnes Utraquiſtas certâ quadam die de medio tollere decreviſſent.* Horum cadaveribus abjectis, nondum exſatiata tanto ſangvine rabies, ut aliquod commodum ex ſcelere haberent, in *Novæ Civitatis* Monaſteria facto impetu *Monachos*, *Sacerdotes*, ſacras Virgines omnibus injurijs vexatos diſpergunt, Monaſteria ipſa rebus omnibus exſpoliant, *Sancti Ambroſij Cœnobium S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ* (in quo tum duo ſupra vicenos DEO ſerviebant Monachi, ex B. Capiſtrani diſciplina) diruunt, auribus, naribus detruncant, quendam ex ijs Religioſum Senem ægrotantem prorſus occidunt: majorem prædam collecturi videbantur in *Metropolitana Sancti Viti Eccleſia Pragenſi*: illuc hæreticorum fæx totâ Triurbe curſu contendunt

Senatores Catholici Pragæ per ſeditionem occiduntur

M. S.

Lupac. in Calen. hiſt.

1482.

M. S. Prag. Hagek ad A. 1483.

S. Viti Eccl: ab hæreticis in periculo fuit.

Digitized by Google

tendunt, & *Prælatorum*, *Canonicorum*, *Vicariorum*, & omnium *Miniſtrorum Eccleſiæ* (qui periculo præſente territi, quà data via, effugerant) domos, & habitationes expilârunt; ipſam etiam *S. Viti Eccleſiam* deſtinaverant prædæ, niſì prudentiores Cives prohibuiſſent, & cuſtodiam properè appoſuiſſent. Hæc à *Novæ Civitatis* ſeditioſis hæreticis perpetrata; ad *Antiquam* veniamus: gemina hìc omnia, & eadem laniena fuit: *Cives hæretici* in armis *Senaculum* ingreſſi, quoſdam è Senatu reperiunt, vetant ullum exire; Magiſtro Civium *Joanni Klobauk* nomine, cùm exiret, quidam ſeditioſus nebulo tribulo ferreo crus confringit, cæteri ſublimem è feneſtra præcipitant, deſpoliántque; ità in ſangvine ſuo natans, & ſeminudus *Sacerdoti Georgio Catholico* fortè prætereunti peccata confitetur. *Publikum Conſulem* è Curia fugientem vulnerant, & in carcerem rapiunt; alios è Senatu (ùt habet *Hagecius*) haſtas objicientibus ijs, qui ante Curiam ſtabant, è feneſtris dejiciunt, alios carceri mancipant; ac tum primò *Cœnobia* expilant, Monachos convulnerant, Urbe ejiciunt, Virgines ſacras indignis modis vexant, calices, & alia Templorum ornamenta diripiunt, novóſque *Urbi Præfectos* conſtituunt. Tertio pòſt die ad ſupplicium in foro adſertur ſeminecdus *Joannes Klobauk*; tum Conſul *Publik*, *Wenceslaus Cheiniczky* Vir diſertus ex Senatu, & *Stodola* adducuntur, quos priùs miris tormentis excruciatos, decollari juſſerunt. Quid in *Urbe minore Pragenſi* eo populi hæretici tumultu geſtum ſit, in Manuſcriptis non invenio; at parem fuiſſe Catholicorum cædem ſatìs indicant duo: primum, quòd ſeditioſis, & ad ſpoliandas ædes *Canonicorum* aſcendentibus, ùt antè narravi, neceſſarium iter per hanc *Urbem* fuerit; alterum, quòd in MM. SS. Codicibus lego, ibi quoq; Conſulẽ ejus temporis *Pipernaſek* nomine, cum alio quodam Senatore Carnificis manu decollatum fuiſſe. Atque hæc eſt illa cruenta *Tragœdia*, quam in Catholicorum jugulum edidit hæreticorum *ſub utraque* (ùt ſe appellabant) *Communitas*, neque dubium ulli eſſe poteſt, *Catholicæ fidei* odio peremtos, etſi, ùt hæreticorum mos eſt, alia, aliáque obtenderint hæretici. Quæ enim vel minima ſpecies veritatis, & quàm veriſimile cuique prudenti apparere poteſt? *Senatores* pauculos (quæ unica cauſſa cædis obtendebatur) potuiſſe omnes omnino *Utraquiſtas* unâ nocte cum conjugibus, & liberis, in tanta, támque multiplici *Urbe Pragenſi*, quæ tam latè patet, nullo Exercitu in Urbem immiſſo, occidere? quorum auxilio, quæſo, ea cædes perfici potuit, cùm hæretici *Catholicos* numero vicesies, & ampliùs ſuperarent? Satellites urbis omnes, Cives plerique, Parochi omnes *Huſſiticam* fidem pertinaciſſimè ſequerentur? quæ tantæ paucorum conjurationis veſtigia? qui teſtes, quis modus? itaque optimè *Hagecius* ſcripſit: *imputata Senatui crimina, quæ adverſarij excogitâſſent.* Et paulò pòſt: *Senatum trucidatum ab ijs, qui teſtes ſimul eſſent, & judices, hæreticóſque cauſſam qualemcunque proferre debuiſſe, ut jure egiſſe viderentur.* Quæ totidem propè verbis affirmat *Dubravius*.

Tumultus hæreticorũ

Hagek l. c. Dubr. l. 31. hiſt: Boh.

§. CXV.

§. CXV.

Sanctus Caſimirus Caſimiri Poloniæ Regis filius, Wladislai Bohemiæ Regis Frater, Litvaniæ Princeps.

TOt titulis *noſter* eſt *D. Caſimirus Litvaniæ Princeps* juvenis ſanctiſſi- *A. 1484.*
mus, ut, ſi præteriretur, turpiſſimo negligentiæ & oſcitantiæ crimi-
ne exiſtimarem me poſſe damnari. *Primùm* in fraterna & conſan- S. Caſimir•
gvinea nobiſcum gente *Polona* editus, *alienus* dici non poteſt; ſed hæc om- juſtiſſimis de cauſſis
nibus ex illa fortiſſima gente *Divis* communia mitto, certè *Regum noſtrorum* ad nos pertinet.
inclytus ſangvis *S. Caſimirum* ad nos, vel de cælo deducit. Mater *Caſi-*
miro fuit *Eliſabeth Alberti II. Cæſaris & Bohemiæ Regis* filia (Caroli IV. Nep-
tis) *Ladislai* itidem *Bohemiæ Regis* ſoror; frater ſenior *Caſimiri Wladislaus*
Rex, qui in *Bohemia* noſtra annis omnino 45. ingenti omnium ordinum ap-
probatione, & ſubditorum amore regnavit. Natus eſt *Caſimirus* An. 1458. *Joannes Lõginus Præceptor &c.*
& optimos Magiſtros pueritiæ ſuæ nactus (ſingulari in ætatulam illam Divi-
no favore) depulſus à lacte Nutricum, uberibus *Pietatis* admotus eſt: orare,
meditari, & admirari divina, *SS. Euchariſtiam* adorare in Templis, patientis Educatio S. Caſimiri.
Chriſti tormenta ſecum expendere, & in ijs immorari uſquè ad amoris & do-
loris lacrymas, beatitudinem ducebat pius adoleſcens, atque ut ad id præ-
ſtandum habitior eſſet, neque ſomno impediretur, jejunijs, cilicijs, durâ in
pavimento cubatione vigilias procurabat; intempeſtæ noctis ſilentio egreſ-
ſus, ante fores Templorum humi proſtratus, Divinam pro ſe, & peccatori-
bus implorabat clementiam. Catholicæ Religioni deditiſſimus cùm eſſet, Pietas in Dei Matrẽ.
Ruthenorum ſchiſmati paulatim abolendo impetravit à *Patre*, ut lege latâ
Templa ab ijs vetaret extrui, & vetera, ſic ùt erant collabentia, relinqui. *Pau-*
peribus totum ſe dabat *Caſimirus*, neque illi alio titulo, quàm *Patrem* appel-
labant. *Virginem DEI Matrem* ſingulari pietate proſequebatur; hinc ille
cæleſtis hymnus: *Omni die dic MARIÆ, mea laudes anima*, in ejus ſacro
Tumulo tanto pòſt repertus; quem *S. Juvenis* ipſe contexuit, & quotidie
Divinæ Matri dependit. In his virtutibus ad annum ætatis 23. pervenit *Ca-*
ſimirus, cœlebs ſemper, & qui de Conjugij pactis nè audire quidem ſuſtine-
ret; ſed extremus vitæ actus lauream Virginitatis *SS. Juveni* impoſuit: im-
perare mihi non poſſum, quin hoc loco deſcribam, quæ *Zacharias Ferrerius* *Raynald. T. XIX Annal. Eccl. 1484.*
Gardenſis Epiſcopus, in Litvania & Polonia Legatus Apoſtolicus, Vir maximè
apud *Sixtum IV. Pontificem* authoritatis, qui *S. Caſimirum* viventem probè
noverat, de ejus morte, cæteris omnibus diligentiùs commemorat, apud O- Virginitatis amor.
doricum Raynaldum in Annalibus Eccleſiaſticis Romæ editis: *Animo Caſimiri,*
ait, adeò erat deſponſata Virginitas, ut carnales nuptiæ, ſive à parentibus, ſive ab
ami-

Digitized by Google

amicis ei nunquam perſvaderi potuerint, nec caro, nec ſangvis, nec blanditiæ, nec titillationes ullæ venereæ inficere, aut ab arrepto pudicitiæ inſtituto dimovere aliquando valuêre: virginem enim ad finem uſquè vixiſſe, virginémque poſtremũ diem clauſiſſe, omnes & à cubiculo, & à ſecretis ejus, Viri maximi & optimi, quorum adhuc nonnulli ſuperſunt, quibúsve intus & in cute agnita illius converſatio fuerat, aſſeverant & atteſtantur: quod cùm ex pluribus evidentibus argumentis ſatis, ſupérque liqueat, ex eo potiſſimùm, quòd potiùs mori elegit, quàm fœdari, manifeſtiſſimè compertum habemus: cùm enim medio florentiſſimæ juventutis in morbum quendam chronicum incidiſſet, cui medelâ aliâ nullâ occurri poſſe, quàm puellari concubitu Medici judicabant, illiúsque parentes, neceſſariįque plurimi, ut Virginem ſpecioſiſſimam, quam è multis delegerant, unà in lecto cubantem & pro ſervanda vita in amplexus, & copulam ire permitteret, enixiſſimè ſvaderent, rogarent, efflagitarent; ille ſapientiſſimè (ùt ſemper ſolebat) reſpondit, ſe temporalem hanc, & momentaneam vitam malle amittere, quàm æternâ, & immarceſcibili in cælo carere, objurgabátque eos omnes, quòd rem ſibi ſuggerere illicitam non erubeſcerent, cúmque adhuc, ut floridæ juventuti, vitæ ac ſaluti conſuleret, magìs ac magìs adhortarentur, & importunis etiam precibus obteſtarentur domeſtici, reſpondit ille: ſalutem, vitámque aliam neſcire, quàm Chriſtum Dominum, cum quo ut eſſet, cupiebat diſſolvi, & ad quem jam ſe ex ea valetudine brevì profecturum eſſe proſpiciebat: quod & ità factum eſt. Jam ingraveſcente morbo, cùm naturali robore deſtitui cœpiſſet, Eccleſiaſticis Sacramentis, veluti ſpiritualibus quibusdã contra aëreas poteſtates, & tenebrarum harum rectores munitus armis, inter aſſiduas orationes, & ſancta colloquia, adſtantibus Sacerdotibus, & viris Religioſis, animam illam candidiſſimam, & Chriſto amabilem, ùt prædixerat perendie, carnis vinculo ſolutam Omnipotenti DEO reddidit.

Philip. 1.

Obitus S. Caſimiri.

Obiįt autem apud Velliam, ſive Vilnam Litvaniæ ſeu Litalianæ primariam Civitatem in Grodno Oppido, Anno à Virgineo & ſalutifero partu M. CCCC. LXXXIV. die IV. Martįj, illuceſcente aurorâ, annóq; ultimo Sixti IV. Pontificis Maximi. Vixit annos viginti tres, menſes ſex, ſepultúsque eſt collacrymantibus cunctis apud Arcem, ubi Sedes Pontificia Vilnenſis ſita eſt in D. Stanislai Martyris ac Pontificis æde ſub ſacello almæ Genitricis MARIÆ, cui & mentem omnem, & pudiciſſimum corpus addixerat. Erat autem pius adoleſcens, & famulus DEI Caſimirus, mediocris ſtaturæ, cæſariem muſtellini vel ſubnigri coloris habens, ſubnigris oculis, & naſo æquali, ac temperati ruboris, facie eleganti, formosâ, & venerabili, ut qualis intrinſecus eſſet, ex ipſa effigie exiſtimari poſſet: aſpectu profectò pulcher, ſed longè pulchrior Religione Divinâ, utpote moribus ornatus Angelicis, cujus mentem, atque Regium pectus nihil fœdi, nihil turpis, nihil obſcœni unquam tetigerit, quod poſt ejus obitum luculenter oſtenſum eſt. Nam omnipotens Auctor, ut indicaret, quanta meritorum

Digitized by Google

rum celſitudine, virtutúmque ſublimitate apud ſe Caſimirus magnus extiterit, mox ex ejus ſepulchro tot, tantáque ſigna ac miracula patefacere dignatus eſt, indiésque magìs oſtendit, ut hæſitare nemo debeat, quin æterna cum Chriſto felicitate in cœlo fruatur: hi enim, qui ſinè ſpe humani auxilij morbis incurabilibus, graviſſimiſque valetudinibus laborant, ſurdi, muti, claudi, aridi, cæcique, ùt primum ejus Mauſoleo ſe devoverint, auditum, loquelam, inceſſum, viſum, priſtinámque valetudinem recuperant, quódque longè admirabilius, ac penè incredibilius eſt, reviviſcunt mortui, aliáque quotidie obſtupeſcenda fiunt miracula, &c. Miraculis inclareſcit.

Hæc Zacharias Ferrerius in Polonia & Moſcovia Legatus Apoſtolicus, qui in miracula *S. Caſimiri* inquirere juſſus, *Eccleſiaſticum Officium*, quo illius memoria recoleretur, inſtituit, ac poſtea *Leo X.* eum in *Sanctorum numerum* retulit. Quòd verò *Miechovius S. Caſimiri* obitum non ad An. 1484. ſed ad ſuperiorem 1483. retulerit, id contigit, quia annos ab Incarnatione Verbi numerat, quod in *Hiſtorijs Poloniæ* diligenter notandum, cùm in *Chronologia* non parvas parere difficultates poſſit; Rectiùs igitur *Raynaldi* authoritate Annum 1484. quo *S. Caſimirus* in cœlum evolaverit, ſtatuemus. Admonet idem *Raynaldus* errorem in *Notas Martyrologij Romani à Baronio* additas irrepſiſſe, cùm ad 4. Martij obijſſe ponitur An. 1489. quod ſuſtineri non poteſt. Illud, quod in *Officio Sacerdotali* inter *S. Caſimiri* miracula legitur: *Lithvanis* exiguo numero ad potentiſſimi hoſtis inſperatam irruptionem trepidantibus in aëre apparentem, inſignem tribuiſſe victoriam, illuſtre eſt, gratiæ apud DEUM à ſanctiſſimo Juvene collectæ, documentum; aliud perſimile *S. Caſimiri* Miraculum Anno 1519. patratum, ex eodem *Zacharia Ferrario* recitat *Odoricus*.

Miech. l.4. C.74. hiſtor: Pol.

Miracula.

Raynald. T. XX. Annal. Ec. A. 1519.

§. CXVI.

Joannes à Miſna Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ.

HUnc Virum præſtanti famâ ſanctimoniæ, & miraculis claruiſſe Memoriæ Seraphici illius Ordinis ex Cœnobio Olomucenſi miſſæ loquuntur: In *Miſna* Urbe Miſniæ natus recepto illius ſæculi more à Patria cognomen accepit, ut de *Miſna* diceretur; in ſacrum Ordinem cooptatus, brevì omni genere virtutum, & gubernationis prudentiſſimæ laude inter ſuos excelluit; hinc factum, ut cùm Ultramontanæ Familiæ Commiſſarius Generalis Ven: P. *Petrus de Neapoli à Provincia Bohemiæ* ob amplitudinem, & Fratrum numerum Poloniam *&* Auſtriam ſeparaſſet, *B. Joanni Bohemiam* ſub Commiſſarij nomine regendam reliquerit; biennio laudatiſſimè rexit, ſed honorum & gubernationis pertæſus in Generali Capitulo

A. 1492. 21. Novembr.

Genus.

Bohemica Provincia FF. Min: olim extenſa per Pol. & Auſtriam.

Officia.

quod

Digitized by Google

quod An. 1469. in *Inſula Biſentina* celebratum eſt, perfecit, ut *Bohemia* tandem *Provinciæ* titulo & ipſa gauderet, ſuúmque ſibi *Provincialem* haberet. Abſolutus hoc munere *B. Joannes* totum ſe in poſterum divinis rebus agendis & patiendis uſquè ad ſummam ſenectutem addixit; plurima edidit miracula, inter quæ refertur Pueri à morte ſuſcitatio. Tandem An. 1492. ad

Obitus. *Capitulum Provinciale Olomucium* profectus morbo ſenectutis obdormivit in Domino. Operæ pretium eſt, quæ de *B. Joanne* paucis, ſed multum ſi-

Gonzága. gnificantibus verbis, celeberrimus & Illuſtriſſimus Franciſcanæ hiſtoriæ conditor ſcripſit audire: *In hoc Capitulo* (Olomucenſi) *omni ſanctitate, omníque virtute præditus* Pater *F. Joannes de Miſna* (*cujus aliquando meminimus*) *dum cæteris Patribus ex munere adeſſet, diem clauſit extremum, atque præfato in Conventu Conceptionis B. Virginis honorificè tumulatus fuit.* hæc ille in Conventu quarto prædictæ Provinciæ. *Tantâ autem Vitæ perfectione ditatus eſt* (verba ſunt Olomucenſis M. S.) *ut puerum à morte ſuſcitârit, aliáque quàm plurima ediderit miracula*, de quo ſcribit *P. Arturius* à Monaſterio, Recollectus in *Martyrologio Franciſcano* die 21. Novembris, quémque velut *Beatum* adducit poſt alios *Marcus Ulyſſiponenſis* l. 8. C. 33. ſub An. 1508. Commentarius ſcriptus præfati Conventûs recenſet illùm Anno 1477. floruiſſe. Hæc *Olomucio* miſſa accepi.

§. CXVII.

Chriſtiani duo Pueri Pragæ, Puella Strakonicij, à Judæis Noſtræ Religionis odio crudeliter necantur.

1505. 1503. STrakonicium Civitas eſt in *Bohemia*, quam ditione tenent *Melitenſes Equites S. Joannis Hieroſolymitani*, immunitatibus tamen multis ipſa Civitas munita, & ornata; ad eam Civitatem habitabat ruſtica mulier, quæ omnis pietatis oblita, paupertatis tantùm, quâ premebatur, memor, *Judæis* fratribus duobus, eorúmque Matri, filiolam ſuam uno non ampliùs aureo vendidit. Illi ſcelere matris læti, *Puellam* ſublimem, *Chriſtum Crucifixum* imitari jubent, pendentem, & nequicquam lacrymis innocentibus perorantem, cultris confoſſam, horribili cruciatu laniatam, ſangvine è venis omnibus expreſſo conficiunt An. 1503. Patefacto divinitus facinore, uterque Judæorum fratrum rogo, viventes, & ſpirantes impoſiti, quibus duæ matres, altera *Chriſtiana*, quæ vendiderat, altera *Judæa*, quæ emerat, ſunt adjectæ. Jacet etiamnum *Chriſti Martyr* in *Arcis Strakonicenſis Eccleſia* ante aram principem marmore contecta literis inſculptis ſepulchro, quibus factæ cædis à Judæis, Annus 1503. exprimitur.

Weles. in Calen. ad 4. Januarij. Crug. ibid.

Martyr Strakonicenſis.

Ge-

Digitized by Google

Geminum duobus ante ſæculis edidêre facinus Judæi: Anno Chriſti 1305. ſacra Paraſceves die, pervicaciſſima *Judæorum* natio, atrox in Chriſtianum hominem (*infantem* appellat Crugerius, vetuſti Authores de eo velut jam adulto, loqui videntur) *Pragæ* edit exemplum: namque in locum abditum pertractum, in *cruce nudum* ſuſpenderunt, circumſtantéſque, alius in eum expuere, alius os verberare, alius virgis cædere, alij denique omnia ſeriò imitari, quæ *Chriſto Domino DEOq; noſtro* quondam irrogâſſent ſupplicia. Scelere patefacto *Populus Pragenſis* conſurrectione factâ, contineri non potuit, *Judæóſque* omnes, excogitatis, quæ cuique ira ſua ſuggerebat, tormentis peremit. Monumentum, imò *Eccleſiam novo Martyri* ex ſpolijs Judaicis poſitam affirmat *Dubravius;* ego, ubi illa ſit, aut olim ſteterit, nec ſuſpicari poſſum. *Chriſti Martyres* hos eſſe, & *Innocentiæ, Martyrij* lauream adjeciſſe nemo Catholicorum dubitârit. De poſtremo veluti *Martyre* ſcribit *Carolus Stengelius Abbas Anhuſanus*.

Judæi Pragæ hominẽ Chriſtianũ crucifigunt

Crug. 24. Martij. Spond. in Ann. Eccl. ad A. 1305. Crantz. in Wand. C. 23. Dubr. l. 18. hiſt. Boh. Dubr. l. 8. hiſt. Boh. Car. Steng. in ſtemmatogr. Crucifixi germ. P. 1. f. 361.

NOTANDUM:

Strakonicenſem illam puellulam, *Weleslavinum, & Crugerium* in Calendarijs ſuis (ad 4. Januarij) Puerulum appellare, ſed me Chanowskio, qui in rem præſentem venit, aſſentiri ratio cogit, qui diſertè in lapide Cruce ſignato in Arcis Strakonicenſis Eccleſia ſcriptum eſſe affirmat: *Puella annicula Dorothea à Judæis occiditur die Martij Primâ, 1503.* ijdem, quos paulò antè citavi, cædis annum 1504. & diem 4. Januarij ponunt. Credibile non eſt, Judæos tam atroci ſupplicio An. 1503. damnatos, altero mox anno vertente, eodem in loco, facinus perpetraſſe; quod ſi admittitur Puellum & Puellam habemus occiſos pro Chriſto.

§. CXVIII.

Edmundus Campianus Soc. JESU, Londini in Anglia A. 1581. ob Catholicæ Fidei defenſionem interfectus.

EDmundus Campianus inter *Beatos Angliæ Martyres* pridem à Scriptoribus numeratus, tamen *Noſter* eſt, non nativitate (nam *Anglia* Virum genuit) non loco mortis (*Londini* enim mortem pro Chriſto pertulit) ſed inſtitutione vitæ cœleſtis (*Pragæ* quippe & *Brunæ* Tirocinium vitæ Religioſæ poſuit, & Societatem votis profeſſus eſt) & aliquot annorum commorátione, doctrinâ, & perpetuo in gentem noſtram amore. Noſter, inquam, *Edmundus* eſt; & cùm tantum ingenij, & Sanctimoniæ lumen mutuatos eſſe nos ab *Anglia* fateamur libentes, aliquam ejus laudis partem, ut in *Bohemiam* noſtram derivare poſſimus, facilè concedetur ab *Anglis*. Vitam maximi hujus viri ſcripſêre plurimi, ſingulariter *Paulus Bombinus* libris aliquot, cum alijs Martyribus *Philippus Alegambe* in mortibus illuſtribus, & ex eo *Mathias*

1581.

Campiani Patria.

Digitized by Google

Tanner (*in Societate JESU militante*) illuſtribus ejus exemplis non paucas paginas implevêre. Mihi propoſitum non eſt, nec unquam fuit, *Vitas Sanctorum* diffusè ſcribere; facio vulgaris Scriptor (quod vulgum facere dixit Poëta) *compendia quæro*, pauca, quæ ad nos pertinent, excerpam, aliqua etiam, nî fallor, ab illis præterita, apponam. *Campianus* igitur *Anglus*, cùm *Romæ* Societatem expetijſſet, admiſſus An. 1573. precibus *Laurentij Magij* tum *Provincialis*, *pro Auſtriæ*, *&* *Bohemiæ Provincia* impetratus, in *Tirocinium Brunenſe* apud Moravos noſtros recipitur. Sed, quid opus eſt, denuo *Bibliothecas*, & quæ de *Edmundo* ſcripſerint alij conſulere, cùm pridem iſta ex *Provinciæ Bohemiæ* hiſtoria, quam confecimus, petere, & deſcribere poſſimus, quod bonâ Lectoris gratiâ faciemus. Ad An. 1573. Maxima *Tirocinij Pragenſis*, ac poſtea *Brunenſis* (notandum eſt *Pragâ Novitiatum* eo anno *Brunam* translatum, atque inter eos, qui transferebantur Novitios, inter primos *Edmundum* numerari) maxima, inquam, ex *Edmundo Campiano* gloriatio, qui hoc anno 26. Auguſti jam annos quinque ſupra triginta natus advênit: patria illi *Londinum Angliæ*, Parentes Catholici fuêre ex honeſta Civium familia. Pater itidem dictus *Edmundus*, mercaturam librorum faciebat, Fratres duo, ſoror una, dum Societatem ingrederetur, vivebant; ſeptennium *Philoſophiæ*, *Theologiæ* ſexennium operam dedit, in eáque facultate *Baccalaureus* evaſit. hæc ipſius *S. Martyris* manu ſcripta (quam exoſculatus ſum) nuper inveni. Ad annum 1574. eadem hiſtoria narrat in Septembri *Pragam Campianum* appuliſſe, Rhetoricæ docendæ adhuc Tironem admotum, cui Oratione peregregiâ quæ extat, præluſerit. Anno ſequenti 1575. narratur, datum eſſe *Congregationi Marianæ in Contubernio Pragenſi* initium 16. Januarij, ex decem adoleſcentibus ſtudioſis conflatæ, cui Sodalitati M. *Edmundus Campianus* præfuerit. poſt pauca: florebat id temporis doctrinæ, ac potiſſimùm eloquentiæ gloriâ foris apud omnes *Campianus*, eáſque tum *Orationes*, *&* *Comœdias Praga* habebat, quæ juſtum volumen conficerent; at domi vitæ Sanctimoniâ, ac Religioſarum virtutum exemplis, etiam admirabilior habebatur: quantum is in ſui contemtione, & abjectione, quantum in meditandis Chriſti doloribus, quantum in amore vitæ Religioſæ profecerit, geminæ ipſius Epiſtolæ, quas *Brunam* ad contubernales nuper ſuos dedit, oſtendunt; diviſæ ſunt (ſatìs ſcio) temporibus, utramq; tamen hîc junxi, ut nihil ab annis, & tempore (quod aliquando in vita hominum, proh dolor! accidere ſolet) *S. Martyris* virtutem accepiſſe detrimenti poſsit intelligi.

Educatio Religioſa in Provinc: Boh.

Hiſt. Prov: Boh. M. S. ad A. 1573.

Genus.

Primę Sodalitati B. V. Pragæ Edmundus præficitur.

Epiſtolæ B. M. *P. Edmundi Campiani Soc: JESU*, *datæ Pragâ ad Novitios Brunenſes An. 1575. & 1577.*

QVantum vos diligam in viſceribus JESU Chriſti, Fratres chariſſimi, poteſtis colligere, quòd ſcilicet per occupationes meas quotidianas, & propter quas vix reſpirare poſſum, tamen ad vos ut ſcriberem, tempus mihi ſuffu-

Digitized by Google

ſuffurandum, & à medijs functionibus, curſque meis eripiendum putavi: quid enim facerem aliud, quàm primùm audio nuntium aliquem certum *Brunam* petere? quomodo poſſem non inflammari memoriâ Domûs illius, in qua tam ignitæ ſunt animæ, ignis in animo, ignis in corpore, ignis in ſermone, ignis, quem venit DEUS mittere in terram, ut ſemper ardeat? O dulces parietes, qui me aliquando vobiſcum tenuerunt! amabile hypocauſtum in quo tam ſancta miſcentur colloquia! ſpecioſa culina! in qua de ollis chariſſimi certant *Joannes*, *&* *Carolus*, duo *Stephani*, *Sallitius*, *&* *Finnit*, *&* *Georgius*, *Tobias*, *&* *Caſparus* in ſancta humilitate, & charitate non fictâ! quoties mihi repræſento illum oneratum de prædio, iſtum de foro, hunc de quiſquilijs, alium ſub alio labore fortiter, & alacriter ſudantem! credite mihi, Fratres chariſſimi, pulveres, ſcopas, & palas, ac onera veſtra aſpiciunt Angeli gaudentes, iiſque plus vobis impetrant apud Deum, quàm ſi viderent in manibus veſtris ſceptra, gemmas, & aurum in faſciculis. Utinam hoc neſcirem, quod dico, ſed tamen quoniam ſcio, dicam: In opibus, honoribus, delicijs, pompa ſæculi, omnia plena ſunt ſpinarum, & ſordium. Paupertas Chriſti minus habet extremæ difficultatis, & faſtidij, quàm Palatium Cæſaris. Jam verò de interiori pabulo, ſi loquamur, quis dubitet, quin una hora conſvetudinis tam familiaris DEO, boniſque ſpiritibus, omnes Regum annos, & Principum antecellat? Ego autem circiter annum in Religione fui, triginta quinque in ſæculo; quàm felix eſſet commutatio, ſi poſſem dicere: unum annum in ſæculo fui, in Religione 35.! ſi nullum unquam Patrem, præter Patres Societatis noviſſem; nullos Fratres, præter vos, & Fratres meos; nullum negotium, præter negotium obedientiæ; nullam ſcientiam, præter JESUM crucifixum! Utinam ſaltèm veſtram felicitatem attigiſſem, qui benè manè intrâſtis in vineam Chriſti! & vobis propemodum invideo *Cantenſi*, *&* *Carolo*, qui tam maturè conditi ſunt, ut ſuam pueritiam cum puero Chriſto conſumant, cum illo pariter adoleſcant, & creſcant demum in perfectum robur plenitudinis, quæ eſt in Chriſto JESU. Quare gaudete Fratres mei tantis bonis, & magnitudine beneficij, quo vos DEUS honeſtavit, ut illius recordatio ſemper in promptu ſit quâ diabolo, quâ mundo, quâ carni, quâ difficultatibus, & procellis omnium tentationum reſiſtatur. Dicamus, & ſentiamus ex animo, niſi valde ſtupidi, & inſipidi ſimus: Non eſt magnum, quòd ſervio DEO, ſed revera magnum eſt, quòd me ſervum Deus habere voluit. Ego omnibus vobis de ſingulari charitate veſtra, quam & præſens, & abſens per litteras, & ſalutationes veſtras, & diſcedens à vobis in itineris procinctu expertus ſum, gratias maximas ago, nominatim *Melchiori*, & ſi quis eſt alius, quem antea nominavi, chariſsimo fratri æmulo meo, & compari dierum Societatis, ſed meritis longè ſuperiori; gratiſsimæ mihi fuerunt ipſius & litteræ, & res, quas binis jam litteris egit. Scribam cum R.

De ſervitijs Culinæ loquitur.

Digitized by Google

P. Rectore rationem aliquam, ut ordine totius rei conſtituto, perſcribam ad illum de omnibus diligenter ante Feſtum Annunciationis B. Virginis, ùt ſpero. *Stephanus Ungarus* recepit ſe ſcripturum, & ſemper tacuit. *Georgio, & Carolo* gratulor ex toto pectore, qui nuper vota emiſerunt. Fortia ſunt vincula, Fratres mei, quibus vos fortiſsimè Domino concatenâſtis. quis eripiet vos de manu illius? num funiculum iſtum triplicem perrumpet diabolus tam ignobilis, & infirmus, ut nè porcos quidem ſinè facultate præcipitare potuiſſet? & quis eſt iſte, qui imaginem DEI vivi præcipitare poſſet? non poterit facere, nisì nos ipſi obliteremus imaginem, & cum illo in perniciem noſtram conſpiremus.

Hactenus licuit mihi vobiſcum colloqui; nunquid pulſatum eſt *ad ſcholas primâ vice?* avocor neceſſariò, & cras eſt feſtum, in quo pleniùs occupatus ero. Itaque non exiſtimo me tempus habiturum plura ſcribendi, ſcribam autem proximâ commoditate; & Fratri chariſsimo *Cantenſi*, cujus me litteræ plurimùm delectârunt, & gratias ago DEO meo, qui inſpiravit illi ætati tam bonam mentem. Accepi ab illo imagines, agnos DEI, & Reliquias S. P. N. Ignatij, magnum theſaurum, pro quibus habeo illi magnam gratiam. Saluto omnes vos ex animo meo intimè in Chriſto JESU. Poſtremum erit, ut R. P. Rectorem & *P. Aquenſem* humiliter exoretis, ut condonent mihi hoc tam longum ſilentium, cujus potius culpæ adſcribant, quàm oblivioni ſuorum in me meritorum. Omnium veſtrum precibus me commendo. Valete. Pragæ, 26. Februarij An. 1575.

Edmundus Campianus.

Ejusdem ad eosdem II.

CHariſſimi in Chriſto Fratres. Etſi hominum mores multò minùs apud vos ponderis, & momenti habere debent, quàm ille ſpiritus, qui abſque verborum ſtrepitu in auribus veſtris loquitur; tamen nè hoc quidem charitatis genus inutile, aut ſupervacaneum eſt; erit pietatis veſtræ, fraternam hanc Epiſtolam teſtem amoris, & officij mei benignè (quod ſoletis) accipere: non enim quaſi vobis incitamenta deeſſent, qui quocunque pergitis, vehementes aculeos virtutum omnium circumfertis, ſed ut mihi potiùs ex hac uſurâ temporis, quâ vos alloquor, quædam calcaria ſubminiſtrem, útque veſtri memoriâ, ſvavitatéque perfundar, & meam in vos teſtificer voluntatem, has litteras exaravi. Atque utinam, quod ego dico, & vos facitis, illud vos mihi diceretis, & ego facerem! Scio enim, quanta ſit libertas in obedientia, quanta jucunditas in labore, quantæ in oratione deliciæ, quantum in humilitate Regnum, quanta in conflictione pax, quanta nobilitas in patientia, quanta in infirmitate perfectio. Sed has virtutes in uſum, & actionem reducere, hoc opus eſt, & hoc veſtrum eſt, qui glorioſis curriculis Paradiſi quædam ſpatia

tia

Digitized by Google

tia conficitis in terris; ego, ùt ille dixit, quà potero ſequar, non paſſibus æquis. Omnino igitur (charisſimi Fratres) vita nobis non ſufficit, quâ Chriſto gratias agamus, qui tanta nobis myſteria patefecit. Quis noſtrûm credidiſſet, niſì ab illo vocatus in hanc Scholam, & inſtitutus fuiſſet, tot ſpinas, tot fæces, tot miſerias, tot tragœdias in hoc mundo ſub falſis nominibus honorum, ac voluptatis deliteſcere? quis putâſſet, culinam veſtram Palatio Regali antecellere, pulmenta veſtra convivijs omnibus, moleſtias veſtras aliorum dulcedini, pugnas veſtras illorum triumphis, atque victorijs? Etenim rogo vos ſi (quod iſti tantopere cupiunt) omni vitâ ſpectaculis, & varietate locorum, ac hominum paſceretis oculos, num oculi veſtri pingveſcerent? ſi aures rumoribus, eſſéntne pleniores? ſi mentem cupiditatibus, eſſétne ditior? ſi carnem dapibus, num fieret imortalis? Hæ tenebræ eorum, qui addicti vanitatibus, neſciunt, quid ſit beatè vivere. Putant enim, cùm ſpectant, & exſpectant grandia, ſe multùm profeciſſe, neque tamen centeſimus quiſque, quod ſomniavit, aſſequitur. Et ſi fortè quis aſſequitur, tamen poſtquam ſubduxit rationes, & curarum ſarcinam, eventus lubricos, ſædiſsimam ſervitutem, timores, inſidias, cruces, faſtidia, rixas, nequitias, numeravit, quæ unà ſemper habitant, ſempérque divexant amatores mundi, ſinè dubio inveniet ſemetipſum turpiſsimum, atque egentiſsimum eſſe mancipium. Itaq; unum veſtrum ſuſpirium, quo cælum anhelatis, præſtat illorum perpetuis clamoribus, quibus hæc lutulenta comparant: una veſtra colloqvutio, cui interſunt angeli, ſuperat iſtorum congreſsiones, & impura ſympoſia, in quibus pocula propinant dæmones: una veſtra diecula, quam DEO conſecratis, dignior eſt illorum ætate universâ, quam profundunt in luxu. O Fratres! currite, quò cœpiſtis, & Divinam erga vos bonitatem, veſtræque conditionis dignitatem recognoſcite. Eſtné ulla Principum, aut Imperatorum purpura, ulla majeſtas, ulla jucunditas, quæ veſtrum decus, atque ſolatium non dicam exæquare, ſed adumbrare poſsit? illi (de bonis loquor) cum ſuis impedimentis ſub Chriſto Duce militant; vos omnibus liberati cum Diſcipulis in conſortium Domini familiare vocamini; illi in Regiam admittuntur, vos in cubiculum; illi ad opportuna pabula, vos ad cellaria refertiſſima; illi ad amicitiam, vos ad oſculum; illi ad gazam pretioſam, vos ad theſauros intimos. Cogitate, quantis difficultatibus etiam illi, qui laudabiliter vivunt in hoc depravato ſeculo, premuntur, & tum faciliùs ſtatuetis, quantum Divinæ miſericordiæ debeatis, quæ vos in Societatem ſuam ex infinitis periculis vindicavit. Quàm ægrè ſequuntur Chriſtum properantem, hoſtéſque debellantem, ij, quibus in ſinu ſedent fæminæ, in humeris liberi, in dorſo prædia, in capite ſolicitudines? quorum pedes catenulis illigantur, ſpiritus propemodum ſuffocatur? Eſtné inſignis veſtra felicitas, quos Rex adjunxit ad latus ſuum, quos texit paludamento ſuo, quos veſtibus induit, & honeſtavit

vit ſuis? quid magni eſt, ſi meos Amiculos pro illo deſerui, cùm ille pedes Judæ proditoris laverit? quid mirum ſi meis Patribus obtempero, cùm ille Pilato morem geſſerit? quid grande, ſi pro ipſius honore quippiam portavero, cùm ille pro mea ſalute crucem bajulârit? quid indigni, ſi peccator reprehenſiones fero, cùm ille innocens maledicta, ſputa, flagella, vulnera, mortem ſit perpeſſus? Itaque quoties in hoc ſpectaculum intuemur (Fratres) toties manifeſtè deprehendimus, nîl eſſe oportere neque tam dulce, cujus illecebris, neque tam aſperum, cujus horrore ab hujus Domini complexibus divellamur. Proceſſit mihi, ùt videtis, hæc pagella, homini ſatìs occupato. quocirca maturum arbitror, ut me reprimam, & vos remittam ad illum Doctorem, qui ſuâ infuſione ſacratiſſimâ hæc multò fortiùs in animis veſtris inſonat. Illum audite, quoniam verba vitæ æternæ habet. Ego, cùm meâ ſponte libenter, tum ex mandato *R. P. Pauli Rectoris noſtri*, qui Brunenſem Domum peculiari quodam amore proſequitur, eripui libentiſſimè tempus hoc è negotijs meis, ut vobiſcum verba facerem. Sed & *Collegium Pragenſe*, quod vos unicè diligit, eodem hoc ſcripto ſuam in vos benevolentiam indicari, & plurimam ſingulis vobis adſcribi ſalutem voluit. Ad me, quod attinet, non ſolùm vos, ſed etiam veſtigia veſtra Sanctorum pedum, quæ impreſſiſtis, exoſculor, quæſóque à vobis, ut eleemoſynam aliquam mihi miſello & inopi ex veſtris fragmentis largiamini. *R. P. Rectorem* officioſiſſimè ſaluto, reliquóſque PP. & FF. qui vobiſcum degunt. Seorſum præterea *R. P. Aquenſi, & M. Franciſco* magnam habeo gratiam, & me totum offero, qui me aliquoties in ſuis literis humaniſſimè ſalutârunt. Valete. Pragæ, 10. Calen: Martij 1577. Ex mandato R. P. Rectoris, & Collegij Pragenſis.

R P. Paulus Hoffæus Rector Pragæ.

Veſter in Chriſto ſervulus.

Edmundus Campianus.

Geſta Campiani Pragæ

Hæc erant *Edmundi* eo tempore vota, hæc deſideria, hæc ſtudia, in quibus eum Divina Providentia educabat, atque ad glorioſiſſimam mortem nihil minùs id temporis cogitantem præparabat, neque dubium mihi eſt: ab ejuſdem Viri conſortio reliquos etiam *Pragenſes Socios* inarſiſſe. Porrò præter *Rhetoricam*, quam docebat, *Latinas Conciones* ad eruditiſsimas aures habebat, cùm interea domi matutinus eſſet ſociorum excitator, & viliſsimus in culina, & mediaſtinorum officijs manus paratiſsimas cõmodaret; idem erat *Sodalitatis Præſes*, idem *Contubernio Juventutis Præfectus*, idem *Orator extemporaneus* in Roſtris, idem in theatro *Poëta*, idem omnia, ut ſocij pro miraculo haberent, unum hominem tot, & tam diverſos labores ſuſtinere. At *Campianus*, cùm novus aliquis imponeretur labor, quærere ex *Superioribus* ſolebat: utrúmne crederent, ſatìs ſibi adeſſe facultatis? quod ſi annuiſſent, nihil

Digitized by Google

nihil ampliùs cunctatus exequebatur omnia, plus de ſe *Rectori ſuo* credens, quàm ipſemet ſibi: *Rhetoricâ* aliquot annos docendo emenſâ, *Logicam*, mox etiam *Phyſicam* profeſſus eſt, denique toto *ſexennio*, quo *Pragæ* vixit, *datatim*, ut Plautinè dicam, jam ad ſcientias, jam ad virtutem diſcipulorum animos conformavit, tantâ fælicitate, ut vitâ, & cohortâtionibus plurimos ad vitæ Religioſæ amorem incitaret, dicendo, & docendo omnes in admirationem ſui traduceret; laudavit *Edmundi* facundiam frequens *Regni Nobilitas*, atque ipſemet *Rudolphus Cæſar* auditor præconium tribuit; *Archiepiſcopus Pragenſis Antonius* (qui *Pragæ Edmundum* Sacerdotio initiârat, & habebat intimum) jucundè dictitabat: *à Wikleffo Anglo omnia Bohemiæ mala proveniſſe* (Huſſi, & Hieronymi Pragenſis ætatem, & hæreſin reſpiciebat) *DEUM de Anglo homine providiſſe rurſus* (Edmundo videlicet) *qui illa Bohemiæ vulnera perſanaret.* Ecce autem in hac celebritate famæ florentem *Campianum* A. 1580. Summi Pontificis juſſu *Roma* evocat, inexplicabili *Pragenſium* omnium dolore. Narrant eâ nocte, quæ abitum *Pragâ Campiani* præceſſit, *Jacobum Gallum* Virum pium, & ſimplicitatis antiquæ, clam dormientis *Campiani* cubiculo inſcripſiſſe: *P. Edmundus Campianus Martyr*: prædictionem, aut quidquid illud divinationis fuit, probavit eventus. Quæ deinde geſſerit per iter, & in *Anglia* ſua *Edmundus*, laudati Authores proſequuntur; captus tandem ab hæreticis, damnatus, raptatus, ſuſpenſus, ſemivivus de furca dejectus, uſitata *Martyribus Anglis* ſupplicia invictâ mente pertulit An. 1581. 1. Decembris. Elucubravit *Pragæ Campianus* inter tot occupationes ſuas quædam *Opuſcula*, atque audeo dicere, paucis exceptis (inter quæ ſunt *Proteſtatio ad Reginam*, *Rationes X. oblati Certaminis*, aliáque paucula) reliqua omnia, quæ vel *Turnerus*, vel *Petra ſancta* Noſter *Campiani* nomine vulgârunt, ſub *Cœlo Pragenſi* concepta primùm, & ſcripta fuiſſe. *Cubiculum*, quod aliquot annis inhabitârat *Campianus*, quamdiu *vetus Collegium Pragenſe* ſtetit, ejus effigie in Ara poſitâ (quod ego ipſe memini) ſemper fuit in honore; *Sereniſſimis Archiducibus Auſtriæ, Legatis Regum, & Principum*, quoties Collegium noſtrum *Pragenſe* ſubirent, genua ponentibus, & *Campianum* in Cœlo venerantibus. Ego privatim, & mecum nonnulli in hac *Bohemiæ Provincia* gratulamur, *Nos* ab inſtitutione *Campiani* lineâ rectâ deſcendere; ſuus etiam eſt ingenijs partus, ſuáque doctrinæ ſucceſſio; quod, ut demonſtrem, *Genealogicas Tabellas* imitabor:

Pragæ Cāpianus ſexennio vixit.

Lucubrationes Campiani.

Genealogia doctrinæ à Campiano deducta.

Edmundus Campianus S. J. Rhetorices Pragæ Profeſſor.
Edmundi Diſcipulus Pragæ: *Jacobus Pontanus S. J.*
Jacobi Pontani Diſcipulus in Bavaria *Matthæus Raderus S. J.*
Mathæi Raderi ibidem Diſcipulus *Jacobus Bidermannus S. J.*
Jacobi Bidermanni ibidem *Joannes Lupius* Soc: JESU, qui *Rhetoricam Pragæ* An. 1628. in Collegio S. Clementis pluribus conſequenter Annis, &

Digitized by Google

Brunæ An. 1633. docuit, ac plurimos è Societate noſtra Diſcipulos numeravit, à quibus & *Ego*, plurimíque alij ejuſdem doctrinæ (ùt ità loquar) filij, rite procedimus.

Campiani ſublimis character Eloquentię

Hoc velut additamentum appono: omnia quæ à *Campiano* ſunt, quendam prorſus Regium Eloquentiæ characterem habere, & altiſſimum, paucíſque imitabilem Genium ſpirare. Sume in manus, oro, *X. rationes oblati Certaminis*; quæ ſi in Bibliotheca Tua deſiderantur, obvium *Henrici Caniſij Tomum I. Antiquarum Lectionum* inſpice, & in eo *Campiani ad Richardum Cheneum Epiſcopum Gloceſtrenſem* Epiſtolam perlege, quam Epiſtolam *Vir ille Clariſſimus* velut pretioſiſſimam ſemper in theſauris habuiſſe teſtatur; profectò ipſe ego, ſi alienus à *Romana Eccleſia* forem, ſecuritatis æternæ gratiâ, ab ea amplectenda continere me, eámque averſari non poſſem.

Pag. 123. Tom. 1. antiq. Lect.

§. CXIX.

P. Chriſtophorus Spotecus S. J. Stocholmiæ in Svecia cum alijs tribus è Societate noſtra, captus, tortus Religionis odio, in vinculis moritur.

An. 1601. 14 Junij.

Spotecus Pragæ in ſtudijs educatus.

CHriſtophorum Spotecum jure quodam poſtliminij in *Bohemiam* traho: educatus *Pragæ* in contuberno *S. Wenceslai* (quod non ita pridem Catholicorum Procerum, præcipuè *Lubkovicorum* beneficentiâ excitatum erat) primus omnium Alumnorum ejus Contubernij legitur, meritóque illa egregia juventus gloriatur à Martyris nomine *Album* ſuum inchoari, & in capite Libri ſui, ſcriptum eſſe *Spotecum*. Natus erat *Zagorovia in Majore Polonia*; *Pragam* ad ſtudia literarum cùm veniſſet jam adultior, uſquè ad Philoſophiam pertendit, & omnium Examinatorum ſuffragijs *Lauream Philoſophiæ Pragæ* conſecutus, in Patriam revertit & quòd ſe ad Societatẽ noſtram vocari ſentiret, ætatis anno circiter 27. admiſſus eſt. Sacris jam initiatus *Derpatum* in *Livoniam* mittitur, quo An. 1601. Januarij Menſis initio à *Carolo Sudermanniæ Duce*, proditione capto, *Spotecus* cum Socijs in poteſtatem venit, donatúſque eſt *Chriſtophoro Somero* Svecicarum copiarum Duci, infeſtiſſimo Nominis noſtri; explicari non poteſt, quanta ibi ærumnarum ſeges obtigerit *Socijs*, quantum colaphorum, verberum & vulnerum, quæ ludibria, quàm amaros ſales (cùm quotidie adſtarent *Somerij* epulantis menſæ) famentes devorarint, plerumque cogebantur ſclopos, aliquando haſtas oblongas circumferre, equitare ſtultorum habitu, ſtultiſſimè, *Sommerio* (quod recuſabant) jam riſum, jam fletum, jam cantum, aliáque indigna imperante, tortos fuiſſe, pro libitu, ad pudorem nudatos, affirmat *Alegambe*. Ut rem in pauca conferam, *Rivaliam* ſemper in vinculis, inde in *Finlandiam*, pòſt paulò

Spoteci mors.

Alegambe ad A. 1601. in Mortib: illuſtribus.

Digitized by Google

paulò *Stockholmiam* translati ſeptem ſocij, miſerijs & ærumnis peſte contra-ctâ, quatuor & ex ijs *Spotecus* omnium primus Junij 14. in ſumma egeſtate miſe-re cruciatus deceſſit: aliorum ſociorum mortes commemorare mei inſtituti non eſt. agit de his quem dixi, *Alegambe*, & noſter *Tannerus*. *Aleg. l. cit. Tann. in noc. Milit.*

§. CXX.

Adamus Markowsky Nobilis Polonus, à Glacenſibus hæreticis ob Catholicam Religionem necatus crudeliter.

ADamum Markovvsky Equeſtris ordinis Virum in Polonia, *Martyrem* (legitimâ authoritate deſtituti) appellare non poſſumus, id ſolùm aſ-firmare, & conteſtari fide hiſtoricâ licet: eum ex odio Catholicæ Re-ligionis occiſum. Res ſic contigit, quam hæretici Scriptoris *Ælurij* qui tum aderat *Glacij* cùm cædes facta eſt, teſtimonio comprobabo, ut veritas vel ex inimicis pateſcat: Anno 1604. duo Poloni Nobiles, qui pietatis cauſsâ, in habitu *Peregrinorum*, *Compoſtellæ S. Jacobi Apoſtoli Sepulchrum* inviſerant, in Patriam ſuam *Poloniam* recto itinere per *Glacium* redibant; nihil illi de hæ-reticis *Glacenſibus* inaudierant, ſed Urbem Catholicam rati, *Parochialem B. Virginis Eccleſiam*, ſic ut erant, cum baculo, cucurbitâ, conchylijs, aliiſque peregrinorum Inſignibus ingrediuntur; eo ipſo tempore *Prædicans*, (ut vo-cant) dicebat ad populum; (erat Dominica 20. poſt feſtum SS. Trinitatis) vident Peregrini in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, *Sacellum S. Jacobi*, à Rhodijs Equi-tibus An. 1503. nondum hæreſi *Lutheri* exortâ conditum; ad illud feruntur, ponunt genua, precatorias *Coronas* in manus ſumunt, orántque; *Populus Gla-cenſis hæreticus*, qui obſervârat ingreſſos, velut viſis manifeſtæ idololatriæ in-ſtrumentis con[...]rgit, fit populi murmur. An *Prædicans*, qui hæc ex ſupe-riore loco videbat, vocem aliquam dubiam adversùs Peregrinos emiſerit, non habeo dicere, hoc certum eſt, facilè oratione ſuâ populum officij admo-nere potuiſſe; nihil minùs factum: murmur populi vociferationes excipi-unt, *nequam Papiſtas in concione adeſſe, eijciendos, & tollendos è medio.* Re-ſpectant Peregrini, vident ſe omnium oculis deſignari & confici; conſurgunt protinus, & curſu egreſſi ſalutem quærunt in fuga; plebs furioſa ſe ejicit Templo, fugientes ſequitur, ſaxis conſectantur; prior Peregrinus (cujus no-men ignoratur) graviſſimè ſaucius, evaſit tamen ex Urbe, & inter arbuſta la-tuit; alter (quem *Markovvsky*, vel *Markufsky* appellatum diximus) à ple-be furente deprehenſus plurimis vulneribus conciſus, & pro mortuo relictus, cùm in viciniſſimum pagum *Halbendorff* neſcio quorum hominum miſeri-cordiâ deportatus eſſet, inter *JESU & MARIÆ* nomina paulò pòſt expi-ravit. Erat grave periculum cæteris quoque in *Urbe Catholicis* concitato ſe-

A. 1604. 2. Maij.

Ælur. in Glaciogr. C. 3. ſect. 1.

Seditio populi Glacẽſis excitatur in Peregrinos Catho:

Markovſky occiditur.

Digitized by Google

mel in rabiem populo, & maximè *Collegium Soc. JESU*, quod ante Glacenſe Caſtrum eo tempore ſtabat, à ſeditioſis monſtrabatur, ſed Conſulis, & Senatûs authoritate ſeditio conquievit. Crudele facinus ad *Cæſarem Rudolfum Pragam* delatum; conjecti in Carceres ſeditioſi, cùm nemo qui necem intuliſſet, nominari, in tanto tumultu, poſſet, uſquè ad An. 1611. carceribus detenti, tandem 2. Maij *Brigenſi Duce* apud Cæſarem agente, dimiſſi ad ſuos redierunt. Corpus *Adami Eccleſia Glacenſis* hodiéque ſervat, *oſſa* ſcilicet ſuperſunt, quæ ego memini pridem oſculo honorâſſe.

§. CXXI.

Quatuordecim Religioſi Patres, & Fratres ex familia S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ in Cœnobio Pragenſi ab hæreticis occiſi; tres item in Carlovienſi Cœnobio Canonici Ordinis Sancti Auguſtini.

1611. ANno Chriſti 1611. 17. Februarij, crudelis laniena *Pragæ* peragitur *Ziſcæ* infandi Cyclopis, & Taboritarum exemplo poſt duo ſæcula renovato. Extrema fæx hominum *Urbis Pragenſis* tum hæreticæ, dum *Paſſavienſis* Exercitus (de quo eorum temporum hiſtoria) *Minore Urbe Pragenſi* captâ, *Antiquam* fruſtra oppugnant, collecti, prætextu quæſito, quòd ſeſe in Cœnobijs Religioſorum *Paſſavienſes* occultarent, re verâ Religionis odio, ùt omnibus conſtitit, *Cœnobium Eccleſiæ B. Virginis ad Nives* adſitum, invadunt; Cellæ, Porticus, Turris, præſertímque ipſa Eccleſia, innocenti *Franciſcanorum* ſangvine redundavit. *pro telo geritur, quidquid ſuggeſſerit ira*, gladijs, haſtis, ſudibus præuſtis, tribulis ferro intectis, emiſſis è bombardis globis, quatuordecim crudeliſſimè peremti ſunt, amaro convitio: morerentur Catholici nebulones, quos ipſe eorum DEUS, quem in Euchariſtia latêre ſibi ſtultè perſvaderent, deſereret; & ferebat tum, ut ſubduceret cum *Ciborio* (ùt in Templis vocant) *Euchariſtiam* unus è Sacerdotibus, cui hæretici *Calviniano Spiritu* ebrij, utramque amputârunt manũ, *hoſtias ſacras* effuſas (proh nefas!) pedibus conculcantes. Cruentum facinus neque hodie aboleri poteſt, ſangvine in parietibus quaquaverſum etiamnum lucente. Referunt, ſepulchro Martyrum poſt quinque annos aperto in *Sacello Sancti Michaëlis*, corpora apparuiſſe vivida, recentia, plena ſucci, & ſangvinis, & cœleſtem quendam odorem ex ſeſe ſpirantia. Paulò poſt cædem, cùm vacuum cultoribus Cœnobium ſtaret, videbantur noctu in Eccleſia accenſa lumina, exaudiebantur voces pſallentium (ipſis etiam hæreticis audientibus) & mediâ nocte *Matutinum*, DEO laudes canebantur; auſus curioſior quiſpiam

Simeon Euſtach. in hiſtor. Sedlec:

Cœnobiũ B. V. Mariæ ad Nives vaſtatur.

Claud.

Crug. ad 17. Febr.

Miracula poſt cædẽ.

Digitized by Google

am explorare, quid ageretur, & per rimam, quæ in Eccleſiæ janua hiabat, inſpicere, vidit eoſdem *SS. Martyres*, quos nuper de facie nôrat, luminaria præferentes, & Divinos hymnos canentes, *Eccleſiam* ſolenni ritu obire; indicabat forſitan Divinitas, quantum cœleſtis illa Religioſorum Virorum Pſalmodia numini placeat, quam abſentibus Fratribus vel mortui peragerent; fòrs etiam ipſis, qui canebant, teſtimonium innocentiſſimæ mortis dabatur; non enim niſì chari DEO ſpiritus, DEO laudes decantant. Hæc de *Cœnobio ad Nives*; exquiſitiora & nequiora, licet in pauciores, in *Canonicos Regulares S. Auguſtini in Cœnobio Carlovienſi* edita ſunt crudelitatis exempla: In Eccleſia ipſa *Religioſum Clericum*, in ambitu *Converſum*, ùt vocant, confecerunt; *Abbati*, ſeu *Præpoſito* in triclinio deprehenſo, ab eadem impuratorum hominum fæce (fæminis hæreticorum, conſumto ſcilicet omni pudore, adſtantibus, & indignis illi ſexui convicijs inſultantibus) primùm exciſa virilitas, tum pedes, deinde manus amputatæ, tandem (tormenti ſæviſſimum genus!) cùm in coronam Sacerdotali more attonſum caput viderunt, è vertice pellis tota detracta, quo in tormento ſpiritum exhalavit; nemo dubitavit unquam hæc omnia ſupplicia, odio ſanctiſſimæ Religionis irrogata; id convitia, & maledicta, ìd ipſimet, qui agebant, id denique ipſa tormenti genera ſatìs oſtendunt. Parabant in *Slovanenſe Cœnobium*, *in Wiſſehradenſes Canonicos*, *in Societatis JESU Collegium ad S. Clementem*, *in Monaſterium Conventualium ad S. Jacobum* irrumpere, & mortes mortibus augere; primos, & ſecundos latebræ texerunt; *Societatis JESU Collegium* turma Equitum è Nobilitate Bohema collecta, Duce *Georgio Wratislavv de Mitrovitz* defendit, & equeſtri procellâ venientes turbavit, à *Conventualibus* verò vim omnem, *tribus lanionum Pragenſium* ſtrictis ſecuribus armata prohibuit.

In Cœnob: Carlovienſi hæreticorū rabies.

§. CXXII.

P. Joannes Ogilbæus Scotus S. J. occiſus in Scotia Glasgvæ A. 1615. 10. Martij.

HUnc Virum fortiſſimum, & odio Religionis in Patria cæſum, *Bohemiæ* aut *Moraviæ* imputare non poſſum, niſì quatenus illum *Novodomenſe Collegium in Bohemia* (ubi Rhetoricam jam ſocijs adſcriptus audivit) aut *Olomucenſe* apud Moravos (ubi ad initium Anni 1609. *Theologiæ Morali* operam dedit, & *Contubernio Majorum Convictorum Magiſter* & Theologus Scholaſticus præfuit) educavit in ſtudijs Literarum. Semper virtutes heroicas & quandàm animi firmitatem etiam in ea ſtudiorum occupatione præferebat *Ogilæbus*, ſed mors pro Religione fortiſsimè tolerata, Virum maximè celebrem reddidit & glorioſum. An. 1610. *P. Joannes Elfenſtonus*

A. 1615. 10. Martij.

M.S. Collegij Novod. Archivum Provinciæ Boh. S. J. Ogilbęus in hac ſocietatis Provincia vixit

ſtonus Socio *Joanne Ogilbeo* menſe Auguſto *Olomucio Pariſios* diſceſsit, ac poſtea Sacerdos in *Scotiam* ad Catholicos confirmandos remiſſus eſt. Jam quatuor propè annos in eo obſequio ſanctiſsimè verſatus, proditione captus & *Glaſci* ſuſpendio necatus eſt. Vitam ejus innocentem, virtutes religioſo homine dignas, tormenta omnia & mortem læto & invicto animo toleratam *Alegambe* & ex eo *Tannerus* latiſsimè deſcribunt. Ego quiddam adjiciam, quod illos ignoraſſe ſcio. Anno 1656. & ſequentibus in *Collegio Novodomenſi* ſtudijs Magiſtrorum noſtrorum *Rhetoricam repetentium* præeram, itabam per eos annos frequenter dimidiati diei itinere *Trĕbonam* ad Gubernatorem loci *Joannem de Eckersdorff* Baronem: fortè evênit, ut ſuper menſam, *Angliæ*, aut *Scotiæ* (non enim rectè memini, cùm anni ſint facilè ſeni ſupra vicenos) mentio fieret, hîc *Gubernator* debere ſe *Scotiæ* ſalutem ſuam clarè profitetur; mirantur dictum convivæ, ego cauſſam ſciſcitor, reſpondit: propter beatum illum in *Scotia Martyrem Ogilbæum*, quo homine fortius & conſtantius mori quempiam nè quidem in acie vidi. Pergit: Juvenem inquit me, Parentes hæretici ex *Piccardorum ſchola* in alienas terras miſerant, *Genevâ & Galliâ* totâ peragrata in *Angliam* navigo, inde in *Scotiam*: mirabili DEI providentiâ accidit, ut *Glaſguam* venirem pridie ejus diei, quo P. *Ogilbæus* afficiendus erat ſupplicio; hoſpes me ad ſpectaculum diei ſequentis invitat; adeſt tota Civitas, producitur *Ogilbæus*, præſentíque animo ſcalas aſcendens, in eo aſcenſu orans & Catholicos ſi qui adeſſent, confirmans, tandem *coronam precatoriam* me ſpectante in populum jecit. Res mira! Corona illa precatoria rectiſsimè in caput meum incidit, & collo inſeritur, omnes certatim (ſinè dubio *Catholici*) coronam ſibi poſcebant; ego dum turbâ premor, velut ſacrilegio contactus, propere coronam excutio, méque à permoleſta concuſsione, expedio. Ita tum diſceſsimus; at poſtea per otium cogitanti ſemper ſe offerebat illud: cur in me unum *corona* incidiſſet, quid hoc ſibi vellet? Occurſabat ſimul invictus *Ogilbæi* pro Religione Catholica morientis animus, aliáque hujusmodi; hærebat, inquam, ille aculeus totâ illâ peregrinatione & in Patria multis annis, dum tandem à *Societatis veſtræ* (me appellabat) *Patribus* probè inſtructus ad Catholicam Religionem accederem. Adjecit: Utinam nunc illa *Corona Beati Patris Ogilbæi*, quam tunc hæreticus abjeci, venalis foret, profectò nulli pretio parcerem, quo eam mihi comparare liceret! hactenus *Viri Illuſtriſſimi* ætate, authoritate, & prudentiâ Magni, & apud *Sereniſſimum Archiducem Leopoldum*, *Ferdinandi III.* Cæſaris fratrem, gratioſi, totíq; ejus Aulæ acceptiſsimi narratio.

Mira narratio de Corona precatoria Ogilbæi.

§. CXXIII.

Digitized by Google

§. CXXIII.

Joannes Erneſtus Schoſſerus Auſtæ in Urbe Regia Primas ob Religionem Catholicam hæretico-rum conjuratione crudeliter trucidatus.

SChoſſerum in illo hæreticorum Procerum Regno A. 1618. *Auſtenſes* conjurati, non tam confecêre vulneribus, quàm odio Religionis inter manus lacerarunt. Juverit ad rem perſpiciendam penitùs, *Vitæ Schoſſeri* ſeriem, quantâ fieri poterit, brevitate completi, & à capite primíſque initijs narrationem auſpicari; præſertim quòd hæc quæ referemus, paucisſimis hodie viventium nota ſint, magno conatu hæreticorum abolita, cùm tamen documentis legitimis (quæ mihi ſponte venerunt in manum) comprobari omnia poſsint. Natus eſt *Schoſſerus Frankofurti ad Oderam* priore ſæculo Patre Viro inter ſuos primario, & quod mirêre, Catholico; inſuper honoratum officio in *Electoris Brandeburgici* Aula vixiſſe tradunt; mors immatura abrupit omnia; mortuus parvos liberos cum Conjuge, quæ Calvini placita ſequebatur, omni auxilio deſtitutos, reliquit. Non licebat per leges illic locorum hæreditatem paternam, niſi *Lutherum*, aut *Calvinum* profiterentur, adire: ad id præſtandum etiamnum *Pueruli* adigebantur; vide mihi animi firmitatem, & fidei quàm à Patre didicerant conſtantiam! exulare & ignotas terras ſequi maluerunt, quàm Religionem mutare! ergo exules mendiculi *Glogoviam majorem* petunt; ibi *Chriſtianus* natu minor remanſit, *Joannes Erneſtus* major, *Pragam* uſquè decurrit. Studia literarum apud Nos exorſus cantando ſub feneſtris Civium, obſonabat famem, & vitam inter preces miſere trahebat, ſomnum verò nocturnum in vaſis, quæ plurima Pragæ, ante Domos & braxatorias (ut vocant) officinas jacere ſolent, renovato *Diogenis* exemplo, capiebat. Evênit aliquando bonâ fortunâ, ut *Guilielmus Slavata* Vir Catholicus (quem poſtea *Summum Regni Cancellarium Bohemia* habuit) prætervеheretur, ad *Miſſam de B. Virgine in Aurora*, quam *Rorate* vocamus, in *Templum* properans, hic audito in vaſe ſtrepitu, jubet, quid illo in vaſe lateat famulos explorare; extrahitur ſemiſomnus ex vaſe *Puer*, quem cùm ipſe *Dominus* ad ſe adductum rogaſſet, quis eſſet, quid ageret? & ex promtiſſimis & paratiſſimis reſponſis *Pueri* ingenium animadvertiſſet, comperto præſertim *ſtudioſulum, rerum omnium egentiſſimum* (cui hominum generi præcipuè, *Slavata* comodum ſe & benignum præſtare ſolitus erat) miſericordiâ ſuo generi innata animum ſubiit, juſsítque *Puerum* ad ſe domum adduci; ex eo jam tempore *Schoſſerus* apud *Slavatas* domeſticus fuit: victus, veſtitus, lectus, libri, aliáque neceſſaria omnia liberaliter *Puero* præbebantur, cúmque ingenij & diligentiæ merito inter Condiſcipulos emineret, amatus à Do-

1618. 20. Novembris.

Schoſſeri prima ætas

Puer hæreditatem paternam amittit Religionis Catholicæ causâ.

Summa in ſtudijs egeſtas.

Puer apud Guilielmũ Slavatam educatur.

Digitized by Google

Domino, excultus, & bene ornatus procedebat in publicum; denique cùm id ſibi placere Domino ſignificaſſet in alias Academias procul miſſus eſt Slavatâ in viam largiſſimè ſumtus ſuppeditante. Academiarum ſpatijs ſummâ comendatione ingenij decurſis, ſuo jam cortice natare *Schoſſerus* incepit, idque facilè fuit homini, qui in utriusque *Juris* ſcientia maximos feciſſet progreſſus, & in cauſſis regnaret; diu hoc fuit, ſic ut celebris Juriſconſulti nomen obtineret, quo merito *Sereniſſimus Archidux Leopoldus Rudolfi II.* frater, idémque *Paſſavienſis Epiſcopus*, ad ſe *Schoſſerum*, ſtipendio liberali conſtituto, à *Conſilijs* ſibi eſſe voluit, multóſque ibi in *Principis Aula* annos honoratiſsimè conſumſit; ſed jam tum quietem aliquam reſpiciebat, & in *Bohemiam* quaſi alteram *Patriam*, aut certè *Nutricem* reverſus conjugio ſeſe illigavit, ac denique commendatione omnium, qui hominis dotes noverant, *Auſtæ in Urbe Regia*, id temporis opulentâ & ſplendidâ, *Primatum Urbis*, *Slavatâ* præſertim connitente, oblatum accepit, & conſedit; nec in eo munere eximia Viri probitas, & doctrina deſiderari potuit: *Rudolfo II. Imperatori* primùm, deinde *Mathiæ ac Ferdinando II.* comendatus, propè in familiaritatem Principum penetravit. Carmina *Schoſſerus* non triviali venâ pangebat, quę Typis mandata plauſu Eruditorum excipiebantur, hodiéque perennant: *Conſilia* ejus *Juridica*, quòd ſemper legibus niterentur, fælicisſimè ibant ſub manum. Contigit ut *Mathias Imperator, & Ferdinandus II. Rex Bohemiæ deſignatus*, *Dreſdam* ad Saxoniæ Electorem *Joannem Georgium* deſcenderent, *Auſtámque* tranſirent, *Schoſſerus* noſter Oratione diſertiſsimâ Principes ſalutavit; quo facto & Aulæ approbationem, & novum in ſe Principum amorem obtinuit, jámque tum Aulici quoſdam honores Viro deſtinabant, niſi paulò pòſt exorta hæreticorum *Rebellio*, & cædes pro Religione tolerata, quam nunc narrare aggredior, ſcenam illam plenam Dignitatis clauſiſſent.

Confectis ſtudijs ad Aulam vocatur.

Primas Auſtæ conſtituitur.

Nihil in *Schoſſero* eminebat magis, quàm Catholicæ Religionis tuendæ, & proferendæ ſtudium; uno *Schoſſerus* apud *Auſtenſes*, & in ea vicinia ſuſtinebatur Catholica Religio; cavebat ille ſolicitè, nequà ſubleſtæ Fidei Præcones *Auſtam* irreperent, unus ille pervicit, nè Eccleſias occuparent, nè dogmata ſua populo venderent, nè Civibus placerent; cúmque eo ipſo tempore imperatam à *Rege* odioſiſsimam hæretico populo *Reformationem* Civitatis, & ad *Catholicam Eccleſiam* reditum, paulò fortiùs, & intempeſtiviùs (ut quorundam fuit opinio) urgeret, nimirum velut in ſcopum, omnium hæreticorum odia & tela dirigebantur. Viginti quatuor *Civium Auſtenſium* primores *hæretici* fide inter ſe datâ, ſilentio maximo in Domum quandam conveniunt, ac priùs Diris omnibus & execrationibus devoto *Schoſſeri* capite, *Scutellam* locant in medio vini plenam, tum ſangvine è digitis acubus expreſſo, per omnia ſacra in necem *Catholici Primatis*, verbis conceptis jurant, ſimúlque intinctam in vino & ſangvine panis buccellam deguſtant; hoc cruento Furiarum

Ob Catholicæ religionis Zelum conjuratio in Schoſſerum.

Ceremoniæ conjurationis.

Digitized by Google

arum ſacrificio *Schoſſerum* hæretici deſtinabant ad mortem. Non erat ille tam hebes, & rerum incurioſus, ut odia ſuorum Civium ignoraret; videbat, quantumcunque tegerent, in ipſis vultibus animos ferarum, excidebant illis truculenta verba nonnunquam, ſe ſignari unum oculis, & configi perſpiciebat. Ergo ad minuenda odia, quæ per abſentiam, & ſæpe ipſo tempore exſpirant, cauſſam ſuam probaturus, ad *Cancellariam Regiam Pragam* diſceſsit, duóſque Cognitores, ſeu *Commiſſarios* impetravit, qui *Civium* adverſus ſe querelas cognoſcerent, facturum ſe ſatis omnibus pollicitus: venêre *Auſtam Commiſſarij*, & Cives audiêre. *Schoſſerus* prolatis *Regiæ Cancellariæ, & Cæſaris mandatis*, omnia quæ moleſta & odioſa fuiſſent, imperio Majorum egiſſe clariſſimè demonſtravit, ídque etiam *per ſententiam à Commiſſarijs* latam obtinuit teſtantibus: *Schoſſerum* nunquam quidquam arbitrio ſuo geſſiſſe, præter quod in mandatis habuerit. Neque tamen ea *Pronunciatio*, *Conjuratorum* animos flexit, præſertim comperto, quid *Pragæ* actum eſſet (*Slavatâ & Martinicio* ex Senaculi feneſtris in mortem certiſſimam nuper ejectis) impunitatem omnem ſceleri ſuo promittebant; decimam ſeptimam Novembris diem cædi deſignant, quo die tumultu excitato prodirent in publicum. Conſurgitur; ante omnia *Urbis portæ* clauduntur, effringuntur *Carceres*, *Campana Curiæ*, ut in ſummo periculo fieri ſolet, pulſatur; *Conjurati* ſummâ vociferatione ad oppugnandam *Primatis* domum contendunt armati. Videt venientes *Schoſſerus*, & brevi conſilio cum *Sacerdote Ordin: Prædicatorum* (qui tum mirabili fortunâ apud Primatem aderat) capto, *Catenam auream*, quam à Cæſare ſibi donatam gerebat, in *filiolæ* collum (ex cujus ſeniculæ narratione, adhuc ſuperſtitis, hæc minutiora accepimus) injectâ, cum eodem *Sacerdote* evadens ſub tecto ſeſe occultat. Seditioſi jam aucti numero per feneſtras domum inſcendunt, & latibulis omnibus perveſtigatis, cùm reperire hominem non poſſent, Vigilias Domui circumponunt. Latuit eâ die & conſequente nocte *Schoſſerus*, & quia ſe evaſurum ſperare non poterat, Sacerdoti illi peccata diligenter confeſſus ad mortem ſeſe pijs affectibus comparabat; nec eum triſtis expectatio fefellit: Anus quædam hæretica latentis *Schoſſeri* facit indicium: fit confeſtim totâ Urbe clamor, curritur ad *Primatis* domum; primi qui conjuraverant, manus injiciunt, & nihil repugnantem de tecto dejiciunt, & per omnes gradus raptant, detrahúntque in forum cum mille maledictis, ut cauſſam cædis quiſque conjicere poſſet, in Catholicos; *hunc unum eſſe petendum, qui Civitatem ad Papiſticas ſuperſtitiones coëgiſſet, qui conſcientias oneraſſet, qui bonos Viros, & fidei præcones ejeciſſet, &c.* invadunt jacentem omnes; primus *Lanio* quidam à *Schoſſero* ab infantia educatus, & benignè ſemper habitus, inflixit vulnus, tum ſecuti cæteri tanto furore, ut ſe quiſque carnificem eſſe gauderet, pluráque illata ſunt vulnera, quàm *vivens* tolerare, & *mortuus* propè poſſet excipere. *Ducenta*

Schoſſerus à Comiſſarijs iñocens declaratur.

Invaditur Domus à Conjuratis.

Capitur Schoſſerus.

Occiditur.

Digitized by Google

ſeptuaginta aliquot (miror ſuffeciſſe unicum corpus!) numerarunt Pollinctores, qui *Schoſſerum mortuum*, & ſuo in ſangvine ſubmerſum, ſic deformatum, ut vix poſſet agnoſci, tumularunt.

Hunc finem habuit fœdiſſima Conjuratio, quam etſi varijs coloribus excuſare conati ſint Hæretici, ut ex *Apologia II. Ordinum Hæreticorum* patet, tamen id ipſimet fatentur ultro, unicam & potiſſimam fuiſſe cauſſam: quòd adverſus *literas Majeſtatis*, (ut vocant) egiſſet, quòd violentè hæreticos opprimeret, quòd *Papiſmum* in libera Civitate propagaret, & omnibus obtruderet, &c. Percuſſores *Schoſſeri* diverſis mortibus miſerè perierunt: *Lanio* de quo dicebam antea, exuberante proprio ſangvine ſuffocatus interijt. *Epitaphium* quod in Auſtenſi Eccleſia legitur *Perilluſtris D. Joannes Erneſtus à Wolfsberg Schoſſeri* ex filia nepos à ſe deſcriptum, (quod frater *Chriſtianus* ſcripſerat, & ſaxo incîdi curaverat) mihi ſubmiſit, éſtq; hujuſmodi:

Cauſſa mortis.

Epitaphiū.

Joanni Erneſto Schoſſero Emulianadæ ab Embleben Francofordiano, J. Utriusque Doctori, ac Comiti Palatino celeberrimo, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, Divi Mathiæ, nec non Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Leopoldi Conſiliario digniſſimo, Regalíſque hujus Reipublicæ Primati, à Conjuratis interemto in ipſo ætatis umbilico ac dignitatum flore, plusquam Neophalaridæa crudelitate ducentis ſeptuaginta aliquot ictibus (ô fata!) Anno 1618. 20. Novembris, ætatis 44. Quisquis es Chriſtiane Coſmoxene lacrymas lugens ſparge, & animæ DEO, diviníſque fruituræ requiem apprecare æternam; Parcarum certitudine edoctus mortis genus ignorari.

Chriſtianus Schoſſerus ab Embleben,
J. U. Doctor.

§. CXXIV.
P. Melchior Grodecius S. J. occiſus in Ungaria Caſſoviæ An. 1619.

1619. 7. Sept.

Tormenta ab eo tolerata.

Prima ætas Grodecij.

MElchior Grodecius ſeu Grodeczky Tieſſinij in Sileſia nobili & illuſtri loco natus à Calvinianis cum P. *Stephano Pongratz*, & *Marco Criſino, Strigonienſi Canonico, Caſſoviæ* quatuor dies fame, ſiti, alíiſque incommodis, præſertim fidiculis, ac novo ſuppliciorum genere, ſilicem inter & rotam bombardarum interceptis, compreſsis, & dilaceratis, quibusdam corporis partibus (quas nominare pudor vetat) excruciatus, ſanctiſsimæ Religioni vitam impendit An. 1619. 7. Septembris, ætatis ſuæ anno triceſimo ſeptimo, Religionis ſextodecimo. Erat ut ſignificavi, familiâ prænobili, & per *Poloniam*, olim & *Sileſiam*, *Moraviámque* latè diffuſa *Grodeczkiorum*, qui vexilla *Templorum* geſtant in clypeo. Noſter *Melchior Patruum* habebat *Joannem Epiſcopum Olomucenſem*; Cognati, ſeu ſacra munia, ſeu pro-

ſana

ſana ſpectares, opibus & honoribus affluebant, certámque honorum ſpem quocunque ſe verteret, *Melchiori* præbebant, at ipſe rebus & ſpebus omnibus contemtis, emenſo *Humaniorum Diſciplinarum* curriculo circa A. 1604. Societati nomen dedit, & *Brunæ* Tirocinium quod Patrueles ſui *Grodecij* fundarant (quamvis ea fundatio dolo & vi certorum hominum interverſa ſit, ut in *hiſtoria Provinciæ* narravimus) *Brunæ*, inquam ingreſſus; finito, ſummâ ad virtutem contentione Tirocinio *Pragam* An. 1608. ad Philoſophiam miſſus eſt, inde triennium propè in *Grammatica* tradenda *Glacij* exegit; Invenio cum *Grodecio* ad Sacerdotium evehendo properâſſe Majores; maxima videlicet tum erat paucitas operarũ, præſertim qui *Bohemicam* callerent, deinde id ſvadebat ætas ipſa, *Societatem* enim intravit adultior anno jam viceſimo ſecundo aut tertio expleto; itaque *Grodecio* ipſo non invito duobus annis *Theologiâ* de Moribus *Pragæ* auditâ, Sacerdotio initiatus An. 1614. ſtatim adhiberi gerendis rebus cœpit: mittebatur perſrequenter pro concione varijs in Templis dicturus, præſertim ad villas, & *Copaninæ ad S. Mariam Magdalenam* omnibus propè Dominicis & feſtis conciones habebat. A. 1616. Contubernium *S. Wenceslai* educandum & regendum *P. Melchiori* committitur, quod in extrema rerum penuriâ, mirâ, & patientiâ & charitate ſuſtinuit.

An: 1618. ab Auguſto ad Decembrem *Tertium Probationis* annum abſolvit, ſéque optimè comparavit ad mortem. Abhinc velut aptiſsimus ad hæreticos Eccleſiæ conciliandos, *Caſſoviam in Ungariam* Majorum imperio, profectus & *P. Stephano Pongratz* ſocius datus eſt, ibi illa geſta ſunt, quæ latè *Alegambe & Mathias Tanner* Noſtri deſcribunt; denique vitam Sanctiſſimè actam Martyrio clauſit; fame, algoribus & ſiti propè enectus, laceratus membris ubi acutiſſimus & doloris & nuditatis eſt ſenſus, ab hæreticis confectus, facibus admotis, aliíſque tormentis ad *Religionem Catholicam* deferendam pertentatus, cùm nihil efficeretur, impoſitis vulneribus plurimis, & conciſo capite interemtus in cloacam abjicitur; unde poſt aliquod tempus, ejus & ſociorum ſacra corpora extracta, mundatáque, & quindecim ferè poſt annis *Tirnaviam* deportata ſunt. Cædes ejus

Hæc ſuprema ex citatis modò Authoribus, ſuperiora ex *Manuſcriptis Provinciæ Libris* excerpſi; addit in Paralipomenis *Alegambe*: *Antiſtitam Virginei Cœnobij Tirnaviæ* ſanctè teſtari in earum Virginum Templo (ubi *P. Melchior & Stephanus* conditi ſunt) ex eo tempore frequenter Angelicos cantus auditos, ídque juratis teſtibus confirmari poſſe. Plura ejuſmodi mira loco citato leguntur. Miraculum poſt mortẽ.

Digitized by Google

Die 17. Februarij. Iidem *Examinatores* ſecundam in eo exerçuerunt torturam, quæ quanquam acerrima fuit, tamen longè gravior eo nomine, quòd per duas integras horas, etiam ſæpius, ac vario modo repetita duraverit. Tortura ej⁹

Die 18. Februarij, redeunt deputati *Examinatores*, vino fumantes, ac omnes bene poti: *Hartmannus à Puchaim* mandat, ut carnifex Martyrem non candelis, ſed facibus urat. Quibus abſumtis ſtomachabundus carnifex abijcit reſidua fruſta. Hinc à *Stiborio Ziernovvsky*, & à *Benedicto Praſchma* edoctus, ardente pice, reſinâ, ſulphure, denique plumis oleo tinctis horrendum in modum præcordia, ventrem, latera, lumbos, coſtas (quæ ab igne emollitæ ſolo flatu ſolvebantur) ambuſſit, adeò, ut viſcera, quæ clarè videbantur, ægrè intra ſinus ſeſe cohiberent. Taceo, quàm execrabiles artes magicas, in *innocente Martyre* debuerit carnifex exercere: ſiquidem *Calviniſtis* incredibile, atque impoſſibile videbatur, ſolâ patientiæ virtute tanta tormenta perferre, ac non comoveri, ut ad illorum vota reſponderet: ſed omnino putârant *Martyrem* eodem mille artium magiſtro niti, quo illi met erga eum affecti erant: durârat hæc tortura ampliùs quàm ad tres horas. Sum̃a: Vitam citiùs, nedum corpus totum amittere paratus erat *Martyr*, quàm Innocentiæ ſuæ notam inurere, aut *Sigillum Confeſſionis* violare, utì avidè truculenti *Calviniſtæ* flagitârant. *Quartam* Torturam illaturos ſumma Injuſtitia, vel magìs Ignominia, & hominum reſpectus vetuit attentare. Poſt hęc quatuor ſeptimanis in eiſdem carceribus in graviſſimis doloribus patientiſſimè ſupervixerat. Tum 17. Martij obdormivit in Domino, & 24. ejuſdem, (neq; priùs) mandari terræ poterat, prohibente *Lutherano Senatu*, dicentéq; *Puchaimio*: *Meliùs perduellis ad patibulum, quàm in tam ſpectabili loco ſepeliretur.* Tandem poſt dies ſeptem ab obitu, annuente Capitaneo Provinciæ *Lumpenburgio*, ſepultus erat in Parochiali Templo Beatiſſimæ Virginis in Sacello *S. Laurentij Martyris*, ante Altare *S. Barbaræ Virginis*, *&* *Martyris* Anno ùt ſupra 1620. die 24. Martij. Dies obit⁹.

Epitaphium Joannis Sarcandri in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Olomucij, in Sacello S. Laurentij ſaxo inciſum:

REVERENDO DOMINO
JOANNI SARCANDRO DE SKOCZOVIA, PHILOS: MAGISTRO, PAROCHO HOLESSOVIENSI, CHISTI MARTYRI GLORIOSO, FRATRI SUO DULCISSIMO:
Ora pro Fratribus, & tota cognatione Tua B. Martyr!

Epitaph. in Eccl: B. V. quod ei Nicolaus Sarcander frater Canon: Olomuc: confecit.

Habes in hac ſacra Hoſtia ſub hoc ſaxo recondita, Catholice *Lector*, *Laurentianum ſpiritum*, *quem ab Eqvuleo pendentem*, *nulla probra*, *funes*, *nervorum*, *venarúmque rupturæ*, *ignes*, *ſulphur*, *pix*, *adeps*, *ſuperare potuerunt*: *tum ut Theſaurum ſacræ Confeſſionis abſconditum revelaret*; *tum ut fidelem Sacræ* C*æſareæ Majeſtatis Moraviæ Capitaneum Baronem* Poppelium, *perjuris*

liſsimus, & humaniſsimus Vir, *quid*, inquit, *dubitas* Pater? *Carolus Spinola noſter & Veſter, Pragæ, & Matre quidem Bohemâ editus in lucem eſt. id non modò Familiæ noſtræ traditio confirmat, ſed manibus ipſæ literæ tenentur* (*quarum exemplum Genuâ ad Te Pragam perferri curabo*) *in quibus literis diſertè Octavius Pater Caroli, ſuſceptum hunc filium à ſe Pragæ confitetur.*

Carolum pueritiâ egreſſum Pater *Genuam* ad Amicos miſit, ac præcipuè *Cardinali Philippo Nolæ* Epiſcopo commendavit, ubi ille lecto *P. Rudolfi Aquavivæ* apud *Salſetanos* Martyrio tantâ mortis pro Chriſto obeundæ cupiditate exarſit, ut quò conſequi eandem gloriam poſſet, *Societati* nomen dederit. Si vellem, in ejus virtutibus & vita commemoranda diutiùs immorari, paginas implerem, juſtúmque volumen conficerent, quæ de eo Latinè, Italicè, Hiſpanicè, Luſitanicè varij Authores conſignavêre literis, ex quibus *Philippus Alegambe* præcipua quædam in ſuis *Mortibus illuſtribus* exſcripſit. Verbo: invidendâ ſæculis animi firmitate vitam in igne lentiſſimè artus depaſcente, finivit. *In Japonia Nangaſachi* 1622. 10. Septembris.

Lectâ Rudolfi Aquavivæ morte ad Societatem accedit

In igne obijt.

§. CXXVII.

Vitus Weiſman Laicus Soc: JESU. à Tartaris A. 1623. 22. Octobris Czeikovicij in Moravia obtruncatur.

Annus 1623. ingratos hoſpites in *Moraviam* attulit, *Tartaros* videlicet, qui à *Bethleemo Gabore* hæretico evocati, *Comite Turnio* Conſtantinopoli procurante, in Ungariam, deinde etiam in vicinam *Moraviam* aſcenderunt; *Czeikovicium* Collegij Olomucenſis ditio, quò ſe peſte tum regnante, complures è Collegio receperant, ſubitò à *Tartaris* occupatur; evasêre in vicinas vineas plerique Noſtrorum hominum, *Vitus*, qui coqvinæ præerat, cum duobus tribúsve ſocijs deprehenſus, cùm in genua cecidiſſet, ſéque DEO ſupplex commendâſſet, obtruncatus eſt; *P. Joannem Urbani Procuratorem Collegij* multis vulneribus proſtratū pro mortuo reliquêre, qui tamen poſtea miraculo, ùt creditum eſt, convaluit, & ad undecim annos vitam produxit: quendam Sociorum *Collaris*, quod fartum, & erectum habebat, durities defendit, nè ictum, caput amiſſurus, reciperet, in hoc rerum articulo *Nobilis* quidam *Ungarus* supervênit, & reliquos Noſtros exemit periculo, & ſuos captivos affirmans, *Tartaros* removit. Hæc à *R.P. Blaſio Slanino* poſtea Provinciale Bohemiæ audivi, ità clades univerſa intra unius mortem conſtitit. Erat *Vitus Weiſman* An. 1591. natus in *Palatinatu ſuperiore;* anno 1621. 31. Martij *Paſſavij* in Societatem receptus, arte hortulanus, ſed coquinam in *Societatem* jam admiſſus didicerat, idem cereus in virtutem flecti, dili-

Tartari in Moraviam irruunt.

Cædes Weiſmañi.

Mortis præſagium.

Digitized by Google

tam & procul ab omni ambitione vitam duceret ſuâ ſe virtute involvens. At Ruſtici tumultuantes (ſi quis iſtud ſcire velit) à *Koſtelecenſibus*, & *Czaſtolovicenſibus Catholicis*, primùm in pago *Lible* nocte oppreſſi & cæſi, poſtmodum à Militibus *Pragâ* propere miſſis prorsùs diſſipati ſunt.

§. CXXIX.

P. Mathias Burnatius Soc: JESU occiſus ab hæreticis tumultuantibus prope Rowensko in Bohemia An. 1629. 9. Auguſti.

M*Athias Burnatius Roſembergenſis Sileſius* An. 1607. 23. Septembris ætatis anno viceſimo tertio *Brunæ* in *Societatem JESU* adlectus eſt; *Philoſophiam Græcij* An. 1609. auſpicatus triennio audivit, toto illo tempore matutinus Sociorum excitator. Scholis habendis admotus quinque annos humanioribus literis, Grammaticæ, Poëſi, & Rhetoricæ tradendis impendit; callebat *Latinam*, *Polonicam*, *Bohemicam*, *Germanicam* perfectè, ideóque inſtar multorum habebatur, & expetebatur à *Rectoribus*. *Clagenfurti* An. 1622. in *Coadjutorum Spiritualium numerum* relatus in Contubernijs aliquot cum laude, Adoleſcentibus, *Crumlovij* & *Gitzinij* præfuit, ac ſimul poſtremo in loco *quinque Parochias* quinquennio ampliùs, ſtrenuè procuravit. *Apoſtolicos P. Mathiæ Gitzinij* labores, ac virtutes in *hiſtoria* ejus *Collegij* pridem deſcripſi, quæ huc transferre operæ pretium non puto, præſertim cum in *annuis literis Societatis*, tum in *Alegambe* & *Tannero* noſtro latiſſimè deſcribantur, ego mortem & mortis genus ſummatim narrabo. Præerat P. *Mathias* convertendæ ad fidem Chriſti viciniæ *Gitzinenſi*, pagatim concionando, alloquendo, ſvadendo, quâ ex re & agendi dexteritate per aliquot continuos annos aliquot animarum millia ab hæreſi *Huſſitica* ad *Chriſti Eccleſiam* traduxit. Oppidum *Rowensko* reſiſtebat hæreticâ pertinaciâ, animúmque obfirmârant Incolæ omnes pro uno homine futuros, neque niſi ſimul omnes, diviſim nullum, acceſſuros Catholicis. Placuit ſupremo *Gitzinenſis* ditionis Præfecto, vulgò *Capitaneum* appellant, militarem terrorem obſtinatis adhibere, ut perterriti P. *Mathiam* audirent faciliùs de *Regno DEI* & *Eccleſia* differentem. Emanavit de militibus adfuturis fama, & Agreſtes, correptis, quæcunque ad manum erant, telis hoſtem opperiebantur; ære campano, ut in trepidis rebus fieri ſolet, perſonante, & viciniam totam ad ferendas ſuppetias advocante. Milites appulſi, cùm ſe tantæ multitudini impares viderent, nè nihil egregium feciſſe viderentur, *Turrim* unde ad arma ruſtici vocabantur, incendunt, ac protinus ad tutiora ſeſe recipiunt. Pater *Mathias* in vicino pago *Libun* reſtiterat, unum illud expectans, ut factâ à militibus viâ, copia ſibi daretur fidem Chriſti incolis prædicandi. interim

1629.

Geſta P. Mathiæ.

Apoſtolici ejus labores

Cædis cauſa.

Digitized by Google

otium nactus ſacrâ DEO hoſtiâ in Eccleſia loci perlitavit, cùm neſcio quo authore, tumultuanti ruſticæ plebi, & dolore campanarum, quas incendium turris corruperat, accenſis omnium animis, nunciatur: P. *Burnatium* in proximo pago verſari; ſtatim audaciores ex omni numero contendunt in *Libun*; pars templum occupat, pars ædes in quibus diverſari *Patrem* compererant, nè effugere poſſet, obſident, pars occidendi Patris negotium ſumunt. Senſit ſerò tumultum P. *Mathias*, & per poſticum domus in aream evadit, ibi eum hæretici conſecuti, primus lethale in ſincipite vulnus haſtâ infligit, alter, dum dextram objicit, duos *Patri* medios in manu digitos amputat. Corruit Pater humi, móxque erectus in genua, blandâ voce, militum facinus (audierat enim vociferantes, campanas quas pro theſauro habuiſſent, ſibi perijſſe) nihil ad ſe pertinere teſtatur; cùm inter hæc à tergo bidente furcâ ictus, rurſus humi ſternitur; cui ſtrato tertius, glande ex majore Sclopo per humerum ipſa præcordia transverberat; hic exitus vitæ *Burnatio* fuit. Sed ira ruſtica unâ cæde exſatiari non potuit, efferatior potiùs evaſit, factóque in adoleſcentem immeritum ex Scholis noſtris qui cum *Patre* advenerat, & ſacrificanti miniſtrârat impetu, prodeuntem ex ſtabulo duodecim vulneribus affligunt humi, & mortuum in lacuna, quam fimus jumentorum effecerat, demergunt, ac quaſi læto & triumphali facinore edito diſcedunt. In-

Occidio.

horruit ad ſceleris atrocitatem tota vicinitas, & *Libunenſes* pro pietate in Patrem ſuâ, utriusque corpus fimo, tabo, ſangvine, fædatum abluêre; devecti ſunt *Giczinium*, & honorificè, *Pater* ante altare majus in *Eccleſia S. Ignatij* noſtra, Adoleſcens *Patris* comes in *Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ* tumulati; ſuma quæ in mortui P. *Mathiæ* vultu inerat hilaritas plurimos tenuit admiratione defixos; præſagiſſe etiam *mortem ſuam* inde argumentum aliqui petiêre, quòd cùm ei *Miniſter Collegij* ſocium addere vellet, recuſârit accipere, nè quid ſocio eveniret adverſi.

Humatio.

Occiſores *Patris* diu pòſt capti, per ſumos cruciatus rotis confracti, alíſque ſupplicijs excruciati cùm deturbarentur è vita, priùs Catholicam fidem amplexi, hoc unum in tot doloribus dolere ſe ſignificabant, quòd tam bonum *Patrem*, qui nihil aliud, quàm ſalutem & vitam eorum quæſijſſet, vitâ ingrati privaſſent. Ego inter fælicitates meas, quæ mihi evenêre in vita, hanc etiam reponere ſoleo: quod P. *Mathiæ Burnatij* corpus omnibus jam qui condi viderant noſtris emortuis, *Gitzinij* poſt annos tricenos quinos invenerim; annotatum erat in chartulis *Archivi*, *ante altare majus conditum eſſe*, locus tamen paſsim ignorabatur; igitur cum Cryptam funeribus Noſtrorum murarij effoderent, admonui quo loco conditum quibuſdam indicijs ſuſpicabar, lentè & cautè ligonibus & dolabris agendum; pervenêre tandem ad tumbam fæliciter, arcam ego aperui, omnia congruebant, *locus deſcriptus*, *veſtis*, *corona*, *tegumentum* capitis quadratum, *vultus* ipſe (quem ſenes poſtea vo-

Inventio corporis.

cati

Digitized by Google

cati agnovêre) ſangvis, reſecti digiti, ſed maximè vulnera ipſa, præſertim illud in ſincipite, notabantur, ut nemo dubitare ampliùs poſſet; ergo oſculis omnium ſociorum, & Patrum ſalutatis vulneribus, in novam arcam decenter corpus impoſitum, ſeparato in loco, poſteritatis ſolatio ſervatur.

§. CXXX.

P. Hieremias Fiſcher Soc: JESU ab hæreticis in odium fidei in Sileſia poſt Glogoviam majorem A. 1634. 23. Maij occiſus.

Hieremias *Carolus Fiſcher* Crumlovij Urbe Bohemiæ An. 1599. pijs, & Senatoriæ conditionis parentibus editus eſt in lucem; in *Brunenſe Tirocinium* admiſſus Religionis ſtipendia facere An. 1615. 9. Septembris cœpit; jam ab hoc initio ob ſvavitatem, & morum innocentiam propoſitus à Magiſtris in virtutis exemplar. *Deiparæ Virgini* amore intimo junctus tam firmam in ea ſibi collocaverat ſpem, ut peſtilentiâ *Græcij* in ſtudijs A. 1623. ictus, lapillo quem *Foyenſem* vocant, peſtilenti carbunculo admoto, *Divâque* ſuâ in auxilium vocatâ, pene momento conſanuiſſe vulnus ipſemet miraretur. Studijs omnibus Noſtris, & quæ conſequi ſolent, probationibus, ritè perfunctus, ſolâ prudentiæ, & charitatis comendatione in *Collegio Pragenſi ad S. Clementem Miniſter* conſtituitur, ab his virtutibus laudatus ſemper, & amatus, tandem *Glogoviam in Sileſia* cum poteſtate *Rectoris* ablegatur. Inferebat hoc anno 1634. bellum *Ferdinando II. Auguſtiſſimo Cæſari Saxoniæ Dux Elector*, & in *limine Sileſiæ Glogoviæ* conſtiterat. Longum eſſet, quæ ad hanc rem, quam paro, non pertinent, memorare: dimiſſis in tutiora ſocijs, *Rector* uno comitatus P. *Daniele Sandero* (quem ſæpius hæc narrantem audivi) 23. Maij ex urbe *Eqves* egreditur; aſſequuntur eos in ſilva propè pagum *Kunsdorff* prædones hæretici, quorum alter genere nobilis, cùm P. *Danieli ſclopum manualem* admoviſſet, & ictum declinante Patre aberrâſſet, in *Rectorem impetum* facit, equo deturbat, veſte ſuperiore, aliiſque omnibus ſpoliat, poſtremò nixum humi genibus, diductâ à pectore tunicâ morti ſe offerentem, & Sancta *JESU, & MARIÆ* nomina appellantem globo trajicit, conficítque; at P. *Daniel* interim prædoni alteri aliquam pecuniæ mentionem injecerat, eámque ob ſpem ſocio interveniente ſalvatur. At neque abiiſſet vivus (nam quod promiſerat, præſtare non poterat) niſi prædonibus antegreſſis *Equo* decidens ſe in pedes dediſſet; P. *Hieremiam* odio Religionis occiſum, claris documentis *Alegambe* demonſtrat; qui occidit Vir Nobilis hæreticus poſt Menſes non ampliùs ſex, eodem Anno in duello triviali ab æmulo ſauciatus, infælicem animam profundo vulnere emiſit; atque ut DEUM vindicantem quisque poſſet agnoſcere, eodem prorſus in

1634. Nativitas. Ingreſſus in Societat: Addictiſſimus B. Vir: Hiſtoria cædis. *Aleg. in Viris illuſtr. Soc. Annuæ lit. Coll. Glogov. S. J.*

Digitized by Google

in loco ſecundùm pectus, quo *P. Hieremiam* trajecerat, & ipſe globo è manuali itidem ſclopo emiſſo trajectus.

§. CXXXI.

Joannes Meagh Sacerdos, Martinus Ignatius, & Wenceslaus Trnozka Laici Coadjutores, S. J. in Bohemia ad Cuttenbergam A. 1639. 31. Maij ab hæreticis in ſilva occiſi.

Svecorum in Boh: irruptio.

JOanne Panirio Duce, Anno 1639. *Svecorum Exercitus Bohemiam* ingreſſus omnia incendijs, prædationibus, & cædibus infeſtabat. Rude vulgus hæreticorum pro ſe, & pro reducendis Exulibus hæreticis hoc bellum geri credebat. Inexperti videlicet, & ignari artium politicarum, cùm Religionis prætextu Regiones quæruntur, & occupantur; itaque paſſim tum ab hæreticis audiebamus: **Králowſſtj gedau.** id eſt, *Regij, ſeu Fridericiani noſtri adveniunt;* ſed magno ea credulitas ſtetit: ſpoliati, everſi fortunis omnibus abeunte *Sveco* præter miſeram animam retinuêre nihil. Jam *Pragam Svecorum Exercitus* multis locis, ubiq; fæliciter rejectus tentaverat, conſurrectio fit agreſtium, qui cùm ſe domi neque à *Cæſareis*, neque à *Svecis* tueri poſſent, ſilvas ingreſſi, viatores ſpoliabant. Evênit, ut per id tempus *Cuttenbergenſe Collegium Societatis* noſtræ vicini hoſtis metu diſſolveretur, & in tutiora dimitterentur Socij: alijs *Iglaviam*, alijs aliò dimiſſis, quidam *Novamdomum*, quos inter *Ven. Pater Nicolaus Lancicius*, aliique, & quos in titulo nominavi, deſtinati fuêre. Fama eſt, & quid famam authorem facio, cùm ipſum *P. Nicolaum Lancicium* id fatentem audierim? ſibi eam trium Sociorum mortem revelatam à DEO, ſe tamen, etſi comitem periculi, evaſurum, manuſcriptis tamen ſuis omnibus, quæ chariſſima habebat, & Sanctorum Reliquijs amiſſis, vel diſſipatis. Non ceſſavit *P. Nicolaus Rectorem Collegij* adhortari, nè Socios dimitteret, extra periculum fore promittens; mactandos aliquot, qui viâ *Novodomenſi* pergerent, & ſe in periculo quoque futurum. Denique nihil à turbato retulit aliud: quàm, ut *Pater* tantæ ętatis, obedientiæ daret exemplum. ergo qui aliàs rariùs *Equo* vehi ſolebat, *Equum* popoſcit, Equo etiam vehebatur *P. Joannes Meagh*, duo ſuprà nominati curru vehebantur, quidam alij pedes iter carpebant, qui viſis prædonibus fugâ evasêre. Jam uno milliari *Cuttenbergâ* proceſſerant, & ſilvas tenebant, cùm ecce *Venator, & Ruſtici*, qui eos jam expectabant, ut poſtea dicam, & præcurrerant, ſclopos exonerant. Confeſtim P. *Meagh*, qui titulos *Lauretanos* DEI Matris iterabat, in pectore, *Ignatius* itidem, *Wenceslaus* ſecundùm tempora glande plumbeâ in curru trajiciuntur. Primus, & ultimus

Prædictio cædis futuræ.

H. U.

Cædes facta trium Noſtrorum

Digitized by Google

mus ſtatim confecti, *Ignatius* etſi caput ſecuri ictus, traxit tamen anhelantem animam, repertus adhuc altero die arboris trunco innixus orare, & mortem ſuam DEO comendare. P. *Nicolaus Lancicius*, qui Eques currum ſequebatur, videns morientes ante ſe ſocios, Equo protinus relicto, deſcendit, & ſolâ *Coronâ B. Virginis*, quam manu tenebat, munitus, retro flexit iter pedetentim procedens, nemine tamen (quod admirationem maximam continet) latronum inſequente; ſed ſcripta omnia, & ſacras Reliquias, quæ in curru depoſuerat, amiſit. Hæc, ùt narravi, idem ipſe *Vener:* P. ad me tunc *Glacij* degentem *Iglaviâ*, quo fugâ pervenerat, datis literis perſcripſit, ac poſtea ſæpius comemoravit. Corpora occiſorum Perilluſtris, *&* *Catholicus Vir Bernardus Gersdorff de Malſſvvitz* in proxima *SS. Trinitatis Eccleſia Ledecenſi* humavit, poſtea verò *Rector Kuttenbergenſis* elevata, magno honore in *Baſilica S. Barbaræ* 3. Junij tumulavit. Porrò in odium Religionis tres modò nominatos cæſos eſſe, multis certis, & claris indicijs, *Alegambe*, *&* *Tannerus* noſter evincunt; ego quiddam adjiciam hoc loco, quod mihi notiſſimum, alios ignorare non ſinam. Peractâ cæde, dum Interfectores diu latuiſſent, tandem quibusdam indicijs proditi, captíque ſunt. *Venator* erat vicini *Viri Nobilis*, ruſtici reliqui ex ejuſdem Nobilis pago orti, qui confeſtim *Pragam* vecti, ſacinus confeſſi, & torti, *hæreticum Nobilem Dominum* ſuum *authorem* nominârunt. Damnati latrones in ipſa morte conſtanter, *Domino* ſuo jubente cædem factam affirmârunt, conjectus eſt in *Turrim Pragenſis Arcis Nobilium captivitati* deſtinatam, quam *Albam* appellant, annis aliquot in carcere, cùm factum pernegaret, ſedit: tandem R. P. Joanne Dakazat agente, ad aliquot hebdomadas, fide, & nobilitate interpoſitâ emiſſus domum, rixâ excitatâ à Viro altero æquè Nobili, dum *Equum* ad *duellum* conſcendit, transfoſſus eſt. Eum igitur *Nobilem* hæreſi corruptiſsimum, ad quem ex morte *pauperum Religioſorum* nihil erat rediturum, quo alio fine hanc procurâſſe, & juſsiſſe cædem, quàm odio Religionis putandum eſt? hęc velut domeſtica, & mihi, paucíſque nunc viventium perſpecta, fide, & conſcientiâ meâ confirmo. Jam ad propria ſingulorum veniamus: P. *Joannes Meagh*, cujus dulci alloquio *Glacij* ab Octobri An. 1638. uſque ad veris ſequentis initium ſæpe recreatum me ſenſi, *Hiberniam* habuit Patriam, & in ea *CorcamUrbem* Provinciæ *Momoniæ*; perſecutionis vitandæ cauſsâ cum Patre, *Galliã*, *Italiâque* percurſâ *Neapoli* conſedit, & Patre mortuo in *Hiſpaniam* navigans, annuum à *Rege ſtipendium* accepit. Sed jam aulæ eum tædere cęperat, quo in propoſito *Vitâ S. Dympnæ* fortuitò lectâ confirmatus, mox ibidem *Neapoli* innocens conjectus in vincula, innocentiâque perſpectâ dimiſſus, tamen velut à Mundo offenſus, omninò ſtatuit, res mundanas dimittere; *Romam* venit, & *nomen Societati* An. 1625. dedit; *Neapolim* ad *Tirocinium* miſſus, eo religiosè expleto, poſt annos complures, tandem in *Bohemiam*

Quis cædis Author.

Nativitas & res geſtæ P. Meagh.

Digitized by Google

miam ablegatur: invenio in Manuſcriptis *P. Joannem Meagh* in Collegijs, Glacenſi præcipuè, Catechiſmos, Conciones ad ſtudioſos Gymnaſiorum habuiſſe, Confeſſiones eorundem audiſſe, domi verò *Conſcientiæ caſus* pertractâſſe, ídque poſt An. 1636. Vir fuit *P. Joannes* cōmendabili, & paratâ ſemper pietate, ſacra omnia devotiſſimè peragebat, nobiſcum de rebus Divinis ſvaviſſimè loqvebatur, atque ut eam ſibi cœleſtem voluptatem excitaret, impetrârat à Superioribus, ut cum *Junioribus nobis* ad campos ſpatiari poſſet; multa ibi ex eo didicimus cœleſtia, ſed non profana minùs, & docta, nam plurium *Auctorum* libros, ac præcipuè *Virgilij Æneidem* tenebat memoriter, quod jucundum erat juvenibus nobis, nullum eſſe carmen in *Virgilio*, quod ſi inchoaremus, ipſe ex memoria non poſſet proſequi. Sed hæc minima in tanto Viro laus; finitis ſpiritualibus *Exercitÿs Collegio Glacenſi* valefaciens, proficiſci ſe ad mortem pro Catholica Religione obeundam dicebat, nos *Hiberniam* cogitabamus, ille brevì pòſt tempore in *Bohemia*, quod optârat, invênit.

Aleg. in Viris Illuſtr. Tanner in Eccl. Mili:

Martinum Ignatium, & *Wenceslaum Trnozkam* de facie nôvi, utriusque commendationem habet *Alegambe*, & *Tanner*, quos non vacat deſcribere. Prior *Zemeticÿ* in Sileſia An. 1589. natus, *Brunæ* 1607. 8. Aprilis, *Societatem* ingreſſus eſt, in domeſticum adjutorem votis emiſſis *Cracoviæ* 28. Februarij An. 1621. formatus; Promi, Obſonatoris, Coci, Janitoris, Excitatoris, ægrorum curatoris, Refectoriani munia pluribus annis, *Æditui* officium extremâ ætate maximâ cum laude, & ſanctitatis opinione ſuſtinuit. Martyrij deſiderium neſcio unde natum inhæſerat ſeni, cujus promiſſionem à DEI Matre, quæ in ſtatua ſua prodigioſa *Kuttenbergæ* in *Eccleſia S. Barbaræ* colitur, acceperat (ex quo tempore, dum vel *SS. Eucharistiam* ſumeret, vel ante *DEIparæ Statuam* orans procumberet, dulciſſimis lacrymis perfluebat) ídque ſociorum atteſtatione conſtat: nam cùm aliquando ſeriùs ab *Eccleſia* & illa *DEI Matris ſtatua* vultu renidente, & quodam inſolito gaudio elatus domum rediret, occurrente quodam ex ſocijs, & quid ità lætus incederet, rogante; quid (reſpondit *Martinus*) annon tibi ſatìs cauſſæ videtur lætari, cùm à Domina mea modò didicerim, me pro *Chriſto* ejus filio, ídque brevì, ſangvinem profuſurum?

Prædicta illi & promiſſa à DEI Matre pro Chriſto mors.

Wenceslaus Trnozka Dirzovicenſis in Moravia An. 1601. natus, *Brunam* ad *Tirocinium* An. 1622. 3. Novembris advênit: Janitoris partes egit perdiu, vitam ſuam extremam ad Societatis Conſtitutiones, & Superiorum monita comparans; ei tam invidendam cæteris mortem impetratam à *Ven. P. Nicolao Lancicio*, Majorum noſtrorum ſuſpicio probabilis fuit, cujus originem hoc loco prodere, ſupervacaneum puto.

Dixeram paulò antè: *Martinum Ignatium* neſcio unde Martyrij deſiderio flagrare cœpiſſe, jam ex Archivi noſtri literis ad originem pervêni,

nam

nam ibi narratur: *Martinum*, annis ante mortem plurimis, in *Monte Calvariæ ad Cracoviam* in Polonia ſito, *Divam Virginem* voto ſalutatam in morbo propitiam & Soſpitatricem habuiſſe, atque inſuper ex argentea Virginis ſtatua didiciſſe, beatam Martyrij ſortem ſe manere. Id ſi ita ſe habet, dicere oportebit: *Martinum* in *Calvariæ* monte Martyrij promiſſionem, ex *Cuttenbergenſi ſtatua* confirmationem, & tempus mortis accepiſſe.

§. CXXXII.

Pater Laurentius Paſſoke, & P. Mathæus Cramerus ad Lipſiam poſt prælium, acerbiſſimo hæreticorum furore 2. Novem. 1642. interfecti.

PAtrem *Laurentium Paſſoke* Wratislavia Sileſiæ Metropolis An. 1600. edidit natum in medio nationis pravæ Catholicis parentibus; *Pragâ* jam *Philoſophiæ Baccalaureus Brunam* miſſus, in Societatem An. 1624. 22. Septemb. adlectus eſt. Vir fuit amabiliſſimæ humanitatis, religioſiſſimè facetus, à quo, dum Tirocinij *Collegij Brunenſis Miniſtrum* ageret A. 1636. Religioſam Societatis noſtræ veſtem acccepi; accurrebamus ad eum velut ad *Matrem*, & ob eam in parvulos Tirones charitatem à *Venerabili ſene Nicolao Lancicio* (qui ſæpe ad nos *Brunam Olomucio* commeabat) diligebatur mirificè; in *Sileſiam* deinde abijt *P. Laurentius*, *&* *Sagani* jam *Rector* à Svecis captus, à *Wittembergio Svecorum Duce* (quem ego ob perpetuam in Societatem benevolentiam, & in omnes Religioſos Catholicos moderationem, obtinuiſſe à DEO exiſtimo, ut quod è *Polonia* ſcriptum legi, à Catholico Sacerdote rite ab hæreſi abſolutus, *Zamoſcij* moreretur) à *Wittembergio*, inquam, honorificè dimiſſus eſt. Poſtpaulò *P. Laurentius* Miſſioni Caſtrenſi Majorum imperio adhibitus, in legione *Antonij Webel Vigiliarum Præfecti* Sacra procurabat, plurima moleſta, & aſpera à *Vice-Tribuno* hæretico (*Webelio* abſente) perpeſſus, fame etiam, & convitijs onerabatur. Tandem, quam ſæpe optârat, pro Chriſto mortem invênit; nihil opus eſt cladem *Cæſarei* Exercitûs ad *Lipſiam* referre: diſſipatâ acie, cùm gravi vulnere ſtrato *Tribuno* ejus corpori ſeſe applicuiſſet *Pater*, abſolutione datâ ſubitò ab hoſtium Equitatu occupatur. Quærit unus aliquis ex hæreticis adequitans: *quis es tu*? Pater ſe & *Catholicum*, *&* *Sacerdotem* eſſe reſpondet; viſus eſt non ſatisfeciſſe reſponſo: *abnega*, inquit *MARIAM*, *ejura*, *execrare*! Pater *Laurentius*, qui iſta vel audire pro ſacrilegio ducebat: *DEI Matrem ut abnegem*, inquit? *omni poſt DEUM & laude*, *& cultu digniſſima eſt!* tum hæreticus œſtro percitus, gladio Patrem transfodit, ac mox ſclopo manuali extracto, glande plumbeâ mortuum humi ſternit.

Nativitas & res geſtæ.

Laus ab humanitate Wittembergij Svecorũ Ducis.

Diſſipatâ acie ad Lipſiam occiditur Pater cùm ejurare DEI Matrem recuſaret.

Eodem prorſus die, quo victi ſumus, & in eadem cauſſa occubuit *P.*

Ma-

Digitized by Google

Mathçi Crameri breve Elogium.

Mathæus Cramerus; cæſo exercitu fugiens in tutum evaſerat, cùm *Tribunus* quidam Cæſareus humi jacens, peccata ſua petit audiri; *Equo* confeſtim *Pater* delabitur, & audit; vidit eminus plenum charitate facinus è *Saxoniæ Ducibus*, & viſo (ùt credebat) ſacrilegio adequitans *Patrem* vitæ gratiam petentem admoto capiti ſclopo occidit, id triumphans; quaſi hoſtem obvium, & in ſe euntem ſtraviſſet. id factum 2. Novembris 1642. Natus erat *Mathæus Kramerus*, vel *Kramer* à ſuis dictus, *Crumlovij in Bohemia* An. 1607. Societatem ingreſſus 1. Maij An. 1624. Probationibus, & ſtudijs conſvetis, audiendo, & docendo percurſis ſtatim ob generoſitatem indolis, & virtutes ſibi ſemper conſtantes Miſsionibus Caſtrenſibus cœptus eſt adhiberi. Anno abhinc altero 1638. in *Collegio Gitzinenſi Miniſtrum* egit, ſequenti eodem in *Collegio* tertiam probationem explevit, atque ità comparatus optimè ad militares labores & ſubeundam quotidie (ut ſic loquar) mortem, imperio *Majorum* proceſsit.

§. CXXXIII.

Mathias Chriſtianus Puer Cadanæ à Judæo ex odio Religionis noſtræ crudeliter peremtus.

ANno 1650. XI. Martij. Judæus *Noë* nomine, diu antè crudeliſsimam voluntatem circumferens, aliquem ex Chriſtianis puerum occidendi, tandem comoditatem nactus, Puero Chriſtiano *Mathiæ* nomine, cultrum imerſit, & occidit. Deprehenſum atrox facinus, *Judæus* datus in vincula, non modò non negavit factum, ſed etiam magnificè gloriatus eſt; excarnificatus, ùt merebatur, & ad mortem damnatus, hactenus pertinax nebulo, paulò antè mortem ignominiæ, & doloris plenam, in publico theatro ſignis, & quâ potuit voce, baptiſmum Chriſtianum expetijt, etſi nulla ſpes vitæ ampliùs ſupereſſet; adſtare ſibi parvulum, quem occiderat, & imperare baptiſmum ſignificabat; obtinuit, multíſque iterum ſubjectus tormentis, quæ magnâ patientiâ toleravit, optimè ad mortem comparatus, & *Chriſtum Meſſiam* invocans, exſpiravit. 21. Martij eodem Anno. *Judæi* omnes in perpetuum ex *Urbe Cadanenſi* proſcripti; *Martyr* puerulus pretioſiſſimis odoribus, & ungventis adverſùs corruptionem delibutus, *Eccleſiæ Parochiali* illatus eſt, Epitaphio adſcripto, quod ipſemet *Imperator Ferdinandus III.* traditur confeciſſe. Ornavit eum Puerulum eleganti togulâ, gemmis, & unionibus conſpicuâ *Sabina Lucretia Verdugo*, nata *Minquiczíana*; monſtratur hodiéque *Mathias* ponè jacente ferali cultro; nos quoque *Martyrem* ante annos aliquot ſpectavimus, in dextra *Eccleſiæ* parte, in loco ad id præparato locatum.

Cadanæ puer Chiſtianus occiſus

Judæus occiſor ad Chriſtum convertitur

§. CXXXIV.

Digitized by Google

§. CXXXIV.

P. Georgius Königius Societatis JESU in prælio ad Sanctum Gothardum in Ungaria à Turcis occiſus.

GEorgius Königius Glogoviæ, quam Superiorem appellant, in Sileſia editus, Diſciplinas humaniores omnes in Academia Olomucenſi percepit, tum multis precibus ſuis, & commendatione Venerabilis Patris Nicolai Lanciciĳ ad Societatem receptus, Brunam Anno 1637. appulit. Inerat jam juveni quædam maturitas, & conſtantia virtutis, amor rerum cœleſtium, orandi juge ſtudium, præſertim Orationis matutinæ explendæ cura, ut ob eam cauſſam nunquam ſomnum ultra ſolitum produxiſſe meminerim; multis enim Annis in eodem Collegio Brunæ, tum Pragæ unà viximus. Quæ ſuperiores commendârant, obſervantiſſimus, ad ungvem ipſos eorum nutus exequebatur, quo merito & in Tyrocinio, & poſtea in Logica Brunæ Manuductoris, & Bidelli nomine, & in reliqua Philoſophia, Pragæ Condiſcipulis præponebatur. Ad docendas bonas literas miſſus, multum & in Poëticis, & in Rhetoricis excelluit, Theologiâque fæliciter decursâ, Profeſſorum in Societate gradum accepit. Dum Oppaviæ Rhetoricam doceret, grave illi certamen cum quodam Ordine Religioſo fuit pro Immaculata Conceptione DEI Matris tuenda, quam tot rationibus, & tam invictis publicè aſſeruit, ut adverſario ſilentium imponeret. Gravis, & ſeria Viri virtus eum idoneum ad regendum faciebat, ideóque ùt antè, Theologiæ Diſcipulum adhuc, Contubernio Alumnorum Sancti Wenceslai Pragæ Majores præfecerant, ità poſtea Collegio Olomucenſi Miniſtrum impoſuêre. Miniſterio cum laude obito, Bello Turcico ardente in Ungaria, in Caſtra ad procurandos ſacris milites Patrem Georgium Königium Superiores miſêre magno operæ pretio, quippe occupaverat Vir ardens militum animos, & ineſcaverat ſolidâ quâdam erga res Divinas pietate. Sed ecce in medio curſu metam ei poſuit DEUS! in decretoria ad Sanctum Gothardum cum Turcis pugnâ, cùm Exercitu noſtro nondum ordinato, Turcæ & pugnandi, & propè etiam vincendi feciſſent initium, & qui Turcis occurrêre primi ſternerentur, Pater Georgius rapto Cruci affixi Chriſti Simulacro, ad Milites (ùt mos eſt) cohortandos, dum ſeſe prælio infert (aliĳ referunt, Naſſavio Tribuno Cæſareo, ac cæteris proſtratis confitentibus operam dediſſe) à Turcis opprimitur; ex quibus unus ei Caput unà cum manibus, quas elevârat, frameâ abſcidit; quam narrationem confirmat illud, quòd & Caput, & manus Patris Georgĳ abſciſſas invenerint

Res geſtæ P. Georgĳ.

Milites in bello Turcico ſacris procurat.

Hiſtoria cædis.

Digitized by Google

INDEX
HAGIOGRAPHICUS,
SEU
NOMINA
SANCTORUM ET BEATORUM REGNI BOHEMIÆ,
Tum etiam Eorum, qui pro Chriſti Fide tuenda, aut ab Ethnicis, aut Hæreticis ſunt peremti: quorum vitæ, & mortes in prima hujus Libri parte breviſſimè deſcribuntur. Ordine Alphabetico.

A.

B. *Abda* vel Abdela [prima] Converſa Ord: Ciſtercienſis, paginâ 61.
B. *Abda* vel Abdela [ſecunda] Antiſtita Ord. Ciſtercienſis, p. 62.
S. *Adalbertus* Epiſcopus Pragenſis Apoſtolus & Martyr, Ord. S. Benedicti, p. 25.
B. *Adalbertus* Archiepiſc. Salisburgenſis, Ord: Præmonſtrat. p. 50.
Adamus Markowsky Vir Nobilis, p. 197.
S. *Agnes* Virgo Ord: S. Claræ, p. 64.
B. *Agnes* Virgo Ord. S. Benedicti, p. 52.
B.B. *Agnetes* duæ Virgines Ord:Præmonſt: p. 53.
Altomeita Cives Catholici necati, p. 144.
B. *Amabilia* Virgo Ord. S. Benedicti, p. 48.
S. *Angela* Virgo Ord. Carmelit: p. 43.
B. *Andreas* Epiſcopus Prag: M. p. 60.
B. *Anna* Sileſiæ Duciſſa, p. 63.
Anonymus Eques Boh. Martyr, p. 116.
B. *Arneſtus* I. Archiep: Prag: à p. 79.
Aula Regia V. *Cœnobium* Aulæ Regiæ.
Auſta Seyymiana Civitas ad Taborium odio Religionis exciſa, p. 122.
Auſta Civitas Regia ad Albim ob Religionem deleta, p. 166.

B.

B. *Beatrix*, & B. *Bohuslava* Virgines Ord:Præmonſtr: p. 59.
Berauna Civitas Regia ab hæreticis exciſa. p. 136.
B. *Bertholdus* Ord: Minor: p. 73.
Biela exciſa p. 164.
Bilina Civitas ab hæreticis deleta, p. 149.
B. *Borzivojus* Dux Boh. primus Chriſtianus, p. 7.
Broda Archiepiſcopalis Civitas ob religionem deleta, p. 138.
S. *Bohuslaus*, & ejus fratres quatuor MM. p. 26.
B. *Bretislaus* Henricus Dux Boh. Epiſc: Prag: p. 49.

C.

Camillus de Gram Ord. S. Benedicti p. 210.
Carolus Spinola Pragenſis S. J. in Japonia pro fide Chriſti combuſtus, p. 208.
Carthuſiani Pragâ pulſi, dein occiſi, p. 118.
S. *Caſimirus* frater Wladislai Regis Boh. p. 185.
B. *Caſtulus* Ord. Præmonſt: p. 66.
B. *Ceslaus* Ord: Prædic: p. 70.
Chlumecij ad Cidlinam Sacerdos Catholicus trucidatur, p. 158.
Chriſtophorus Spotecus S. J. p. 196.

Cœnobia ab hæreticis crudeliſſimè & cruentiſſimè exciſa, enumerantur ſine ordine antiquitatis, prout ſub acumen ſtyli venerunt.

Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

Carlovienſe exciſum, p. 122. ſub Caſtro Bezdiezy, p. 144. Aroaſienſes in monte Zotenberg, p. 171. Landscronenſe, p. 144. in Liſſa, ib: in Profik ad Pragam. ib: Raudnicenſe, p. 140. Rokyczanenſe, p. 134. in Saczka, p. 144. Jaromirenſe, p. 145. generatim quæ exciſa, 177. quæ ſint ſervata, p. 177.

Eremitarum S. Auguſtini Cœnobia, p. 177. exciſa.

Bielenſe, p. 137. Pivonkanum, 146. Inſulanum S. Benignæ, 156. Pragæ ad S. Thomam, p. 122. Neopragæ ad S. Catharinam, p. 124. Sufficenſe p. 156. Roczovienſe &c. 177.

Cœnobia Ordinis S. Benedicti.

Brzevnovienſe p. 122. combuſti fratres, 127. Porta Apoſtolorum, 125. Opatovicenſe, 115. Cladrubienſe 134. Præpoſitura Tauſſkovienſis, 157. Præpoſitura Przeſſticenſis, ib: Ambroſianũ Pragæ 122. 177. Podlazicenſe 143. Wilemovienſe, 144. 152. Michalovicen-

Digitized by Google

vicenſe ib: S. Georgij Pragæ, p. 147. & p. 129. Teplicenſe, p. 148. Inſulanum vetus, 157. ejúsque Præpoſituræ in Velis, Zaton, Teslin, Spelunca id eſt ut reor, Skalenſe ad S. Joannem, Vide libr. VI. par. I. Koſtelecz Præpoſitura Brevnovienſis in Diſtr. Wlitavienſi. ib. Wrchlab Præpoſit: Opatovicenſis, ib. Sazavienſe ib: Præpoſitura in Baſczin, 144. Sedes Zatecenſis, 157. enumerantur &c. 176. quæ ſint ſervata, ib.

Cœnobia Ord. Præmonſtratenſis exciſa.

Strahovienſe 122. Chotieſſovienſe, 134. Milovicenſe 123. Launovicenſe, Ib. Dobrovicenſe, 143. Doxanenſe, 148. Zelivenſe, 152. Lucenſe in Moravia, 158. Neoreiſſenſe 173. Teplenſe & Cœnobia reliq: 177. quæ ſint ſervata, ib.

Cœnobia Ciſtercienſis Ordinis exciſa.

Aulæregienſe, p. 127. 177. In Gredis, p. 126. Sedlecenſe 120. Oſſecenſe 148. Gilemnicenſe 156. Plaſſenſe Pragæ 122. Plaſſenſe in Plſnenſi 134. Nepomucenſe duplex 126. S. Coronæ 131. 177. quod à vulgo Aureæ vel Spineæ Coronæ dicitur. Svatopolenſe 177. Welehradenſe in Moravia, 137. Chrudimenſis Præpoſitura, 139. Skalicenſe 144. Sezemicenſe Ib. Chotuſſienſe ib. In Zleb Præpoſitura Gredicenſis 144. Oslovanenſe 153. Præpoſitura Langenau ad Albipolim 156. Camencenſe in Sileſ: 167. Præpoſit: Wartenſis ib. Henrichovienſe 168. Griſſovienſe 171. Novocellenſe 173. Daleſſicenſe 175. &c. enumerantur, 177. quæ ſint ſervata ib.

Cœnobia Prædicatorum exciſa.

Clatovienſe duplex, p. 121. 156. Piſecenſe 121. Auſtenſe ad Taborium, 123. Pragæ S. Clementis ad Pontem 122. & in Porzicz in Nova Praga 124. Colinenſe 139. Chrudimenſe 139. Nymburgenſe 141 Jablonenſe 144. In Pardubiczek 143. Reginohradecenſe duplex 144. Zvolenſe 144. 146. Pragæ ad S. Annam 147. Turnovienſe 156. Launenſe 156. Svitavienſe 160. Franckſteinenſe 171. Plavenſe 174. plura alia enumerantur 177. quæ ſint ſervata, & non exciſa, ib.

Cœnobia Ord: FF. Minorum exciſa.

Altomeitæ duplex p. 144. Pragæ ad S. Agnetem 122. Reginohradecenſe 144. S. Barbaræ Pragæ 122. Berauneuſe 135. Stradovienſe ad Chrudimium 137. Czaslavienſe 141. Neoboleslavienſe 144. Bydzovienſe ib: Tuſtenſe 147. Mizenſe 157. Plavenſe 174. enumerantur exciſa 177. quæ fuerint conſervata, ib: quibus adde S. Jacobi Pragæ.

Cœnobium Ord. FF. Minor: Srict: Obſer: exciſum Pragæ p. 183. & ad Nives Pragæ p. 198.

Carthuſiani exciſi.

Pragæ poſt Augezd 119. 142. Podiebradij 120. 142. ad Litomiſlium, 160.

Carmelitani Pragæ ad Nives p. 117. 122. Tachoviæ 157. 170.

Servi B. V. occiſi Pragæ 124.

Equites Melitenſes, olim Rhodij.

Pragenſis Comenda ad pedem Pontis exciſa, 122. 177. Pragæ in Nova Civitate 124. Gezborzicij 143. Noboleslaviæ 144. Dubæ 144. 177. Reginohradecij ib. Aldenburgi in Miſnia 174. Strakonicium exciſum non eſt.

Cœleſtini exciſi.

Sub Wiſſehrado 177. Zlichovij ib.

Crucigerorum cum Rubea ſtella, 177.

Crucigeri Teutonici, Pragæ ad S. Benedictum & Commotovij 122. 177.

Ordinis S. Sepulchri.

Zderaſenſe 119. 157. Svietlenſe 151. 177. ad Trutnovium 144. 177.

Crucigeri Ordinis S. Cyriaci.

Pragæ 177. in Orlik poſt Reginohradecium 143. In Benatek 144.

De Pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ.

Pragenſe p. 122. Launenſe 157. 177. Brixienſe 149. Stridcenſe 157.

Cœnobia exciſa generatim 117. 174. 184.

Moniales numero trecentæ quinquaginta Pragâ pulſæ, p. 147.

Incerti Ordinis Monaſteria exciſa, p. 127. 130. 133. Byſſovienſe 144. Borenſe 134. & aliud 151. Excidia plurium Cœnobiorum vide in Epit: noſtra, in Indice, verbo *Monaſteria*.

Commotovienſis Civitas ab hæreticis funditus deleta, p. 135.

B. *Conradus* Martyr Ord. Prædic. p. 77.

B. *Cunegundis* Antiſtita Ord. S. Benedicti p. 76.

B. *Culmatius* Eremita p. 36.

Cuttenbergenſes Catholici occiſi p. 141.

SS. *Cyrillus & Methodius* Archiepiſcopi & Apoſtoli Slavorum p. 1. & ſeq.

Czernin Eques ab hæreticis minutatim conciſus p. 155

D.

Daupovecz Eques cum cæteris Nobilibus Catholicis exuſtus 136.

Dux ſeu *Duchczovia* Civitas ob Religionem funditus exciſa, p. 163.

E.

Edmundus Campianus S. J. p. 189.

B. *Eliſabeth* Virgo Ord. Præmonſtrat: p. 49.

S. *Eliſabeth* Vid. Thuringiæ Domina p. 67.

Equites Catholici multi occiſi p. 163. V. *Slana*, *Berauna*, *Tachovia*. V. *Nobilitas*.

Evanczicij Catholici necati p. 154.

B. *Euphemia* Virgo Ord: Prædicat: p. 77.

S. *Euphraſia* Virgo & Martyr, p. 43.

F.

SS. *Fratres* S. uterini Martyres p. 26.

SS. *Fratres* S. Adalberti Ordinis S. Benedicti p. 27.

G.

Digitized by Google

G.

S. *Gaudentius* Præſul Ord. S. Bened: p. 29.
Georgius Kônigius S. J. p. 219.
B. *Gervicus* Eremita Ord. Ciſterc. p. 37.
B. *Gerlacus* Ord. Præmonſt. p. 66.
S. *Guntherus* Ord. S. Benedicti p. 32.
Gratij in Boh: cæſi Catholici p. 163.
Gubæ in Luſatia Catholici necati p. 174.

H.

S. *Hedvigis* Duciſſa Sileſiæ p. 62.
S. *Hedvigis* Virgo Ord. Præmonſt: p. 52.
S. *Henricus* Imperator Bohemiæ defenſor p. 30.
Henricus Probus Sileſiæ Dux p. 63.
B. *Henricus* Zdik Epiſcop: Ord: Præmonſt: p. 46.
B. *Henricus* Brzetislaus Epiſ: Prag: Ord. Præmon: 49.
B. *Henricus* Moravus Ord. Prædicat: p. 72.
B. *Hermannus* Ord. Prædic: p. 72.
Hermannus Suffraganeus Prag: cum duobus Sacellanis demergitur à Ziſka, p. 129.
In *Herſtein* Caſtro occiſi Catholici, p. 146.
S. *Hiacynthus* Ord: Prædic: p. 69.
P. *Hieremias* Fiſcher S. J. p. 213.
S. *Hieronymus* Pragenſis 178. Apoſtolus Litvanorum, Ord. Camaldulenſis 179.
Hinek de Ronov ex Procerum ſtirpe exuritur p. 139.
Holoklavæ & Horzinievſij occiſi Catholici p. 158.
Horzovicij occiſi Catholici p. 162.
Hoſſka ab hæreticis exciſa, p. 163.
B. *Hroznata* Ord: Præmonſtr. p. 54.
Hunnobroda Civitas Moraviæ deleta p. 158.

I.

Iacobus Rector Univerſit. Carolinæ cognomento *Scholaſticus* exulat ob Religionem p. 127.
B. *Iacobus* de Marchia Ord. Frat: Minor. p. 180.
Iaromirium Civitas Catholica ab hæreticis exciſa, 145
Iaroslaus Miczan ex Procerum familia ab hæreticis cõbuſtus 136.
P. *Ioannes* Meagh S. J. p. 214.
Ioannes Erneſtus Schoſſerus odio Religionis trucidatus, p. 201.
S. *Ioannes* Nepomucenus Decanus ad OO. SS. Pragæ, & Canonicus Eccl. Metrop. M. à p. 94.
B. *Ioannes* Schvenckfeldius Ord Prædicat. p. 78.
B. *Ioannes* Capiſtranus Ord: Minor: ſtrict: Obſer: 179.
B. *Ioannes* à Miſna Ord. Minor. ſtrict: Obſer: p. 187.
Ioannes Sarcander Decanus Holeſſovienſis ab hæreticis ad mortem uſquè excruciatus, p. 206.
Ioannes Ogilbæus S. J. p. 199.
S. *Ivanus* Eremita, p. 6.
B. *Iudith* Virgo Ord. Præmon. p. 59.

K.

Kobliha Eques ex turri præcipitatus ab hæret: p. 136.
In *Kozogedy* 40. Catholici ab hæret; interemti, p. 153
Kvaſſicij Catholici milites exuſti, 154.
Kvietnicenſes Catholici interfecti p. 152.

L.

Laurentius Paſloke S. J. p. 217.
S. *Leopoldus* Auſtriæ Marchio p. 42.
SS. *Libicenſes* MM. V. *Fratres S. Adalberti*. p. 26.
Libochovicij Sacerdotes cremati, p. 157.
Lipnicenſis Eccleſia Collegiata exciſa, p. 144.
Lippæ Catholici necati p. 164.
In *Litomericenſi* Diſtrictu Catholici promiſcuè ab hæreticis mactati, p. 164.
Litomiſſlium Catholica Urbs exciſa p. 160.
Lubanæ in Luſatia Catholici occiſi, p. 169.
S. *Ludmilla* Vidua & Martyr, p. 11.
In *Luſatia* Catholici plurimi interfecti, p. 168. 173. Urbes exciſæ 169. Luba ib: pluréſque aliæ Civitat: p. 173. Guba 174. Plaven ib: Taucha 175.

M.

B. *Margareta* Virgo Ord. Præmonſt. p. 75.
B. *Maria* vel Milada Virgo Ord: S. Bened: p. 24.
Martinus Ignatius S. J. p. 214.
Martyres in Boh: plurimi teſte Pio II. Papa à p. 116.
Martyres à Judæis necati à pag. 188.
Mathæus Cramerus S. J. p. 217.
Mathias puerulus à Judæo occiſus p. 218.
Mathias Burnatius S. J. p. 211.
Melchior Grodecius S. J. p. 204.
Monaſteria V. *Cœnobia*.
In *Moravia* Cathol. interemti 168. V. *Hunnobroda*.
Müglicium Catholica Civitas in Moravia exciſa p. 153. Napagedla, Malenovicium, Zlina &c. 168. Quaſicij &c. 154.

N.

S. *Norbertus* Archiep. Patronus Reg. Boh. 39.
Novæ Civitatis Pragæ Senatus occiſus p. 117.
Nymburgi duo Catholici Sacerdotes cremati p. 159.
Nobiles Viri ex Bohemis pro Chriſti fide occiſi p. 146. B. Podivinus p. 17. FF. uterini S. Adalberti, p. 46. B. Hroznata p. 54. Zbinko ab Haſenburg, p. 113. Petrus Lazurus 115. Eques Anonymus ex Pio II. p. 116. Ulricus Roſenſis p. 123. Servitæ Nobiles 124. Miczan Baro, Daupovecz Eques & alij 136. Hinek Baro de Ronov. p. 139. Eques Sadlo 157. Czernin 155. Slavata propter fidem occiſus 175. de Mſleno & de Raczin p. 157. Slanæ Catholici Nobiles occiſi p. 161. Colman Eques & Trczka itidem exuruntur. p. 182. Equites Catholici patibulis ſuſpenſi, p. 163. Eques de Camberg occiſus p. 170.

O.

Oborziſtij pro fide occiſi p. 162.
S. *Otto* Slavorum Pomeranorum Apoſt: p. 43.
Ozelka Parochus pro Chriſti fide exuſtus p. 163.

P.

Digitized by Google

PARS SECUNDA LIBRI IV. MISCELLANEORUM BOHEMIÆ SANCTÆ;

Continens brevem Summam Vitæ, eorum,

QVI APUD NOS

(IN BOHEMIA, MORAVIA, SILESIA, LUSATIA)

Cum publica, & conteſtata Sanctimoniæ fama vixerunt, piéque & ſanctè deceſſerunt.

TITULUS PRIMUS.

Paulus Keicha primus in Bohemia Sacerdos, S. Wenceslai educator, D. Ludmillæ Martyri à Sacris.

CUm omnis Antiquitas obſcura ſit, etiam in *Paulo Keicha* obſcuram ſe oſtendit, cùm nè hodie quidem, an unus, idémque fuerit Sacerdos *Paulus*, *&* *Sacerdos Keicha* ſciamus: ego *Weleslavini* authoritate unum, eundémque poſui; nec obſtat ætas, ſi eundem ad nonageſimum, aut centeſimum (quod novum illis ſæculis non fuit) ætatis Annum, vivendo perveniſſe dicamus. Diſcipulus fuit Sanctorum Apoſtolorum gentis noſtræ, *Cyrilli*, *&* *Methodij*; à quibus paulò ante Anno Ch. 856. *Borzivojo Welehradi* in Moravia Chriſti fidem pro-

Circa A.C. 930.

An idem ſit Paulus & Keicha dubium eſt.

profeſſo comes additus in *Bohemiam* venit, primúsque (quod ſciamus) Deo vero incruentam hoſtiam in hac noſtra tellure immolavit, excitatâ prima Eccleſiâ *S. Clementis* nomine, cujus corpus *Cherſonâ* attulerat *Cyrillus.* Id factum *Reginohradecij, Hagecius*, & cum eo omnis retro antiquitas, & per manus traditæ memoriæ, tum ipſa *Eccleſia S. Clementis* hodiéque perſtans (ad quam poſtea *Cœnobium Ordinis Prædicatorum* fundatum fuit) & alia Civitatis ipſius monimenta, tum etiam nomen *Hradecz*, quod *Caſtrum* ſignificat, confirmant, etſi id in dubium revocârit Vir in hiſtoria magnus, qui primum in *Bohemia Litomiſslij Templum* aſſeruerat conditum; poſtea verò ſententiâ priore ſuâ quodammodo damnatâ, Caſtrum aliud *Hradecz* ſub *Praga* nominavit, in quo *Keicha* primum DEO in *Bohemia* ſacrificium obtulerit, citato etiam in eam ſententiam *Codice Chriſtanni*, quem in *Epitome* noſtra vulgavimus primi; ſed in *Chriſtanno* omnia alia potiùs leguntur, qui disertè *Hradecz* nominat. Quis autem unquam vel fando, vel legendo audivit, *Litomiſslium* Hradecz appellari? taceo ignobile illud *Caſtrum ſub* Praga ad *Muldavæ* ripam, quod (ut ipſemet nuper inſpexi) vix habitationi unius familiæ pauperi, nè dicam *Bohemiæ Duci & Templo S. Clementis* ſpatium dare potuit; & licet hodie *Hradecz* communi arcibus voce appelletur, à *Libuſſa* tamen quondam conditum, ab ea nomen accepit, ut *Libiehrad* diceretur. Ut ut ſit, P*aulus* lætis in rebus æquè, ac triſtibus *Borzivojum* ſecutus, cum eo, Regno ejecto, exilium toleravit; P*aulo* huic *Keich*, quem *venerabilis vitæ Sacerdotem Chriſtannus* appellat, tota Chriſtianæ Religionis œconomia, & inſtitutio debetur; hic nobis, aut cœlo potiùs, *D. Wenceslaum* ad omnem vitæ ſanctimoniam educavit; hic dormiente puerulo *Wenceslao* ad ejus lectulum genibus flexis excubabat, eúmque DEO offerens, pro P*uero* vota quot noctibus faciebat; hic omnium pro Religione Chriſtiana conſiliorum ſuſceptorum caput, & author Principibus fuit. Mortuo *Borzivoio*, adhæſit *S. Ludmillæ*, ejúsq; vitam cæleſtem perdiu rexit; eâ quoq; barbarie ſocrûs ſuæ extinctâ, à *S. Wenceslai* latere nuſquam diſceſſit; hunc ad elevandum Aviæ *S. Ludmillæ* corpus *Wenceslaus Tetinum* ablegavit; P*aulus Presbyter*, inquit *Chriſtannus, Wenceslao*, dum in terris degeret, in amicitijs junctus, ſemper in omni ſervitio obſecundatus eſt &c. Fuiſſe huic P*aulo* commiſſam aliquam *Eccleſiæ Bohemicæ* partem, *Chriſtannus* videtur innuere, cùm *S. Wenceslaum* penè adhuc puerum, oblatam ſibi cœlitus viſionem referentem inducit: *Vidi* P*auli Presbyteri porticum* (atrium antè vocaverat) *quæ amœnis, & vaſtis ædium muniebatur ambitibus, totâ ædificiorum ſublimitate, ac hominum cultu deſolatam.* pergit Sanctus Puer viſionem explicare: *Porticus* P*auli deſerta amplitudo Cleri noſtro incluſi tutamine, miſerabilem à Regno præfingit* (id eſt, ſignificat) *expulſionem &c. Genitrix enim mea diverſorum Clericos Ordinum, ope terrenâ privatos, Regno ſeveriùs ejcere molietur.* hæc *Chriſtannus*; ex quibus verbis de P*orticu* P*auli* vaſtata, & exinde ſignificatâ *Clericorum* diſſipa-

Primum in Bohemia Templum S. Clementis Reginohradecij.

Chriſtan. in vita S. Wenceslai.

Paulo Sacerdoti Bohemia in ſacris ſubjecta.

ſipatione, ſatìs probabilis, ùt reor, conjectura naſcitur, ut huic P*aulo* aliquâ ſaltèm ratione *Cleri gubernationem* tribuamus. Sed hæc alijs judicanda relinquo. Quo anno P*aulus* deceſſerit, ubi humatus ſit, aliáque ad eum ſpectantia, in Antiquitate non legimus.

N O T Æ:

Eundem fuiſſe *Paulum & Keicham* authoritate *Weleslavini* adductus putavi, re meliùs perpenſâ, dubitare me cogit ætas: nam ſi An: 856. *Sacerdos* in Bohemiam primus venit, *S. Ludmillæ* à ſacris & *S. Wenceslaum* (qui conceſſu Scriptorum omnium An. 908. natus eſt) educavit, quot annis eum *Sacerdotem* fuiſſe ponemus? hæret aqua. in illo Scriptorum ſilentio *Lectores* ſequantur quod volent; perinde mihi erit, ſive *Keicham SS. Cyrlli & Methodij Diſcipulum à Paulo S. Wenceslai educatore* ſecernant, ſive eundem & unum eſſe ſtatuant, modò ſexaginta & paulò plures *Sacerdotij* annos expleviſſe fateantur. Videtur alius fuiſſe Paulus, aliſ Keicha.

Tit: II.

Ditmarus Primus Antiſtes Pragenſis, Vir inclytæ Sanctitatis; Ordinis S. Benedicti.

OBſervatum à nobis, & alio in loco probatum: *primos* quoſque *Eccleſiarum Præſules*, tum etiam *ſacrorum Ordinum Fundatores*, ſanctimoniâ vitæ claruiſſe, Divinâ Providentia id ſvaviter diſponente, ut *ſucceſſores* Viros ſanctos haberent, quos imitando reſpicerent, & propriam ſuo inſtituto ſanctimoniæ, & vitæ viam tenerent. *Ditmarus ex S. Benedicti* diſciplina ex *Cœnobio Magdeburgenſi* cùm circa Annum 971. ad *S. Wenceslai* Reliquias venerandas P*ragam* adveniſſet, ùt *S. Nicolao*, aliíſque SS. Præſulibus contigiſſe legimus, in eo pietatis officio à *Boleslao Pio* P*rincipe* deprehenſus, cognitâ præſertim, & exploratâ colloquijs viri prudentiâ, morum innocentiâ, doctrinâ, ac cæteris Præſulum virtutibus, *primus* P*ragenſium Antiſtes*, concordibus Principis, Cleri, & populi (ùt tum erant tempora) votis, electus eſt, & à Moguntino Præſule *Roberto* conſecratus Anno C. 972. 31. Januarij. Nihil ſibi ad ſummam diligentiam reliqui fecit *Ditmarus*: circumcurſare, Chriſti fidem prædicare, convincere idola, quàm plurimas dedicare, & conſecrare Eccleſias, ſicut intra paucos annos (non enim anno tantùm, ùt alibi probavimus, ſedit) aliquot millia ſubjecti ſibi populi adjunxerit Chriſto. Hoc merito P*ius II. Ditmarum* opinione Sanctitatis inſignem, *Coſmas* pervetuſtus Scriptor *fidelem ſervum, qui talentum ſibi creditum Chriſto centuplicatum reportârit*, Antiquus, & coævus penè author, *auroram virtutum, Luciferum Sacerdotum, anteſignanum ſequentium Epiſcoporum*, appellant. Obijt Præſul optimus probabiliter An. C. 979. obitûs certior dies eſt, ſcilicet 2. Januarij. ſepultus eſt in Cathedrali ſua *Eccleſia S. Viti*. Ejus defenſionem à

979. 2. Ian. In Vita Erneſti I. Archiep. Pra:

PrimiEccleſiarum Præſules Sancti.

Epit. rer. Boh. l. 2. C. 9. & ſeq.

Ditmari Encomia & defenſio.

Cruger. ad 2. Jan. Weles. 2. Iã: Pholph. Radio V.

me adverſùs *Miechovium*, & *Anonymum* authorem vitæ *S. Adalberti*, habes in vita *Arneſti I.* Archiepiſcopi Pragenſis, & in *ſacris Pulveribus Crugerij S. J.* & in *Phoſporo Thomæ Peſſina*. *Ditmari* laudationem ijdem Scriptores habent, & *Pontanus* in Epiſcopis.

Tit. III.

Theadagus vel Deodatus tertius Epiſcopus Pragenſis Ord: S. Benedicti.

A. 1017. 10. Maij. Jun.

Res geſtæ, & mors.

Pontan. in Epiſc. Peſſina Radio V. Weles. 5. & 13. Junij. Coſm. & Lupac. in Cal: Hag. 1017. Fabric. in Orig. Sax.

THeadagus (Bohdal Bohemis) alijs *Deodatus*, & *Theodatus*, cæſo apud Pruſſos *S. Adalberto* An. 997. *Boleslai II. Bohemiæ Ducis* (quem arte medicinæ paralyſi laborantem recreârat) commendatione, ex *Monacho S. Benedicti Nova Corbeia*, Epiſcopus evaſit. Vir fuit æquè ſanctus, ac doctus, olim *Ottoni III.* Cæſari à Scrinijs ſacris, *Cancellarium* vocamus. Credibile eſt *Hemmam* quoque *Boleslai* Conjugem è Saxonia ortam, Civi ſuo faviſſe. Quid ſecum adferret Epiſcopalis dignitas probè intelligens *Theadagus*, & vitæ exemplo, & monitis, & reprehenſionibus cenſorijs, & concionibus ſacris (*Slavicam* enim *lingvam* bellè callebat) veri Paſtoris munus implevit; & quia hæc ſinè malorum, ac potentiorum præcipuè (qui moneri non ſuſtinent, & reprehenſiones pro dignitatis ſuæ læſione accipiunt) offenſa peragi ægerrimè poſſunt, ſemel, atque iterum Ducibus offenſis in exilium actus eſt præceps, ſéque ad *Eckardum Miſniæ Marchionem* recepit; imò adeò parum abſuit, quin etiam pro veritate à ſceleratis necaretur. Moriens An. 1017. 10. Junij, alijs 11. alijs 13. omnium ſuarum facultatum *Eccleſiam Pragenſem*, & ex æquo pauperes, & mendicos (disertè *egenos opifices* adjecit) ſcripſit hæredes.

Tit: IV.

Helicardus Quartus Epiſcopus Pragenſis, ex Ord: S. Benedicti.

1023. 8. Auguſti.

Encomium Helicardi.

Coſmas in Chron. Boh. Weſlesla. 8. Aug. Hag: 1024.

HElicardus ex eadem *S. Benedicti* familia jam *quartus Bohemiæ Præſul*, Majores ſuos imitatus, vitam ſancto fine concluſit; ejus breve, ſed ad ſanctimoniam viri comprobandam, nimis quàm ſufficiens Elogium *Coſmas* ſcriptor vetuſtiſſimus concinnavit: *Fuit hic Præſul contra potentes erectus; erga humiles, & manſuetos pius, modeſtus; facundiſſimus prædicator; largus eleemoſynarum dator; Dominicæ Familiæ in menſura tritici fidelis diſpenſator.* Obijt Okardus, ſeu *Helikardus*, vel *Eckardus* An. 1023. (alijs 1024.) 8. Auguſti.

Tit: V.

Tit: V.

Hizzo Antiſtes Pragenſis, numero quintus.

HIzzo, vel *Izo* illuſtriſſimis ortus natalibus Comitum *Stroſſiorum*, ſeu *Hazmburgiorum*, ſed ſanctimoniâ vitæ nobilitatem ſui generis ſuperavit; exemplo optimorum, & ſanctorum *Eccleſiæ Antiſtitum* ipſius miſericordiæ præcordia geſtare videbatur: quotidie quadraginta pauperes (alij habent quaterdenos, *Dubravius* tantùm quatuor, ſed & hoc miſericordiæ, & conſtantiæ magnum exemplum) in *Aula Epiſcopali* paſcebat, & cum bonis precationibus, ipſemet voluptatem exinde cæleſtem captans, manu ſuâ cibo, & potu porrecto nutriebat; ſextò quoque die, id eſt *feriâ ſextâ*, ùt reor, ægrotos, & captivos inviſens, ad ſolatia verborum, ſolatia ciborum, & ſtipis adferebat. Ijs virtutibus amabilis omnibus evaſit, ut ſinè præfatione honoris nunquam *Izzonis* nomen audiretur; *Albus, & blandus Epiſcopus Izzo*, ùt teſtatur *Coſmas* appellabatur: *albus* ob canitiem ætatis, *blandus* ob paratam, & obviam omnibus humanitatem. Deceſſit beato fine An. C. 1030. 30. Januarij, ſeptuagenario major in Cathedrali ſua Eccleſia, ingenti pauperum ploratu, & ſuorum è *Clero* lacrymis tumulum rigantibus, humatus. Pro omni Elogio valere poteſt, quod *Coſmas* ſcripſit: *Hic Epiſcopus prior fecit, quæ facienda præcepit.* Agunt de eo *Coſmas*, *Cuthenus*, *Pontanus*, *Crugerius*, *Peſſina*, *Weleslavinus*.

1030. 30. Ian:

Beneficentia Hizzon:

Coſm. 1030. Cuth. notis ad Silvium Pont. in Epiſc. Weleſl. 30. Jan. & 29. Decemb. Cruger. 30. Januar. Peſſina Radio V.

Tit: VI.

Slawnik, & Strzezislawa, S. Adalberti Epiſcopi, & Martyris Parentes.

SLavvnikus, ſeu (ùt ſcribunt alij) *Slavonicus Bohemus Comes*, *Libicij* Dominus, *Henrici I.* ex ſorore nepos, & *Strzezislava* (quam vetus Scriptor Pulkavva *Sstieſtislavam* appellat *Boleslai Sævi* Bohemiæ Ducis *S. Wenceslai* fratris filia) ob ſummam, & numeris omnibus abſolutam vitæ Sanctimoniam, in Antiquitate Bohemiæ celebrantur. *Slavvnici* præconium apud *Coſmam* invenies; deprædicat comitatem facilem omnibus, paratam, obviam, lætámque humanitatem, Juſtitiæ in regenda pro Principe Provincia amorem, ſuſceptam publicè miſerabilium hominum defenſionem, aliáſque virorum Principum dotes, ut audiendus non ſit *Vitæ S. Adalberti* Scriptor, maculoſum, & in conjugio exerrantem nobis deſcribens; optimè *Adalbertum* educâſſe, & jamjam moriturum, ſuper aram *Libicij* poſitum *DEI Matri* commendâſſe, & ſanitatem impetrâſſe filio tradunt, qui de *Adalberto* ſcripſerunt. *StrZeZislavam*, vel *Sstieſtislavvam*, vitam penè omnem ora-

An. 987.

Genus Conjugum.

Coſmas l. 1. hiſt. Boh. Hag. 983.

Vita.

ora-

Digitized by Google

orationi, & miſericordiæ operibus impendiſſe, ijdem Authores affirmant.
apud Bollā: & in Bibli: Capituli Prag. M.S.
Audiamus de utroque coævum, & melioris notæ Scriptorem in Vita S. Adalberti: *Erat Vir Slavvnik nomine potens in honore, & divitijs, amore juſtitiæ, ac operibus Miſericordiæ præclarus nimis; Vir magnus inter cunctos ejus terræ habitatores, auro & argento locupletiſſimus, inter delicias ſæculi fidus cuſtos divinæ legis, ambulans ſolicitè juxta præcepta Sacerdotum, charus populo toti, ſed propriè amicus Pauperum.* (Jam de Strzezislavva) *Hic accepit Uxorem dignam generis ſui, & ipſam honeſtis moribus plenam, quæ audiendo verba vitæ plus ſitivit, eadémque operando famem non explevit, nec delectabatur Matronarum pompis, nec auro, lapidibúsque pretioſis, omnia pro minimo ducens, quæ ſtulti maxima putant. Sancta erat moribus, ſancta ſermonibus, fortis, ut dicunt, in jejunio, familiaris DEO in Oratione, Mater lugenti pupillo, peregrino & Viduæ gratiſſima ſoror. Pro his ergo, & his ſimilibus, quas ambo egerant Virtutibus, honoraverunt eos Nobiles, & Divites & coluerunt, maximè pauperum turba.* hæc Scriptor S. Adalberto coævus.
Teſtimonium vitæ piæ Parentûm S. Adalberti.

Obitus. Cosmas. Hagek.
Obijt *Slavnicus* An. C. 981. 18. Martij, ùt habet *Coſmas* (*Hagek* Annum 983. poſuit) *Strzezislavva* tardiùs An. C. 987. (diem mortis ignoramus) *Libicij* in æde Divinæ Matris ad Maritum *Slavvnikum* eſt addita, uterque cum veneratione ſanctitatis; tradúntque vetuſti Scriptores, in *S. Adalberti* natali die per plurimos annos, odorem omnibus roſis fragrantiorem effundi tumulo ſolitum, ſeu *Adalberti* filij meritis, ſeu Natalibus ipſis *Roſarum*, ſeu ipſis Sanctis Conjugibus hunc honorem cœlo deferente.

TIT: VII.

Bohumilus Abbas Inſulani Cœnobij Sancti Benedicti cum XXVII. Sacerdotibus ejuſdem Ordinis.

995.
Hag. in Annal. Boh. ad A. 978.
COElestem penitùs vitam in *Inſulano Cœnobio Bohumilus Abbas* & Socij egêre, ut præteriri ſilentio non poſſint. Flumine *Muldavâ* (qui Urbem *Regiam Pragam* ingreditur) adverſo, poſt duo milliaria, & medium, ſurſum euntibus, *Inſula* quædam occurrit, **Oſtrow** / ſeu *Inſulam* hodiéque per antonomaſiam vulgus appellat; mira quædam illius Cœnobij alio in loco referemus; prima origo Divino monitu è cœlis eſt petita. *S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus*, cùm quodam Anno (Hagekus Annum 978. ponit) non parvum *Cleri* ſui numerum ſolenni ritu Sacerdotio initiâſſet, ex his *ſeptem, & viginti Sacerdotes*, DEO intus agente, & vitam ſingulorum regente, ſtatuerunt DEO in arctiore vita ſervire, & domeſticis SS. Præſulis exemplis, aut quacunque alia de cauſſa adducti, in *S. Benedicti* diſciplinam ſe tradere; ergo unà omnes *S. Adalbertum* adeunt, & quid ſtatuiſſent, aperiunt,
Eccleſiæ Prag: Clerici numero 27. Ord. S. Bened: ampleſtuntur.

Digitized by Google

unt, ſimul deſignari ſibi poſtulant locum, in quo DEO uni famulari, eúmq; diu noctúque deprecari poſſent. *Adalbertus* qui nihil niſì priùs conſulto cœleſti numine aggredi ſolitus eſſet, ſpatium ad deliberandum, & orandum popoſcit; tum *Boleslao Pio* Bohemiæ Duce adito, deſiderium Sacerdotum exponit. *Boleslao Pio*, cui ejuſmodi viſa cæleſtia ſæpe offerebantur, poſt multas preces, Angelorum miniſterio locus, & *Inſula* oſtenditur, ubi novum illum ſervorum DEI cœtum degere oporteat. Aptato ſtatim eo loco *Pius Princeps* Eccleſiam in Inſula Divino honori in *S. Joannis Baptiſtæ* nomine conſtruxit, deinde Cœnobium, & *manſiones*, ùt tum loquebantur, Fratribus aptavit, ac deinde nè vitæ neceſſaria deeſſent, in perpetuum providit. Altero abhinc anno, vere ineunte, cepêre locum, priùs à *S. Adalberto* ad omnem virtutem anno integro eruditi viceni ac ſepteni Sacerdotes, quibus *SS. Præſul Abbatem* impoſuit *Bohumilum* nomine, Virum, ùt Scriptores vetuſti ſcribunt, opinione ejus ætatis *Sanctum.* Floruit hoc Cœnobium ſemper inclytis Sanctimoniâ Fratribus, & ex eo ad aliquot *Benedictini* Inſtituti Cœnobia in Bohemia coloniæ ſunt deductæ. Ajunt hodiéque frequentiſſima eò loci, ubi Cœnobium ſteterat, lumina cœleſtia apparere, & nè dubites cum cœlo commercium intercedere, aut Cœlum aſcendunt, aut Cœlo deſcendunt. In hoc itidem Cœnobio vixêre, *Sancti* quinque *Fratres* priùs, quàm in *Poloniam S. Adalbertum* ſequerentur, ut legere eſt in *SS. Martyrum* geſtis, & Officio divino *S. Pragenſis Eccleſiæ*: Româ enim egreſſi A. 981. uſquè ad A. 995. *Cœnobium Inſulanum* incoluerunt.

Origo Inſulani Cœnobij.

Hagek in Ann. Boh.

Tit: VIII.

Boleslaus II. cognomento Pius, Bohemiæ Dux, S. Wenceslai ex fratre Nepos.

Boleslaus II. non *Sævum Patrem*, ſed *Patruum S. Wenceslaum* vitâ, & moribus leniſſimis, & ſanctiſſimis expreſſit; fundavit Epiſcopatum Pragenſem; viginti ampliùs Eccleſias conſtruxit, eáſque inſuper dotavit; Cœnobia tria ex *S. Benedicti* inſtituto, *Virorum Inſulanum* ſolus & de ſuo; *Brzevnoviæ* cum S. Adalberto, *Virginum ad S. Georgium* Pragæ cum ſorore *Maria* condidit, & maximis opibus inſtruxit; *Chriſtianam Religionem* primus noſtrorum Principum armis aſſeruit, & mirificè propagavit; Juſtitiæ ſervantiſſimus, pauperum, viduarum, & pupillorum Pater; ejus laudationem habes apud *Coſmam* in Chronico; illud omnibus votis quærebat *Boleslaus*, ut *DEUM* ſibi, ac populo propitium haberet; ſecurum hac de re Principem aſpectabilis *S. Wenceslaus* reddidit, quo loco *Boleslaus Eccleſiam S. Wenceslai in Proſik* exſtruxit in colle edito ad *Pragam.* Ædificavit Urbem *Novoboleslaviam* in colle Hrobka A. 973. neque armis, quàm pietate inferior fuit,

997. 7. Febr. Welesl. in Geneal. Ducum Boh. Cru. 7. Feb. Pont. Boh: Piæ. l. 1. Dubrav: Hagek. Epit. Boh.

Pius appellatur ob Eccleſias & Cœnobia ædificata.

Coſm. l. 1. hiſt. Boh. Hagek ad An. 970.

Digitized by Google

Vaticinium ejus de futuro Bohemiæ ſtatu. Hagek 999.

fuit, ut in *Epitome* narravi; *Bohemiam* annis omnino duobus, ac triginta *Ducis* nomine gubernavit, ſanctiſſimè mortuus, An. 999. 7. Februarij. Monita ejus ſuprema ad filium, & nepotem, habes apud *Hagecium*, quibus de futuro aliquando *Bohemiæ* ſtatu prædictionem adjecit, digniſſimam lectu. Sepultus eſt in Eccleſia *S. Viti*; ut *Hagecius*, *Lupacius*, *Weleslavinus & Crugerius* affirmant. Paucos *Bohemia Duces* huic pietate comparandos tulit.

Tit. IX.

Dambrovka Boleslai Pij Bohemiæ Ducis Soror, quæ Poloniam conjugio ſuo fæliciſſimo ad Chriſtum adduxit.

977. INſignis ex Polona gente Poëta *Janicius* Chriſtum DEI Filium alloquens, ſic canit:

Fœmina te nobis oſtendit prima, Bohemo
Sangvine, prima Crucem Nos docuítque Tuam!

Vide Epit. rer. Boh. l. 2. C. 7. — Polonia per Bohemam Matronam ad Chriſtũ converſa. — Eccleſia Cathedral: Cracoviæ S. Wenceslai — *Crom. in hiſt. Polon. Miechov. Decius. Weleslav. 7. Martij.* — Dambrovvka uſque ad mortem Coronam virētē geſtavit.

Ea fuit *Dobravvka*, vel *Dambrouka* Mieczislai Poloniæ Ducis (qui fuit ipſius *Piaſti* pronepos) *Meczislai* inquam *Conjux*, quam *Boleslaus I. Bohemiæ Dux Pater*, eâ lege *Meczislao* conjugem dedit, ut Chriſtiana ſacra ſuſciperet; promiſit, ac ſponſa inſigni *Procerum Bohemorum* comitatu (à quibus multæ Illuſtriſſimæ in Polonia Familiæ ortum trahunt, ùt alibi oſtendi) *Gneſnam* deducta *Meczislao* conjuncta eſt; ex ea genitus eſt *Boleslaus Chrobry Princeps Poloniæ*, cùm antè *Meczislaus* ex ſeptem uxoribus, Ethnicorum more ſibi copulatis, nullam prolem ſuſcepiſſet. Deductionem Sponſæ, Chriſtianæ Religionis in Polonia originem, augmenta, incrementa, gloriam, Eccleſiarum opes, Baſilicas, & Epiſcopatus aliquot, agente *Dubravvkâ*, conditos & fundatos, plurimi Authores deſcripsêre; primam *Baſilicam Cathedralem*, *Cracoviæ*, honori Patrui ſui *S. Wenceslai* excitavit *Dabrovvka*, quæ poſtea illato *S. Stanislai* corpore nomen mutavit. Fuit porrò *Dabrovvka* Matrona pietate clariſſima, magnifica in Sacris (quam magnificentiam hodiéque Gens Polona ſectatur) fortitudine animi præſtans, (ob quam à Scriptoribus *Amazon* appellatur) denique virtutibus omnibus ſpectatiſſima; *Coronam ruteam virentem* continenter capite geſtavit, quòd Idololatriam ſuperâſſet, & ex *Polonia* profligâſſet; ejus encomium ſcripſit proximè Scriptor eruditus in Polonia *Kochovvsky*; attigit quoque ejus laudes *P. Ines S. J.* in *Elogio Meczislai*. Obijt *Dabrovvka* An. 977. dies ignoratur. Ex ea omnes *Piaſtæi*, tam in *Polonia*, quàm in *Sileſia Principes* deſcendêre.

Tit. X.

Digitized by Google

TIT: X.

Eliſabeth nata Comes de Querfurt, Antiſtita Virginei Cœnobij Pragæ ad S. Georgium Ordinis S. Benedicti.

COmites de *Querfurt*, maximi in Imperio nominis, eâdem cum *Manſfeldijs* origine nati, generi ſuo illuſtriſſimo Sanctimoniæ gloriam adjecêre; inter Sanctos ejus ſtirpis *S. Bruno* Epiſcopus cenſetur, qui *S. Adalberti* exemplo incitatus, *Pruſſiam* intravit, & An. 1008. in Chriſti Evangelio proferendo occupatus, Martyrium conſummavit; agitur Sancti *Brunonis* feſtus dies 14. Februarij, & extat vita, quam nuper cum Divis cæteris vulgavit *Bollandus*. Huic Sanctiſſimo Viro Sancta etiam, & vitæ innocentiâ germana ſoror contigit *Eliſabeth*, quæ *Pragæ Parthenonem Sacrum* (qui tum, ùt ſemper poſtea, Virginum Chriſti DEO, devotiſſimis, & innocentibus, & ſanctis animulis florebat) ingreſſa, poſt complures annos Virginei cœtûs Antiſtita evaſit; eam dignitatem tanto antè *Eliſabethæ* (ùt *Sancto Henrico Imperium*, & *Brunoni Eliſabethæ fratri Epiſcopatum*) prædixit *S. Wolfgangus Ratisbonenſis Epiſcopus*, ùt in ejus vita, & *Breviarij Lectionibus* habetur. An *Eliſabeth* ſecunda, an tertia numero poſt *Miladam*, ſeu *Mariam Cœnobium* hoc *Pragenſe* rexerit, dicere non habeo, cùm monimenta Cœnobij ea de re nihil ſuggerant, quæ videlicet incendio anni 1142. perierunt. Vixit *Eliſabeth* circa An. C. 990. filia fuit *Brunonis II.* Nobilis Domini *Querfortenſis*, ùt loquitur *Bucellinus*.

1008.

Bolland. in Febr. ad 14.

Vaticinium S. Wolfgāgi de Eliſabetha.

T. II. Germ. f. 402.

TIT: XI.

Aſticus, ſeu Anaſtaſius ex Brzevnioviensi Abbate Ordinis S. Benedicti, Colocienſis Epiſcopus, ejúsque diſcipuli ad Ungarorum ſalutem cœlitus miſſi.

ASticus, ſeu *Aſtricus* in S. Benedicti familia *Romæ apud S. Alexium* unà cum SS. Præſule *Adalberto* educatus, ejúſque itinerum comes, cùm idem *Adalbertus*, & *Boleslaus Dux* Brzevnovienſe ad Pragam Cœnobium maximis opibus fundâſſent (An: 993.) primus impoſitus eſt Abbas. Malè eum *tertium Abbatem* facit vir hiſtoriæ patriæ alioqui peritus: nam in ipſis Apoſtolicis literis *Joannis Papæ*, eodem anno datis *Abbas Anaſtaſius* nominatur. Nullo alio, quàm ſanctimoniæ, & vitæ ſingularis merito omnibus prælatum, cætera *Anaſtaſij* vita, tum *S. Adalberti* authoritas, tum eorum tem-

Poſt A. 1000

G. C.

Primus Abbas Brzevnioviensis Aſticus.

temporum incorrupta, & aurea procul omni fuco ſimplicitas ſatis demonſtrant; decennio integro præfuiſſe *Brzevvniovienſi Cœnobio* affirmat *Paprocius*; ſed iſtud ſuſtineri non poſſe ex *Legatione Aſtici*, de qua paulò pòſt, facilè ad chronologiam attenti, judicabunt, niſi & *Epiſcopatum* geſſiſſe, neque tamen *Abbatis* nomen dimiſiſſe dicamus. Poſt *S. Adalberti* apud Pruſſos cædem, cùm multi in Cœnobijs ejuſdem laureæ cupiditate incenſi flagrarent (ùt de *S. Brunone Epiſcopo* in ejus vita paulò antè apud *Bollandum* legimus) *Anaſtaſius* quoque in Ungariam, quam olim cum *S. Adalberto* magno rei Chriſtianæ bono peragrârat, aſſumtis aliquot ex Cœnobio ſuo fratribus, *Abbatis* dignitate depoſitâ, ad prædicandum Evangelium advolavit. *Ex Socijs Anaſtaſij Bonifacius* (verba recito Bonfinij) *in inferiorem Pannoniam demiſſus ad prædicandum nomen Domini clarâ morte affectus, inter Divos relatus eſt.* pergit Bonfinius: *Aſtricum, & Diſcipulos, Rex* (S. Stephanus) *honorificè excepit, & ad radicem montis ferrei collocavit, ubi Divi Benedicti Cœnobium magnifico ſumtu exædificare permiſit.* poſt pauca: *mox Colocenſem Baſilicam ſtatuit, ejúſque Pontificem Aſticum deſignavit* (Sanctitate, ùt ait conſpicuum) *quem moribus, & doctrinâ præſtantem eſſe noverat, eúmque poſt initum Pontificatum Anaſtaſium appellavit.* Hoc poſtremum verum eſſe non poteſt, quòd in literis Apoſtolicis, ùt antè dixeram, jam An. 993. *Anaſtaſius* idem *Aſticus* appelletur. Narrat deinde idem *Bonfinius* ex Annalibus Ungarorum, Legationem Romanam *Aſtici*, tantâ fælicitate peractam, ut non exiſtimem ullum ex *Ordine ſacro* nominari poſſe, cui plus debeat *Ungaria*. *Aſticus* benedictionem à Pontifice, quod erat imperatum, retulit; *Aſticus Ungariam* Chriſto, & ejus in terris Vicario obedientem, & morigeram primus repræſentavit; *Strigonienſis Eccleſia*, ut Metropolitica in poſterum eſſet, impetravit; item cæteros erectos nuper in *Ungaria Epiſcopatus* confirmari obtinuit; ſed duo reliqua in *Ungariam Aſtici* merita longè ſuperant; primum *Regno*, alterum *Regi, & Regno* datum, quod *Coronam Sanctam, & decus Regium* ad *Ungaros* attulerit, & *Crucem Apoſtolicam*, quæ Ungariæ Regibus velut *Apoſtolicâ Legatione* fungentibus præfertur, impetrârit. Narrantur hæ prærogativæ multis verbis apud *Bonfinium*, *Baronium*, & in ijs Sriptoribus, qui de *Sancta Corona* Ungariæ ſcripſerunt, verbo: *Corona Poloniæ Regibus*, deſtinatione Pontificis *Silveſtri II.* parata, Divino juſſu *Aſtico*, ſeu *Anaſtaſio* ceſſit, *S. Stephano* Regi in Ungariam deferenda, Regéſque Ungariæ *Apoſtolici* appellati, quos procedentes Crucis inſigne præcedat; res eſt digna memoratu, ſed obvia, & à plurimis Authoribus pertractata. Quantâ gratulatione *Aſticus* in Ungariam rediens à SS. Rege *Stephano* exceptus ſit, facilè eſt conjicere; Regi ac univerſo Regno chariſſimus poſtea vixit, eámque gratiam, & charitatem non ad privata ſua commoda, ſed ad DEI gloriam, & emolumenta publica ſtuduit derivare. Commodùm per id tempus, neſcio, quo

Papr. in Diadocho.

Boll. ad 14. Febr:

Bonifacius Sanctis adſcriptus.

Bonf. Dec. 2. hiſt. Ung: lib. 1.

AſticusCœnobium exſtruit.

Impetrat Coronâ Regiâ Ungaris

Bonf. l. cit: Revay in Corona San. Ung. Baron. ad A. 1000. Dubr. l. 6. hiſt. Boh.

Cętera ejus in Ungariæ Reg: merita

Digitized by Google

quo caſu *Sebaſtianum Archiepiſcopum Strigonienſem* excæcari contigit, cui cùm caſus ille ſacri muneris exercitationem inhibuiſſet, *Aſtricus* noſter ejus officium permiſſu Apoſtolico æquè reſarſit, acſi ejus loco ſuffectus videretur; vices eas triennio obijt *Anaſtaſius*, novóſque *Chriſtianos Ungaros* ad omnem Sanctimoniam ipſe Sanctiſſimus ſacris allocutionibus perpolivit. Obijt plenus meritis *Anaſtaſius*, gloriâ etiam miraculorum inſignis, quem ad uſquè mortuorum ſuſcitationem progreſſum in quibuſdam manuſcriptis invenio. Agunt de eo *Annales Ungarici*, præcipuè *Bonfinius*, & *Revay*, meminítque *Dubravius*. Miraculum Aſtici. *locis antè citatis.*

Tit: XII.

Hemma Boleslai II. Bohemiæ Ducis, cognomento Pij, Conjux.

HEmma, ſeu *Hemmildis* in familia Saxoniæ Principum nata, Matronalibus omnibus virtutibus, ſed præcipuè miſericordiâ in pauperes ſpectatiſſima, mirificè ab *Hagecio*, & *Fabricio* commendatur; genuit Conjugi ſuo complures liberos, atque inter filias *Hemmildim* ſibi cognominem uxorem poſtea *Hermanni Marchionis Miſnenſis*, quæ ab omnibus Scriptoribus noſtris omittitur. Septem annis Vidua *Hemma* poſt Conjugis mortem nihil aliud abdicatis ſæculi curis egit, quàm DEUM pro ſe, ac ſuis exorare, ac miſericordiæ opera in omne hominum genus exercere, itaque meritò ab *Hagecio*, & *Weleslavino ſancta*, & *devota DEO mulier* appellatur. Obijt An. C. 1006. tumulata in Eccleſia Cathedrali *S. Viti*, his verſiculis adſcriptis: *1006. 4. Feb:* *Fabr. l. 3. Orig. Sax.* *Hagek 1006* PietasHemmæ. *Hag. l. cit. Welesl. in Gene. Duc: & Reg. Boh.*

Quæ fuit, ùt gemma, vilis jacet hîc cinis Hemma;
Dic precor: huic animæ da veniam Domine!

Porrò *Hemmam* repudiatam eſſe aliquando à *Boleslao II.* ex *Ditmaro* coævo Scriptore, tradit *Fabricius*; quod, in ſilentio Scriptorum noſtrorum omnium, & quòd *Boleslai II.* pietatem, & Sanctitatem omnes æquè commendant, an fieri potuerit, non parum ambigo; at contrà *Ditmari Epiſcopi Mersburgenſis*, qui tum vivebat, authoritati ſuccumbo, & quid potiſſimùm ſequar, ignoro; *Lectores* videant, utrum ſit verius. Eandem *Hemmildim*, ſeu (quod idem eſt) *Hemmam*, *Ridachi Comitis Mersburgi* filiam facit *Fabricius*; hæc ſi repudiata eſt, & repulſam fortiter tulit, novum, ídque nobile accedit Sanctitatis argumentum. Fortitudo in adverſis.

Tit: XIII.

Spitihnæus II. Bohem. Dux, Juſtus cognomento.

SPitihnæus ejus nominis II. forma, & idea bonorum Principum, cujus nomen in illo annulo legitur, in quo Reges bonos omnes (ob eorum *1061. 28. Ian.*

pau-

Digitized by Google

paucitatem) inſculpi poſſe, neſcio quis Veterum dictitabat; *Brzetiſlaum Achillem* Bohemiæ, *& Juditham Ottonis Albi Comitis Rheni filiam* parentes habuit; patri in *Bohemia* Imperio An. 1055. ſucceſſit; nihil illo truculentius, nihil ſerius, barbari mores, & mens erat, barbara imperia primitus dividebantur, donec *S. Vitus* adoleſcens aſpectabilis monuit, malè auſpicata eſſe Regna, quæ non pietate, & juſtitiâ, ſed feritate nituntur. Altè in animum Principis hæc ſalutaria monita deſcendêre, citóque alius à ſeipſo evaſit; *Coſmas* primus Bohemæ hiſtoriæ conditor, tanta, & tam illuſtria pietatis, & Juſtitiæ exempla de *Spitihnæo* adducit, ut neſciam, cui noſtrorum Principum in hoc genere *Spitihnæus* concedat; neque juſta pietas, & pia Juſtitia, temerè, ſinè lege, ſinè ordine adminiſtrabatur, ſed quotidiano uſu, idem erat *Spitihnæo* piè, & juſtè agere, quod vivere; accipe ex *Coſma* vitam Principis poſtfuturis exemplum: *Crepuſculo ſurgebat, ac fronti ſigno crucis impreſſo, ante ipſam protinus Crucem ſternebatur; tum pio oſculo Chriſti pedibus adoratis, agebat gratias, ac nè ſe in gravius aliquod crimen labi eo die ſineret, precabatur; dein ad Miſſam ibatur, cui ſummâ gravitate, & pietate ob ſacræ Religionis Majeſtatem intererat; reliquo ad prandium tempore toto, habebat conſilia, potiſſimùm de cultu Divino promovendo, de abolenda, quæ tum adhuc vigebat, ſuperſtitione, de extirpandis publicis ſceleribus &c.* Super menſam ſermones virorum eruditorum, & piorum audiebat *Princeps*, differentium de regnandi bonis artibus, de ſalute, de Fidei quæſtionibus, & ſacræ ex veteri, & nova lege interrogationes proferebantur in medium, & ſapienter, & ſinè pertinacia, & vociferationibus ſolvebantur. Sublatâ menſâ quadrantem horæ *Princeps* in Sacrario ſuo domeſtico *Cruci affixo DEO* intuendo dabat (qui perpetuus illi mos, & ſumma teneritudo in eo aſpectu defixum pendere) relaxatio aliqua ſequebatur, & neceſſaria corporis exercitatio; tum advocato conſilio habebantur Judicia, & uſquè ad veſperum dicebantur, & audiebantur, & perrogabantur ſententiæ, pœnæque, ac prœmia decernebantur, conſilia ad ſummam Reipublicæ pertinentia examinabantur. Cœna Principis hoſpitibus carebat, *Annales* Bohemiæ, & geſta priorum Principum legebantur cœnanti. A *Cœna Sacrarium* ingreſſus Princeps, rurſus, ùt meridie fecerat, *Chriſtum Cruci affixum* horæ quadrante ſpectabat, interpoſitis Divinis affectibus. Poſthæc *Completorium*, ùt ajunt, orabat; quotidie enim Princeps, velut ſi Sacerdos foret, Sacerdotalis officij penſum percurrebat orando, dein acta totius diei in examen vocabat, ac tandem vitâ ſuâ, & morte DEO commendatâ, ad quietem componebatur. Hæc erat æterna lex quotidianæ vitæ, quam nullum nisi belli tempus mutabat. Sed memorabilis eſt ejuſdem *Coſmæ* de Quadrageſimali *Spitihnæi* jejunio narratio; quotidie de media nocte ad Matutinas preces Eccleſiam ingreſſus proſternebatur humi, atque extenſis brachijs *Crucifixi* inſtar, multas horas durabat. *Primam*

S. Vitus M. apparens corrigit Spitihnæum Ducem.

In hiſtoria.

Quotidiana Spitihn: vita.

Teneritudo & conſtans Principis pietas erga Chriſtũ Cruci affixum.

Coſm. l. cit.

Vita Quadrageſimalis Principis Spitihnæi.

mam canentibus *Canonicis*, accedebat pulpitum, eámque officij partem cum ijs perſolvebat; in ingreſſu Eccleſiæ liberaliſsimâ ſtipe pauperes recreabat; ſummâ voluptate ſuâ Sacerdotalem habitum indutus, præſertim diem *Cinerum*, & ferias hebdomadæ majoris cum Canonicis canendo, tranſigebat, quas deinde veſtes Sacellano ſuo cum alijs Principe dignis donarijs relinquebat. Sed hæc omnia magìs ad pietatem, quàm ad juſtitiam ſpectare videbuntur: unicum erat præſidium Pupillorum & Viduarum ipſe *Princeps*, & pro ſummo crimine Judicum habebat, ſi cauſſæ eorum ultra triduum prorogarentur. Accidit aliquando, ut Urbe egredienti mulier occurreret, & judicium poſtularet; deſcendit confeſtim Equo *Princeps*, & in ipſa *Pragenſi* porta conſidens, integras duas horas cauſſam agitari audivit, & latâ ſententiâ abſolvit judicium. Ob eum juſtitiæ amorem *Juſti* ſibi cognomen juſtiſſimè comparavit; *Litomericenſem Eccleſiam Collegialem* ſundavit ditiſſimè, cúmque jam *Cathedralem Eccleſiam S. Viti* baſilicè exſtruere cœpiſſet, ſic ut uno fornice & *S. Viti, & S. Wenceslai, & S. Adalberti* ſepulchra tegerentur, mors opus abrupit. Obijt ſanctiſſimè, & vitæ conformiter Anno C. 1061. 28. Januarij, poſtquam ſexennio *Bohemiam* gubernâſſet, dignus æternis ſæculis *Princeps*.

Juſtitiæ amor in Principe.

Tit: XIV.

Jaromirus, ſeu Gebhardus Ordine ſeptimus Epiſcopus Pragenſis, Wratislai I. Bohemorum Regis frater germanus.

SI ſemel aut iterum peccâſſe (ùt ſunt quidam hodiéque humanæ vitæ, & imbecillitatis immemores) illaudatum aliquem in omne tempus efficeret, & ſi malefacta nullis unquam obtegi poſſent benefactis, non auderem profectò *Jaromirum* nominare, qui petulantiâ militari principia ſui honoris corruperit; at quia ſinè vitijs nemo naſcitur, & nemo vivit, & gloriæ partem apud rerum humanarum prudentes verti debet, aliquando peccâſſe, & receptum ad virtutem habuiſſe; ex hoc numero *Jaromirus Epiſcopus Pragenſis*, ubi ſemel virtutis iter ingreſſus eſt, tam ſanctè reliquum vitæ peregit, ut cum *SS. Præſulibus Bohemiæ* meritò accenſeri oporteat. nihil illo religioſius, liberalius, & (quod mirêre) mitius poſtea fuit. Vitam optimi Præſulis ex uno veſtigio (velut olim Herculis) æſtimare licebit; Verni jejunij tempus (quod Chriſti doloribus commemorandis Eccleſia præfixit, juxta illud: Erit vita tua pendens ante te) tranſigebat in hunc modum: *Tempore quadrageſimali mos erat ſuus. ſemper cilicium habens ſubtus, deſuper veſte Epiſcopali indutus, diebus paſcit humanos obtutus, noctibus verò ſacco veſtitus latenter, Eccleſiam ingreſſus, & ſuper pavimentum humi proſtratus, tam diu perſeverat in precibus, quoadusque largo imbre lacrymarum madida fuit, cui incubuit humus.*

1090. 26. Junij.

Jaromirus Epiſc. quomodo vitã ſuam correxerit.

Coſ. Prag. Decanus in Chron: Boh.

Quadrageſimalis Pietas Jaromiri Epiſcopi

Digitized by Google

Inde conſurgens ad agapen faciendam, & priuſquam ruminet Pſalmos, quotquot ante Eccleſiam invenit miſeros, boni operis per copiam ſupplet eorum inopiam; finito Pſalterio idem facit: poſt matutinas autem XL. panis quadrantes, & totidem allecia, ſive alicujus edulij partes, dividit inter pauperes. Quartâ autem vice, jam appropinquante luce, ad numerum Apoſtolorum lavans pedes duodecim peregrinorum, dividit his formas bis ſenas denariorum, quibus ad horam prandij in abdita ſtuba, vel caſa poſitis, abundè ipſe neceſſaria apponit, & dexterâ ſuâ cibum, & potum eis benedicit; deinde ad publicam menſam vadit, & Miſericordia in egenos. *ſecum XL. egenos pavit. Similiter ad ſedem ſuam Pragæ conſtituit quotidie undecim pauperes páſcendos, & bis in anno veſtiendos à corrigia calcei uſquè ad maſtigiam pilei. Item nonnullos adventantes hoſpites, & pauperes Clericos, nimijs dationibus obligat, ut per totam quadrageſimam ſecum manentes, tam pro vivis, quàm defunctis Pſalteria legant; ad ſingula quæque Miſſarum ſolemnia, quotquot in Capella quâque die fuerint celebrata, trina dari fecit numiſmata denariorum; omnibus autem diebus Dominicis duodecim nummos, feſtis verò Apoſtolicis, & in alijs majoribus ſolemnitatibus ducentos offert, ſuper pixidem SS. Reliquiarum argenteos. Quámque fuerit largus, ſi te delectat ô prudens ſcire lector, pelliciam Epiſcopalem nunquam integrum per annum portabat, ſed unam hyemalem in Paſcha, alteram æſtivalem in feſto S. Wenceslai ſuis Ca-* *Coſ. in Chr. ad A. 1030.* *pellanis donat. Sic & in cæteris donativis largum fuiſſe ſcias.* hactenus *Coſmas* ejus temporis Scriptor, ſic enim canit:

> *Gemma Sacerdotum cunctorum, laus Bohemorum*
> *Dogmate præclarus, pius Antiſtes Geberhardus,*
> *Vivat ut in Chriſto mundo migravit ab iſto,*
> *Moribus, & vitâ, de cujus dicere multa*
> *Fert animus mihi, ſed deſunt in pectore ſenſus,*
> *Pauca tamen fari libet hæc: quæ vidimus ipſi.*

tum ſubjicit, quæ attulimus.

Obitus & Epitaphiũ. Obijt pius Antiſtes An. 1090. 26. Junij *Strigonij* in Hungaria, apud *Ladislaum Regem* amiciſſimum, veneno hoſtium dolo extinctus.

TIT: XV.

Marcus Cathedralis Eccleſiæ Pragenſis Præpoſitus.

1096. Marci Præpoſiti gen⁹. INter celeberrimos, nativitate, ſapientiâ, & ſanctimoniâ *Præpoſitos Pragenſes* præcipuum habet locum, antiquitatis etiam prærogativâ ſuperat, *Marcus ex Comitibus Mielnicenſibus in Bohemia* ortus, cui An. 1066. ex *Hag. in An. Boh. 1066.* Præpoſito ad Epiſcopatum Pragenſem evectus *Jaromirus*, *Ducis Bohemiæ Frater*, dignitatem veterem ſuam *Præpoſiti* ſponte conceſſit; aptiorem certè inve-

invenire non potuit: *ex illa gente*, Hagecius inquit, *Marcus prodierat Comitum Bſſoviorum, qui olim cum Czecho ex Croatia in haſce oras advenerant;* ac poſtea *Hroznatæ*, ſeu de *Hroznietin* (quod hodie *Lichtenſtat* in Cubitenſi regione dicitur) tandem *Hroznietino Teplenſi* Cœnobio tradito, ab arce nova abs ſe ædificata (quæ *Gutſtein* dicta eſt) *Domini Guttæ*, vel de *Guttſtein*, vel de *Guttenſtein Comites* appellari cœperunt. Sed de *Marci Comitis* doctrinâ, id quoque tradit *Hagecius*: fuiſſe literis, & prudentiâ excultiſſimum, unicum in *Bohemia* ſæculi ſui *Magiſtrum, Civilis, & Canonici Juris* peritiſſimum, & quod maximè quærebatur, ſingulari in divinis literis interpretandis ſolertiâ, & fælicitate. Ad Sanctimoniam ſpectant quæ ſequuntur: *dilexit decorem domûs DEI, & primus Canonicos, & Clericos Pragenſes, tum adhuc communiter viventes, ad omnem morum, vitæq; ſanctitatem adduxit: antea, quod fatendum eſt* (ait idem Hagecius) *Clerici Eccleſiæ Pragenſis (quamvis Canonici dicerentur) erant ignari rerum omnium, rudes, in profano habitu incedentes*, (nolo quæ ſequuntur adjicere) pergit: *At Marcus Præpoſitus Inſtructionem quandam, ſeu Regulam confecit, eóſque verbis, & exemplis diſciplinæ Canonicorum aſſvefecit, certum habitum, eúmque Eccleſiaſticum præſcripſit, Rubricas in uſum deduxit, renovavit, correxit. Quatuor ſupra viginti Canonicos ipſe Marcus inſtituit, eíſque de ſufficientibus alimentis providit. Denique optimus Præpoſitus, ut eos pacaret, quibus nihil ſatis eſt, ex Decimis ſuis, & Eccleſiæ proventibus omnibus, quartam ſolùm partem ipſe capiebat, tres partes priores Canonicis percipiendas relinquebat &c.* Multa alia de Marco commemorat *Hagecius*. Poſtquam *triginta annis Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus* fuiſſet, magnâ bonorum omnium partâ commendatione, vitâ exceſſit. Obijt circa Annum Domini 1096. nam, cùm conſtet ex *Hagecio Præpoſitum* electum An. 1066. & triginta annis eam dignitatem geſſerit, neceſſe eſt ad *Annum Domini 1096.* vivendo perveniſſe.

Merita ejus in Eccleſiã Pragenſem.

Nota.

Obitus.

Tit. XVI.
Juditha, & Ludmilla Sorores, filiæ Wratislai I. Regis Bohemiæ.

WRatislaus Rex ex ſecunda conjuge *Adleta, Andreæ Ungariæ* Regis filia, mares duos, totidem puellas ſuſcepit, conjugio magìs ſancto, quàm in ſucceſſione fælici: quippe *Borzivojus* filiorum alter (ùt in *Epitome* narravi) plurimis jactatus ærumnis, in exilio vitam clauſit, alter, *Wratislaus* ſcilicet, puer extinctus eſt; at *Judith Wladislao Hermanno Poloniæ* Principi nupta, ad miraculum virtutibus claruit; habet ejus miras laudes, qui nuper *Hypomnemata Reginarum Poloniæ* vulgavit, egregius, & prudentiſſimus Scriptor Polonus *Kochovvsky*; eadem *Judith* populum gra-

1109. Juditha pro populo relevando apud Maritum intercedit.

 vibus

vibus exactionibus oppreſſum relevavit ſuâ apud maritum commendatione, optabili, & in mores noſtros utili exemplo, ſi Principes ſtirpem ſuam perennare velint, ùt alicubi probavit *Theophilus Raynaudus*; decennio *Juditha* ſterilis fuit; voto deinde ad *S. Ægidium in Galliam* miſſo, prolem impetravit *Boleslaum Krzivouſtum*; deſcribunt hæc miracula, & *Judithæ* pietatem Poloni Scriptores. Obijt 1085. alijs 1082. alijs 1289. 25. Maij. Moriens facultates ſuas omnes pauperibus, mundum verò muliebrem *vivens adhuc* (quod ego magnæ in fæmina virtutis documentum eſſe reor) in cultum *Eccleſiarum* donavit. Sub mortem à marito impetravit, ut *Croppenſem*, ſive P*abianecenſem* Comitatū (Miechovius *Krobie* vocat) *Collegio Sacerdotum* C*racovienſis Baſilicæ*, *Lagovienſe* territorium C*ruſnicienſi*, ſeu *Wladislavienſi Epiſcopo*, *Nanſnienſem* ditionem *Tinecenſi* Cœnobio ſempiterno Jure donaret.

Miechov. l. 3. C. 1. Crom. l. 5.

Impetrat multa Eccleſijs.

Ludmilla uterina *Judithæ* ſoror, quibusdam Scriptoribus etiam *Judith* appellata, nihilo inferior vitæ Sanctimoniâ fuit; In Conjugem data *Viperto Comiti Groicenſi Luſatiæ Marchioni*. *Ludmillæ* laudes *Dreſſerus*, & *Fabricius* prædicant. Obijt 1109. 17. Decembris juxta alios 1124. Duo Cœnobia fundâſſe dicitur, utrumque Virgineum, *Viceburgenſe*, & *Bichlingenſe*. qui alios Fundatores nominant, *Ludmillam* tamen Cœnobiorum redditus, & opes plurimùm auxiſſe fatentur. C*oſmas* illius temporis Scriptor, *Ludmillam DEO devotam famulam*, *Weleslavinus fæminam ſanctam* appellant; eadem in honorem *S. Thomæ Apoſtoli* Capellam in Eccleſia Pragenſi conſtruxit, & dotavit, ſic, ut in ea *quotidie Miſſa pro Defunctis* legeretur. *Vipertus* porrò Princeps optimus, mortuâ *Ludmillâ* (ſeu *Judithâ*) ante obitum monaſticam vitam *Pegaviæ* amplexus, paulò pòſt *Ludmillam* ſecutus eſt in Cœlum. Ex C*hronico Pegavienſi*, & *Lupacij Calendario* quæ ſequuntur exſcribo: *Ludmillam* (quam illi *Juditham* appellant) cùm P*egavienſis Cœnobij Templum* in honorem *S. Jacobi* An. 1096. 27. Julij conſecraretur, proceſſiſſe in medium auro textis induvijs regaliter adornatam, & primùm C*oronam* auro gemmísque fulgentem, deinde *cycladem* inſtar Dalmaticæ auro textam pretioſiſſimi Operis, quam ſub mantello ferebat, ſuper *Altare Deo, Sanctóque Jacobo* depoſuiſſe & donaſſe, ut quàm ditiſſimè Divinitas in ſua nova Eccleſia coleretur.

Vid. Epit. hiſt. l. 3. C. 1?. in Notis.

De Ludmilla.

Coſ. in hiſt. Boh. Weleſl. 22. Maij. Manlius in Luſatia. Dreſſer. in Millenar. VI. P. 2. in Groicenſib.

Ejus in ſacris rebus liberalitas.

Lupac. ad 27. Julij.

TIT: XVII.

Meinhardus Pragenſis Epiſcopus, Vir invictæ, & heroicæ prorſus patientiæ.

MOrtuo *Hermanno* Epiſcopo Pragenſi An. 1122. ſuffectus eſt ex P*ræpoſito Boleslavienſi* (ùt quidam affirmant) *Meinhardus* P*ræſul in ordine denus*, ùt C*oſmas* eorum temporum Scriptor cecinit. *Hic Epi*ſ*copus*

1134. Coſmas in hiſt. Boh.

ſcopus Anno 1124. *reperit oſſa B. Podivini* (verba *Coſmæ* refero) *eáque condit humi in Capella, quæ eſt ſub terra inter altare S. Nicolai Epiſcopi, & Tumulum Epiſcopi Jaromiri.* Idem *Meinhardus* An. 1129. amore in S. Præſulem *Adalbertum* incenſus, ejus ſibi ſacrum Tumulum ſumpſit ornandum, auróq; & gemmis contexit ſummâ artis gratiâ, atque in id opus tria millia, & ſeptingentas (alijs 70.) ſexagenas Pragenſes (pretium illâ ætate propè ter, quàm hodie vulgò ſit, majus) expendit; Anno demum ſequenti *Peregrinus in Terram Sanctam* conceſſit. Hujus liberaliſſimæ pietatis, & virtutis præmium, alia virtus, aut virtutis facultas oblata eſt *Meinhardo*, quem DEUS Cœlum ingredi incruento Martyrio coronatum voluerat: inſimulatus eſt conjurationis initæ adversùs *Sobieslaum Bohemiæ Principem* tam probabili accuſatione (quippe à morituris extortâ) ut nihil propiùs fuerit, quàm ut periret; deſcribit has calumnias fortiſſimè à *Meinhardo* toleratas, omnium diligentiſſimè *Jaroslaus*; at quia hic liber in *Bibliothecis* latet, *Dubravius*, & *Hagecius* conſulantur. Vix emerſerat *optimus Præſul* accuſatione & judicio diu moleſtiſsimè protracto, *Epiſcoporum duorum, & ſeptem Abbatum ſolennibus cærimonijs* à tam atroci crimine abſolutus, cùm nova iterum innocentiſsimo *Præſuli* calumnia ab ijs, quibus minimè omnium oportuit, irrogatur; apud *Moguntinum Metropolitanum* cauſsâ jactatâ, opinione multorum damnatus, innocentiâ probatâ abſolvitur, ſuæque reſtituitur Sedi; accuſatores, & maledictos pœnâ talionis deturbâſſet alius de gradu; *Meinhardus* ùt primùm *Pragam* attigit, omni injuriâ ex animo deletâ, catenarum, & compedum vice, innocentiſsima brachia in hoſtium colla extendit, arctéque vero *Chriſti* amore complexus omnes, oſculis calidiſsimis vultum omnem, & caput ſingulorum opplevit, & rigavit ſenilibus lacrymis, amicè appellans, & quaſi nullam unquam accepiſſet injuriam, beneficia ultro, & dona ingeſsit, oblivione omni injuriarum ſecutâ. majorem ſe *Meinhardus* in hac animi excelſitate, & fortitidine præſtitit, quàm ſi miracula patraſſet? majus enim eſt miraculum, injurias tantas concoquere, & *Chriſto* donare, quàm oratione elatum ſublimem vel in cœlum rapi. Heroicæ huic patientiæ reliquæ virtutes congruebant in *Præſule Meinhardo*, ùt vetuſti Scriptores eorum temporum atteſtantur.

Meinhardi liberalis pietas in S. Adalbertum.

Adverſis jactatur.

Jaroslaus Præmonſt. in M. S.

Amor inimicorum mirus in Meinhardo

Fuit *Meinhardus* Eccleſiarum, ac præſertim ſuæ *Pragenſis* maximus amator, præter *Tumulum S. Adalberti* multis millibus ornatum, & *Salvatoris ad Hieroſolymam ſepulchrum* (quod, ùt dixi, peregrinus adierat) auro obryzo, & gemmis lucente materiâ, ditiſsimè contectum, fundavit quoque *Canonicorum* (ut voce uſitatâ utar ad claritatem) *Præbendas* magnis opibus in *Eccleſia Pragenſi*, ob eámque cauſſam 2. Julij, æternam quotannis memoriam in ſacris à grata poſteritate retulit. Idem *Præſul* multis, magníſque muneribus *Cænobium Bambergenſe* (*Montem Monachorum* appellant) proſecutus eſt

Fundator aliquot Præbendarum in Eccleſia Pragenſi.

Digitized by Google

eſt, ac ditionem *Künigsfeld* emtam de ſuo, Cœnobio illi addixit, & donavit; quod eum *S. Ottonis*, cui perſamiliaris erat, amore feciſſe ſuſpicor, qui hoc Cœnobium impensè coluit, & poſt *Meinhardi* mortem An. 1139. in eodem eſt tumulatus; at *Meinhardus* plenior meritis, quàm ætate, Anno Chriſti 1134. 3. Julij vitâ deceſſit, & ad parata invictæ patientiæ ſuæ, & cæterarum virtutum præmia, evolavit in cœlum.

Obitus.

Tit. XVIII. Sobieslaus I. Bohemiæ Dux.

1140. 14. Feb.

Sobieslaus ejus nominis primus, filius *Wratislai Bohemiæ Regis* ex *Svvatavva Caſimiri* Poloniæ Regis filia genitus, poſt fratres ſuos *Borzivoium II. & Wladislaum I.* mortuos, An. 1125. *Bohemiæ* imperium auſpicatus eſt, & annis 15. geſsit. Nihil in hoc Principe humile quisquam ſibi depingat animo, ipſæ virtutes, & ſanctitas Regia fuit: aliæ ſunt privatorum, aliæ Principum virtutes. Quantum cælo placeret Princeps, cœleſtes oſtenderunt ſuppetiæ: aſpectabilis *S. Wenceslaus* An. 1126. aciem præceſſit, quâ victoriâ Regni rivalis *Otho* cecidit, & *Lotharius Imperator* (rarum ſpectaculum) inter captivos repertus eſt. Inſidijs deinde *Wrſſovicenſium* appetitus Princeps, conjurationem SS. Apoſtolis *Petro, & Paulo* prodentibus, evaſit; gratus *Sobieslaus* novo more triumphavit nudis pedibus, nudo capite in ſacco, *Eccleſias Pragenſes*, auro plurimo in pauperes erogato, orando percurrit. Quot Urbes, quot arces condiderit, in *Hagecio* leges; *Miſa* Civitas *Sobieslao* Sancto conditore gloriatur; ſed mihi ſacra propoſitum eſt hoc loco tractare: In Złit monte *S. Georgij Eccleſia Sobieslai* opus eſt, deinde *Zielivenſe*, ſeu *Siloënſe Cœnobium; Wiſſehradenſis Eccleſia* regificè exornata, & locupletata; addidit hîc porticus Eccleſiæ, pavimentum quadrato lapide conſtravit, picturâ pereleganti parietes renovavit, lateritijs tegulis Eccleſiam, Sacella, Domos omnes Sacerdotum contexit; *Coronam* tumulo Patris impendentem, auri 12. argenti octoginta pondo, ſuſpendit, ad eandem Eccleſiam Sacerdotia triginta duo adjecit, fundatione liberaliſſimâ, ſicut die noctúque in *Wiſſehrad* Divina canerentur. Uno ante mortem anno integro, quotidie pro ſe, quaſi jam demortuo, *Sacra* ad aras funera fieri juſſit, & quaſi præmortuus, cum lacrymis orans ſpectavit, quod poſt mortem optaret. Ità comparatum 14. Februarij An. C. 1140. *Arnoviæ*, mors rapuit; *Pragam* devectus *Canonicorum Wiſſehradenſium* humeris, velut *ſecundus Fundator* illatus in Tumulum, prope Patrem *Wratislaum* humatus eſt, Princeps bello, ſed magìs virtutibus Regijs inclytus, & ſuis omnibus chariſſimus, Conjugi præcipuè Matronæ pijſſimæ *Adletæ Belæ II. Ungariæ Regis ſorori*; quæ mariti mortem non ferens, octavo menſe contabuit, ac in eodem tumulo, ùt optarat, eſt ſepulta.

Sobieslai cæleſtis victoria.

Weitmül in Chron. M. S. Iaroſl. Crug. 14. Febr.

Fundationes Sobesl:

Corona Wiſſehraden:

Obitus.

Tit: XIX.

Digitized by Google

TIT: XIX.

Gezo primus Abbas in Strahow, ſeu in monte Sion Pragæ, Præmonſtratenſis Inſtituti.

ANno 1143. *Wladislaus* inclytus armis Bohemiæ Princeps, incitante *B. Henrico Zdik* Olomucenſi Epiſcopo, qui, ùt in ejus vita narratum eſt, ſtudio virtutis incenſus, totum ſe *Ordini Præmonſtratenſi* jam Epiſcopus conſecraverat, *Wladislaus*, inquam, Princeps Strahovienſe Cœnobium maximis opibus fundavit. Colonia *Pragam* ex celeberrimo *Steinfeldenſi Cœnobio* deducta tantùm octo capitibus conſtitit, ſed addidêre ſe ſtatim ex *Bohemis* non pauci, atque inter eos *Jaroslaus Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus*, ex quo iſta deſcribo: hos inter octo priores *Gezo* fuit, Vir authoritatis, & doctrinæ maximæ, quem cùm nomino, virtutem ipſam videor nominâſſe. *Colonienſis Eccleſiæ Canonicus* cùm adhuc eſſet, objecto mirabili ſomnio, omnes vitæ ſuæ rationes mutavit: videbatur *in ſtallo* ùt vocant, & ordine Canonicorum ſtare, cùm neſcio quis horridâ, & ingenti ſpecie Vir *Eccleſiam* ingreditur, virgam manu prætendens, quâ certos quoſdam è *Canonicis* leniter feriebat; jam ad *Gezonem* quoque Virgator ille veniebat, ſed ferire conantem *Gezo* corporis agilitate eluſit, virgámque vitavit, ſimul anhelans, & ſudans ſomno triſtiore ſolutus eſt. Paulò pòſt eodem ordine, quo priùs in ſomnis contingi viderat, *Canonici Colonienſes* auferuntur è vità; *Gezo* Divinum fuiſſe ſomnium intelligens, ut ſeſe ad mortem rite compararet, vale honoribus omnibus dicto, circa An. C. 1134. in Cœnobium *Steinfeldenſe* ſanctimoniæ famâ celebratiſsimum, relicto poſt tergum genere humano, abdidit ſeſe, vitámque cœleſtem profiteri cœpit. Plerumque ejuſmodi matura, & gravis ætas cùm ſe virtuti adjunxerit, gnaviter, ac cæteris ardentiùs in propoſitum incumbit, & quaſi ſtudio moram redimere, & compenſare vellet, ſponte fertur in ardua: itaque nihil *Gezone* ſtudioſius, nihil in curſu ad virtutem incitatius; mitis idem, & tractabilis, totus ad obſequia Religionis, & inſtituta cœleſtia anhelabat, peritiſsimus erat Religioſæ diſciplinæ, quam primùm à ſe, tum ab alijs exigebat. *Jaroslaus*, qui eum ſæpe ad fratres dicentem audierat, illud *Eliæ Prophetæ* à Spiritu ſancto datum elogium accommodat Gezoni: *Surrexit quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* His virtutibus, cùm ſe omnibus honoribus indignum deputaret, velut maximè idoneus, omnium *Pragenſium* Fratrum ſententijs *primus Abbas* eligitur. *Gezo* diu ſententias fratrum, & *Henrici Epiſcopi, & Wladislai Fundatoris* preces fruſtratus, tandem, *Ulrici Steinfeldenſis Præpoſiti, & Patris* imperium detrectare non potuit. Geſsit eum honorem ad Annum uſquè 1149. quo Calendis Januarij evolavit in Cœlum. Ejus & *Godſcalci* (qui

1149. 1. Jan.

P. 1. pag. 49 Epit: noſtra l. 3. C. 10.

Gezonis mirabile ſomnium.

Jarosl. in M. S.

Gezo ardentiſſimus Exhortator.

poſtea

Laudatio brevis Cœnobij Strahovienſis.

poſtea primus *Zielivenſis Abbas* fuit) inſtitutione, & ſanctiſsimis legibus ad eam ſanctimoniæ famam *Cœnobium Strahovienſe* pervenerat, ut certatim Epiſcopi, Principes, ac Reges (ùt alio loco docebimus) depoſitis Coronis, & omnium honorum inſignibus, in hoc Cœnobio degerent, filios ad virtutem educarent, aut etiàm ipſimet profiterentur; conteſtata omnibus hiſtorijs res eſt: centum propè annis non aliundè, quàm ex hoc uno Cœnobio (tanta erat, ut ſic dicam, *præſcriptio Sanctitatis!*) ad *Olomucenſis Eccleſiæ* infulas vocatos, petitos, & electos; *Gezoni* hæc attribuuntur omnia: nam ferè initijs cætera reſpondent. Agit de *Gezone Jaroslaus Præmonſtratenſis in Chronico M. S.* & ex eo *Crugerius* noſter ad 1. Januarij.

Tit: XX.

Hedwigis Theobaldi I. Filia, Conjux Friderici I. Brenæ Comitis, & filia ejus Sophia Antiſtita Parthenonis Quedlinburgenſis in Saxonia Ord. Ciſtercienſis.

1210. THeobaldus I. cognomento *Magnus*, *Wladislai II.* Bohemiæ Regis fratèr (à quo *Theobaldo Sſvvihoviorum* illuſtriſsima ſtirps rite deſcendit) inter alias complures nobiliſsimas proles ex *Sibylla*, vel *Sidonia* Wittelſpachia *Hedvvigem* genuit, quæ ob formæ, & morum gratiam ſingularem à *Friderico I.* Brenæ Comite, & *Luſatiæ Marchione* expetita, venit in manum. Fuit Matrona omnibus, quæ eum ſexum, & conditionem decebant virtutibus prædita; pia, in orando, ſedula, pauperum Mater, humilis, neque ſuper ullum ſeſe efferens, in primis verò Divini cultûs promovendi ſtudioſa; eo fine *Brenæ* in Luſatia Virginum Ciſtercienſium Cœnobium lautiſsimè fundavit, maritóque author fuit, ut aliud ipſe pro viris ejuſdem Inſtituti *Buchæ* in Oſterlandia fundaret; at cùm moriens *Fridericus* An. 1181. 4. Januarij opus imperfectum reliqviſſet, *Hedvvigis* de ſuo, filijs quoque adjuvantibus, Cœnobij fundationem abſolvit, ac nè ſua tantùm dare videretur, ſeipſam DEO in *Brenenſi*, quod fundârat Cœnobio conſecravit inter *Converſas*, & ut ità dicam, Cœnobij mediaſtinas, humilem, & abjectiſsimam vitam profeſſa; vidua poſt mariti mortem annis 29. tandem An. 1210. 19. Februarij ſanctiſsimè deceſsit, tumulo marmoreo altè è terra extante honorata.

Luſ. Manl: Fabr. l. 5. Orig. Saxon:

Virtutes Hedvigis.

De Sophia Veſtali.

Hedvvigis plures reliquit liberos, at *Sophia* ejus filia, virgo ſanctimoniæ nomine à *Saxonicis*, & *Luſaticis* Scriptoribus mirificè commendatur: ingreſſa, nè quid mundus eſſet, ſcire poſſet, *Ciſtercienſe Virginum* Cœnobium adoleſcentula *Quedlinburgi* in *Saxonia*, tantis repentè cœpit clarere virtutibus, ut eam velut de cœlo miſſam reliquæ virgines intuerentur, & ad ejus exem-

exemplum, quòd modeſtiâ, & charitate præſertim emineret, conformare ſeſe omnes ſtuderent. *Antiſtita* deinde omnium votis potiùs, quàm ſuffragijs lecta, omnes ſuas fecit, quòd ſe in ejus animo, & corde habitare ſcirent; obiit magno ſui deſiderio relicto, multis defleta lacrymis, opinione Sanctimoniæ diu in memoria ſororum remanente! Annum & diem mortis legendo reſcire non potui.

TIT. XXI.

Wladislaus Marchio Moraviæ Wladislai II. Bohemiæ Regis ex Juditha Thuringica filius.

WLadislaum (quem nonnulli perperam *Wradislaum* appellant) Principem religionibus ſacris, & Sacerdotibus addictiſſimum, *Moravia* 1222.
Marchionem habuit; qui in ſumma regnandi licentia, nihil ſibi, niſì quod per virtutem liceret, permiſit. Regis filius, & delicium ſubditorum amantium cùm eſſet, & à Proceribus Bohemiæ *Regnum* oblatum haberet, jámque etiam quinque menſibus regnaſſet, raro & admirabili demiſſionis exemplo, nullo cogente metu, nullo nisì virtutis amore, *Fratri Premyslao Ottogaro I.* Sceptrum dedit in manum, *Moraviâ* retentâ. Propoſitum & votum unicum optimi Principis in regnando fuit, quantum æquitas ſineret, de omnibus Ordinibus ſubditorum, quàm optimè poſſet, mereri, ídque non aliis artibus, quàm publicâ pace, juſtitiâ, æquitate, civilitate, & acri in bonum comune vigilantiâ ſe conſecuturum ſperabat; amatus viciſſim à ſuis liberaliter, ſic ut pro Principe, ſi res poſceret, nullum periculum, nè mortis quidem, ſubditi recuſarent. Miſericordiâ in Orphanos, egenos, Viduas, alióſque opis indigos tantâ, ut nullum abire diem ſineret, quem non memorabili aliquâ benignitate, & liberalitate ſignaret; ad hæc pietatis opera acuebat *Principem* quotidianæ, tam in Eccleſijs, quàm in domeſtico Sacello orationis aſſiduitas. In omnibus, quæ ad DEI cultum ſpectarent omnes munditias, & divitias, omnémque ſplendorem adhibebat, & certamen illi erat magnum cum *Roberto Olomucenſi Epiſcopo* ejusdem Genij & in ſacris magnificentiæ Viro, uter pretioſiora ad *S. Wenceslai Cathedralem Eccleſiam* (quæ tum collapſa reſtituebatur, & ſurgebat) aliáſque Eccleſias adferret, victúmque ſe non ſemel à *Roberto Wladislaus* ingenuè fatebatur. Obtulerat *Eccleſiæ Olomucenſi Wladislaus Crucem auream* duodecim auri pondo gravem, gemis diſtinctam clariſſimis: at *Robertus* nihil primùm ſentiente Principe *Thecam totam auream*, auri pondere, gemis, artificio longè ſuperiorem ſuſpendit, in eâque *S. Chriſtini Martyris* Corpus incluſit. At *Wladislaus* majori rurſus opere *Cœnobium Welehradenſe*, & ampliſſimam Baſilicam vetere dirutâ, in honorem *Divæ Matris* Ciſtercienſis inſtituti filijs excitavit eo maximè

Virtutes Wladislai Marchionis

Certamen liberalitatis in Eccleſias.

Fundat Cœnobiũ Welehradenſe.

ximè illectus, quòd *primam ibi Eccleſiam in Moravia S. Cyrillus Slavorum Apoſtolus* conſecraſſet. Denique Regijs virtutibus, & apud DEUM, & apud homines ſpectatiſſimus *Princeps*, quem im̃ortalem eſſe oportuerat (ſi quid humana vota valerent) mortalis eſſe deſiit An. 1222. *Welehradi* in Eccleſia ſua tumulatus, in quam etiam *Robertus Epiſcopus* virtutum ejus & pietatis, ut ita dicam, corrivalis eſt illatus, utriusque Tumulum, Sacerdotes, Proceres, Religioſi, divites æquè ac pauperes lacrymis irrigarunt. *Dubr. l. 15. hiſt. Boh.* *Andreæ Epiſcopi Pragenſis* Viri ſanctiſſimi vox fuit (quæ Fratris Regis *Ottogari* iram accendit) *cum Wladislao Marchione unicum Sacerdotum præſidium intercidiſſe.* Memoriæ Doxanenſis Cœnobij breviter, mortem, & mortis diem (quem alibi non reperias) annotant: *12. Auguſti* (An. 1222.) *obijt beatæ memoriæ Wladislaus Marchio, filius Regis Bohemiæ, qui contulit Cœnobio noſtro centum Marcas, & pretioſam Imaginem S. MARIÆ pro L. Marcis; fuit omnium Spiritualium, Viduarum, & pupillorum defenſator.* Vide Epitomen noſtram l. 3. C. 13.

TIT: XXII.

Abrahamus Eremita Strzelnenſis, dein Abbas Gradicenſis ad Olomucium Ordinis Præmonſtratenſis.

1232. 4. Apr

LAtuiſſet ſinè dubio oblivione temporum ſepultus *Abrahamus Præmonſtratenſis*, niſi ex vetuſtiſſimis, & fidiſſimis *Cœnobij Gradicenſis* Codicibus ejus memoriam *Georgius Crugerius S. J.* in lucem protuliſſet. *Genus Abrahami nobile.* Apud Moravos nobiliſſimo genere ortum *Abrahamum*, tres Fratres, omnes *Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Canonici* ex more eorum temporum (quo doctæ Nobilitati primus in Eccleſijs honor dabatur) ſatis oſtendunt. *Abrahamus* honoribus, Chriſti humilitatem prætulit, ſéque in *Cœnobium Gradicenſe* ad *Olomucium*, virtute ſuâ involvens incluſit; *Ordinem ſacrum amplectitur.* id factum primo illius ſancti Cœnobij ſæculo circa An. C. 1200. (poſtquam ſcilicet An. 1151. pro *Benedictinis Præmonſtratenſes* inducti ſunt) non vanè ſuſpicamur. Donaverat Cœnobio *Gradicenſi* Anno 1203. *Wladislaus Marchio Moraviæ*, Princeps DEO plenus, & virtutibus quàm imperio notior (ut paulò antè in ejus encomio diximus) Silvam quandam *Strzelnam* nomine, quam fluvij duo *Odera* & *Morava* cingebant. *Eremum ſibi exſtruit Abraham⁹.* Hanc Silvam cùm aliquando ſubijſſet *Abrahamus*, tanto ſolitudinis amore, DEO intus impellente inarſit, ut nullum faceret poſtulandi finem, donec ab *Hermanno Abbate* facultatem impetraret in horridis illis locis, procul à conſortio & conſpectu hominum, degendi. Aliquot igitur aſſumtis ſocijs totus in eam ſolitudinem im̃igravit; adjuvêre viri pietatem *tres fratres Olomucenſes Canonici*, & in ea ſilva *Eccleſiam B. Virginis*

ginis, & S. Georgij Martyris honori ſtatuerunt. Vixêre in ea ſolitudine viginti ampliùs continuis annis divinis laudibus & obſequijs diu noctúque occupati; quibus exactis *Gradicenſe Cœnobium Abbatem* amiſit, miro omnium conſenſu abſens *Abrahamus Abbas* eligitur; miſsi qui advocarent, & deducerent. Explicari non poteſt quàm liquidis lacrymis, quantis precibus honorem *Abrahamus* tentârit excutere, neque nisì obedientiæ authoritate potuit ſuperari; unam illam conditionem adjunxit, *ut poſt triennium ad amatam ſolitudinem liceret reverti*: conſensêre Legati è ſolitudine extraxiſſe hominem contenti. Rexit Cœnobium admirabili prudentiâ & charitate, ſed magìs exemplis, cùm *Fratres velut Angeli obſequentes* id unum timerent, nè dilectum Patrem amitterent. Triennio expleto inexorabilis *Abrahamus*, protinus *Strzelnæ* ſuæ ſe reddidit, ut inter eos convenerat, lacrymis totius Cœnobij proſequentibus; ſed vix anni dimidium effluxerat, cùm jam ſenior ad capienda iṁortalia Virtutum præmia evolavit in cœlum An. 1232. 4. Aprilis.

Eligitur in Abbatem.

Renunciat honoribus & moritur.

Tit: XXIII.

Agnes Wenceslai I. Bohemiæ Regis Soror, cum filiabus Virginibus Adleta, & Hedwige, quæ mundum non noverunt; Ordinis Ciſterciensis.

ANno 1268. *Agnes* Wenceslai I. Soror, Ottogari I. filia, Matrona pietate inſignis, *Henrici I.* (Illuſtris, & liberalis cognomine) Saxoniæ Palatini Conjux *ſecunda* moritur. Quàm pretioſa ejus mors in conſpectu Domini fuerit, ſatìs indicat cœleſtis viſio: *Agnes* enim ſupremo morbo conflictans, vidit cœleſtem Genium ad ſe venientem, poculum aureum porrigere; cùm accepiſſet, guſtâſſétque: *quàm amara*, inquit, *potio!* tum Angelus: *amara certè, ſed dulcedo gratiſſima eam conſequetur: quia amaritiem mitigabit Dominus.* Narravit *Agnes* ſomnium Marito, brevique pòſt (quod indicabat viſio) morte deceſsit in Cœnobio *Vetero-Cellenſi* ſepulta. Ex hac *Agnete* ſtudioſiſsima virtutum omnium Matrona, non diſsimiles duæ filiæ ſunt genitæ: *Adleta, & Hedvvigis*, utraque (antè quàm quid eſſet mundus, quid hominum inutilis vita, quid profanæ voluptates, honores, divitiæ, noſcere poſſent) in Cœnobio **Weiſſenfels** religioſam vitam amplexæ, ſanctiſsimè vixerunt, ſanctiſsimè obierunt.

1268.

Epit. hiſt. l. 5. C. 15.

Agnetis memorabilis viſio in ſolatiũ mortis.

Ejus filiæ.

Fabricius *Agnetem* primam *Henrici* uxorem in *Miſnicis* agnovit, at in *Originibus* ſibi non conſtat, aítque ſecundam fuiſſe, ſed ſterilem; at ego *Lazium, & Genealogiam Thuringicam*, atque in cæteris eoſdem, tum *Chronicon Iſenacenſe, & Siffridum* vetuſtum Scriptorem, & *Dreſſerum* ſum ſecutus.

Fabr. in Miſnicis l. 2. & in Or. Sax. l. 2. in Henrico.

Siffri. Presbyt: Miſn. in Epit.

Dreſſer. in Marchion: Miſniæ.

 De

Sepulchrũ. De *Agnete* nihil ſcire volunt Scriptores noſtri, ſed, ùt ſæpe dixi, Genealogia Ducum, Regúmque Bohemiæ ad liquidum adducta non eſt; neque tamen in hac *Agnete* errare poſſumus, cùm tantâ authoritate Scriptorum nitamur, & ſepulchrum ipſum *Vetero-Cellis* extet, quod *Agnetis* genus, patrem & conjugium hodiéque teſtatur.

Tit: XXIV.

Wladislaus Paſſavienſis primùm Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Salisburgenſis.

1270. 24. Aprilis. AD Bohemiæ Regnum jure optimo ſpectat *Wladislaus Archiepiſcopus Salisburgenſis*, tum quòd in *Sileſia* Regni noſtri Provincia, tum quòd ex *Regio Bohemiæ* ſangvine prognatus. Pater ei fuit *Henricus Probus* S. *Hedvvigis* filius, Mater *Anna Wenceslai Ottogari* inter Reges ordine quarti *Bohemiæ Regis* ſoror, *Ottogari* Regis filia, virilis animi fœmina, de qua ſuo loco agemus. *Wladislaus* noſter, cùm ſe totum pietati tradidiſſet, toto etiam pectore in bonas literas incubuit, *Paduaq;* (quæ inter primas authoritate *Univerſitas ſtudiorum*) emenſo legitimo tempore, ornatus literarijs honoribus, domum poſtliminio revertit. Non potuit Doctrina cum tantis Natalibus, & tantæ virtuti juncta diu latêre. Itaque cùm *Otto Paſſavienſis Epiſcopus* numero ſexageſimus quintus diem ſuum obijſſet, ſumo Canonicorum omnium conſenſu, *Wladislaus* in demortui locum An. 1265. ſublectus eſt. Pauci abierant menſes, *Udalricus Salsburgenſis Archiepiſcopus* abdicat dignitatem; comendatione *Summi Pontificis*, quâ virtuti jam perſpectæ omnibus, vix erat opus, concordibus *Collegarum Salisburgenſium* votis, ad *Metropolis* gubernationem eligitur. Miſsâ confeſtim Legatione ad *Clementem Papam*, *Pallium Româ Wladislao* mittitur, tantúmque gratia virtutibus collecta tum apud Pontificem, tum apud Paſſavienſes valuit, ut cùm *Petrum* (quo ſtudia moderante in *Paduano* Gymnaſio uſus fuerat) *Wladislaus* pro ſe comendâſſet, & Canonici, & Pontifex ratam comendationem habuerint, eíque *Paſſavienſem* mitram conceſſerint, *Pontifex* confirmârit. Fuit *Wladislaus Princeps* admirabili morum innocentiâ, & in omni vitâ gratiſſimâ omnibus præditus ſuavitate. Caſtimoniæ ſæculis rarum exemplum edidit juvenis & adhuc in *Paduanis Scholis* diverſans: nam cùm ei *inops Pater* filiam formoſam clanculum adduxiſſet, tantum abfuit, ut ex ea malum gaudium quæreret, ut etiam præſente patre, miſertus inopiæ, tantum argenti, quantum ad dotem, & honeſtum conjugium ſatis eſſet, confeſtim numeraret, uno in facto *Joſephum* caſtimoniâ, *Nicolaum* beneficentiâ repræſentans. Annus D. 1270. optimo, & numeris omnibus abſolutiſſimo *Antiſtiti* poſtremus fuit: nam rebus omnibus in *Bavaria*, *Styria*, & *Carinthia* rite compoſitis in *Sileſiam*

Genus Wladislai.

Doctrina Wladislai.

Paſſavienſis Epiſcopus electus, Salisburgenſis Archiepiſc. creatur.

Admirabile in Juvene caſtimoniæ exemplum.

profi-

Digitized by Google

proficiſcenti eo animo, ut portionem ſibi à Parentibus relictam in *Eccleſiæ* ſuæ com̃odum converteret, *Amici* conſilium Præſulis ſubodorantes venenum porrexerunt, quod cùm excutere non poſſet, citatis itineribus ad *Eccleſiam* ſuam *Salisburgum* reverſus, victima *Chriſto* cecidit, maximo omnium luctu delatus ad tumulum.

Ut conſtet omnibus, quanti *Wladislaum* faceret Pontifex, & quanto in pretio Virtutum & Sanctimoniæ merito haberetur, adjiciam hoc loco geminam *Clementis IV. Epiſtolam*, quam ex *Henrici Steronis* Annalibus apud *Henricum Caniſium* exſcripſi.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilecto filio Wladislao electo Saltzburgenſi ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Clemens IV.

1265.

Henric: Stero in Anna: apud H Caniſium Tomo I. antiq. lect. f. 291.

ROmana Eccleſia, *cui divina inſcrutabilis altitudo diſpoſitione incommunicabili præcipuum contulit ſuper cæteras Magiſtratum, pium ad cunctas alias in hujus orbis latitudine conſtitutas* Eccleſias *materna proviſione habens reſpectum, laudabili ſtuduit hactenus obſervantiâ cuſtodire, ut de illis potiſſimam curam gerens, eis opportunitatis tempore occurrente congrua ſubventionis non differret conſilia tam libenter, quàm liberaliter exhibere.* Nos *etiam, qui licèt inſufficientibus meritis in ſublimi culminis Apoſtolici ſpecula ſumus, diſponente Domino, conſtituti, prædeceſſorum noſtrorum* Romanorũ Pontificum *in hoc veſtigijs inhærendo, prædictas* Eccleſias *tam proximas, quàm longè poſitas paternæ conſiderationis oculis intuentes, injunctum erga ipſas ſolicitudinis noſtræ miniſterium, circumſtantijs univerſis ac varijs perſonarum, rerum, locorum & temporum emergentibus neceſſitatum articulis diligenter inſpectis, quantum nobis ex alto permiſſum fuerit, ita vigilanter intendimus exercere, ut nihil prorſus in ſpiritualibus, vel temporalibus deſit ibi, quod per diligentiæ noſtræ ſtudium poſſit aut debeat procurari. Et quamvis miniſterij hujusmodi debitum circa ſingulas Eccleſias exſolvere cupiamus, erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, ut videlicet ipſis de* Paſtoribus *juxta cor noſtrum idoneis cœli providentiâ utiliter conſulatur, curis continuis, eóque anxiùs attingimur in ſultibus, quòd ſucceſſivis eò inſtantiùs propulſamur, quò ipſæ dum vacant, periculis ſubjacentes majoribus, potiori noſcuntur Apoſtolico Suffragio indigere. Sanè venerabilis frater noſter* Ulricus *quondam* Saltzburgenſis Archi-Epiſcopus *rectæ conſiderationis meditatione advertens, quòd ipſe qui jam vergens in ſenium, multâ proprij corporis debilitate gravari dicitur, in commiſſo ſibi plebis gubernaculo, varijs de cauſſis ſe fructuosè gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ac proprium & ſubditorum periculum reformidans Zelo charitatis, quo erga Eccleſiam ſuam vigebat, inductus, nè occaſione ſuæ impotentiæ gregem ſuum inimicus inſidiator invaderet, vel* Eccleſiæ Saltzburgenſi *utilitatibus per diſpen-*

Ulricus Archiep. Saliſburg: ſenectute gravatus.

Ulricus Archiep. ſponte decedit officio.

Pontifex Ulrici ceſſionẽ habet ratam, ſed Electionem ſibi reſervat

Salisburgẽſis Eccleſiæ damna.

Wladislai à Pontifice ſumma laudatio.

Nota.

diſpenſatoris invalitudinem forſitan deperiret, ipſius Eccleſiæ *regimine elegit ſpontè cedere; per literas & nuncium ſpecialiter ſupplici à nobis depoſcens inſtantiâ, ut ceſſionem ipſius, quam ſic offerebat ſpontaneus, de benignitate Apoſtolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipſius* Archiepiſcopi *quieti & commoditatibus providere, quàm ejuſdem Eccleſiæ occurrere periculis opportunâ diligentiâ intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Per hujusmodi verò ceſſionem in manibus noſtris factam, eâdem* Saltzburgenſi Eccleſia *paſtore vacante ordinationem illius nobis ſpecialiter reſervantes, inhibuimus expreſsè* Capitulo Saltzburgenſi *nè ad electionem, ſeu poſtulationem, aut nominationem aliquam procederent de Archiepiſcopo illâ vice, ac decrevimus nihilominus irritum & inane, ſi quid contra inhibitionem hujusmodi contingeret attentari. Et demum de ſalubri proviſione ipſius* Saltzburgenſis Eccleſiæ *ſolicitè cogitantes, poſt exactæ deliberationis examen, decens ac neceſſarium nihilominus & expediens fore vidimus, ut eadem Eccleſia titulo nobilitatis inſignis, quæ currentium dierum faciente malitiâ, multis eſt diſcriminibus expoſita, varijs conquaſſata moleſtijs, graviterque in temporalibus diminuta & enormiter in ſpiritualibus deformata Nobilis decore ſponſi, ac utilis ornaretur, cujus potentiâ & providentiâ circumſpectâ damna reſarciantur, ipſius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis ſemitam dirigantur, Eccleſiaſtica defenſetur libertas, Cleri ſtatus reddatur tranquillior, & commodis ſalutis & gaudij plebs lætetur. Unde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum à tuæ juventutis primitijs te gratum reddere ſtuduiſti, delectabiliter in animo revolventes, ac de redolentis tuæ famæ ſuavitate, quæ publico prædicatur teſtimonio, quòd claram ſereniſſimorum tuorum nobilitatem natalium, ſtudijs ac operibus nobilitare ſatagis virtuoſis, odorem acceptabilem ſentientes in te generoſum, ac* benedictionis filium *direxerimus oculos mentis noſtræ. In quo te ipſi* Saltzburgenſi *præficiendo* Eccleſiæ *noſter non indignè ſpiritus requievit, ſpem grandem ac fiduciam obtinentes, quòd cùm ſis multorum* Principum *conſangvinitate, & affinitate ſubnixus, literâ ſufficienti dotatus, gratus moribus, converſatione placidus, vitæ honeſtate conſpicuus, aliíſque virtutibus multipliciter inſignitus, in ſpiritualibus nihilominus providentiam ac in temporalibus diſcretionem obtinens,* Eccleſia *eadem per tuam potentiam & circumſpectionem fructuoſam, ab inſtantibus periculis efficaciter eruetur, à futuris præſervabitur ſalubriter; & non ſolùm in ſuis bonis juribus, immunitatibus, & libertatibus magnificè defenſabitur, verùm etiam optatæ felicitatis, & proſperitatis augmentum ſpiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum ſtatum ſubditorum ſibi, Cleri & populi, divinâ favente clementiâ conſequetur. His itaque dignâ meditatione penſatis, Eccleſiæ prælibatæ, cujus in hac parte profectum potiſſimè attendimus ſpeciali volentes diligentiâ providere, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in nomine Domini, non obſtante defe-*

ctu

Digitized by Google

ctu, quem in Ordinibus *pateris, & ætate, te tunc* Præpoſitum Wiſſehradenſis Eccleſiæ, *Capellanum noſtrum, prælibatæ* Saltzburgenſi Eccleſiæ *in Archiepiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & Adminiſtrationem illius tam circa ſpiritualia, quàm temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter diſcretionem tuam rogamus, monemus attentiùs, & hortamur per Apoſtolica ſcripta, tibi in Virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus tibi onus à Domino impoſitum reverenter ſuſcipiens, ad commiſſam tibi* Eccleſiam *cum plena noſtræ gratiâ benedictionis accedas, & illius commiſſum tibi regimen ſic prudenter, & utiliter exequaris, quòd ipſa tuo ſalubri miniſterio gubernetur, fœliciter ac proſpere dirigatur, túque velut Paſtor ſollicitus gregis Dominici tuæ cuſtodiæ deputati, vigilem curam gerere comproberis, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latiùs, & erga perſonam tuam benevolentia noſtræ ſynceritatis dignè de bono in melius augeatur. Datum Peruſij IV. Idus Novembris, Pontificatûs noſtri anno primo.*

Wladiſla ante legitimam ætatem Archiepiſcopus cõſtituitur.

Ejuſdem Wladiſlai laudes pertexuit idem Pontifex in literis ad Petrum Canonicum Wratislavienſem, quem loco Wladislai poſtulati, Eccleſiæ Paſſavienſi præfecit.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, dilecto filio Petro electo Patavienſi ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

H. Caniſius T. 1. antiq. lectionum in Annalibus Steron:

IN ſupremæ ſpeculationis vertice, cui nos licèt indignos Apoſtolicæ dignitatis gradus prætulit, conſtituti, de varijs immenſiſque negocijs jugiter emergentibus ſolicitudinis Apoſtolicæ ſtudio dirigendis continuâ reddimur attentione, ſoliciti, nè diligentiæ noſtræ miniſterium videatur deeſſe, ubi paſtorale tenemur injunctum nobis officium exercere. Inter quæ de ſtatu proſpero ac ſalubri Eccleſiarum omnium ubilibet poſitarum curæ noſtræ ſpecialiter, ſupernâ diſponente clementiâ, commiſſarum aſſiduè cogitamus, & profundis vigilijs excitamur, ut aliquid penitùs non deſit inibi, quod ad ipſarum utilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommoda deplorare conſpicimus, noſtrum animum convertentes, in hoc præcipuè noſtra ſedulitas officioſa verſatur, ut eædem de perſonis ſecundùm cor noſtrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eò inſtantiùs vigilamus, quod ad id ex ſuſceptæ adminiſtrationis cura ſpecialiùs obligamur; Et quò Eccleſias ipſas per vacationem illarum diutinam majoribus ſpiritualiter, & temporaliter exponi diſcriminibus intuemur. Sanè Patavienſis Eccleſia *Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filij* Capellani ejuſdem Eccleſiæ *profuturi electione Pontificis, ut eſt moris, die ad eligendum præfixâ convenientes, in unum Spiritus Sancti gratiâ invocatâ, dilectum filium* Wladislaum, *nunc* Saltzburgenſem Electum, *tunc Capellanum noſtrum, &* Eccleſiæ Wiſſehradenſis Præpoſitum, *in eorum Epiſcopum unanimiter, & concorditer*

Sede vacante multa damna emergunt Eccleſijs.

Laudatio Wladislai jam Electi Archiep: Salisburgenſ:

Digitized by Google

poſtulârunt, & poſtulationem hujuſmodi præſentantes illam admitti cum inſtantia poſtularunt. Nos *quidem poſtulatæ perſonæ, de cujus probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non, & de illius meritis certam volentes notitiam obtinere, eundem* Electum *ad noſtram duximus præſentiam evocandum, qui velut obedientiæ filius ſe noſtro conſpectui præſentavit. Licèt autem poſtmodum inſpectâ* Electi *ejusdem laudabilium copiâ meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium, & multorum fide dignorum laudabile teſtimonium, quàm etiam per experientiam facti nobis evidenter conſtitit,* poſtulationem *prædictã, velut de perſona ſufficienti & idoneâ canonicè celebratam deliberaſſemus admittere; interim tamen Venerabili fratre noſtro* Ulrico *quondam* Saltzburgenſi Epiſcopo, *pro eo quòd ipſe in commiſſo ſibi plebis gubernaculo varijs de cauſis ſe utiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ceſſionem ſuam* Archiepiſcopalis regiminis *nobis per ſpeciales literas & nuncium offerente, illámq; à nobis admitti cum inſtantia poſtulante,* Nos *tum ipſius* Archiepiſcopi *quieti, & commoditatibus providere, quàm* Saltzburgenſis Eccleſiæ *occurrere periculis, opportunâ diligentiâ intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Receptâ hujuſmodi ceſſione, nos attendentes, quòd nobilis* Eccleſia *ipſa, quæ currentium dierum faciente malitiâ, multis periculis eſt expoſita, virtuoſi, ac potentis indigebat curâ Rectoris, ipſum* Electum *eidem* Saltzburgenſi Eccleſiæ *in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem. Demum verò nè præfata* Patavienſis Eccleſia, *quæ* præpoſiti Paſtoris *carebat ſolatio, prolixioris vacationis detrimenta ſentiret, ſtudioſè vacavimus ad exquirendum Virum talem, qui ad ipſius Eccleſiæ regimen idoneus haberetur, unde nos ad perſonam tuam, quam noſtræ benevolentiæ plenitudinem aſſecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cùm ſufficiens literarum ſcientia ſuffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & converſationis honeſtæ, morum honeſtate decorus, diſcretionis maturitate conſpicuus, clarus meritis, & aliàs in ſpiritualibus, & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, ac ſperantes, quòd virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam* Patavienſem Eccleſiam *fæliciter dante Domino gubernabis, ipſaque utilis gubernationis munita præſidio ſalubriter præſervabitur à noxijs, & optatis proſperitatis affluet incrementis, in nomine Domini Te tunc* Eccleſiæ Wratislavienſis Canonicum *ipſi* Patavienſi Eccleſiæ *de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis præfecimus in* Epiſcopum & Paſtorem; *Ideóque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus impoſitum tibi onus à Domino ſuſcipiens reverenter ad commiſſam tibi* Eccleſiam *cum gratia noſtræ benedictionis accedas, illius amplificandis honoribus, & profectibus procurandis de te ſic reddendo ſolicitum, ut laudabilis famæ tuæ titulus apud remotos, & proximos clareat per effectum, & in delectationem nobis veniat, te ſemper & condignâ gratiâ proſequi, & tuis deſiderijs favorem benevolum impertiri. Datum* Peruſij *VIII. Kalendas Decemb.* Pontificatûs *noſtri anno primo.*

Laudatio Petri ex Canon: Wratiſlavienſi aſſumti in Epiſcopum Paſſavienſem.

Tit. XXV.

TIT: XXV.
Vitus Eccleſiæ Cathedralis Pragæ Decanus.

MAgnus ſuo ſæculo Sanctimoniâ, & Apoſtolicis prorſus virtutibus Vir fuit *Vitus, Collegialis Eccleſiæ ad S. Vitum Decanus*; ad eum audiendum tota, ut ſic dicam, ab imo, ſuis excita ſedibus, *Praga* minimi maximi, Clerus, Proceres, ac Populus convolabant; unicus eâ ætate Cleri *Reformator* audiebat, qui OEconomiam ſacram *Eccleſiæ Pragenſis* optimè ordinârit. Enumerat *Canonicus* Pragenſis incerti nominis (qui *Jaroslai* itidem *Canonici Chronicon* continuavit) *Miſſalia, Gradualia, Antiphonaria Muſica, Pſalteria, Hymnaria, Collectaria, Baptiſteria, Breviaria, & ſermonum libros ad Populum*, quorum ingentem numerum *Vitus* ſcribi fecerit (quod eo tempore, niſi grandi pecuniâ, perfici non poterat) atque eo pacto in *Officio Divino*, ùt idem loquitur, *Pragenſem illuſtrârit Eccleſiam*. Jam ſacras ædificationes *Viti*, quis enumeret? ampliavit ædificio pereleganti *Metropolitanam* (tum tantùm Cathedralem) *Eccleſiam*, in eáque *Cathedram* erexit lapideam cum cœlo ſuo, ſeu fornice varijs prætenſionibus lapideis ſummâ arte formato; *Altare S. Mathiæ in Strahovienſi Baſilica, Sacellum S. Michaëlis Archangeli in Pragenſi Eccleſia*, fundato utrobique divite Sacerdotio dotavit; *Vicarium perpetuum Decani Pragenſis* inſtituit, eámque in rem cenſus annuos in villa *Bikoß* comparavit; quotidie tres, aut quatuor mendicos menſæ ſuæ convivas habebat; feſtis & Dominicis diebus etiam quatuor; complures quotannis pauperes veſtiebat; *Bononiæ, Pariſijs*, aliíſque in Univerſitatibus alebat *Scholaſticos*; plurimas *Eccleſias* à fundamento excitavit, alias collapſas erexit; plurimas ornavit altaribus, alias turribus, alias campanis, libris, ſacris veſtibus, & calicibus, & hæc omnia de ſuo. Author fuit *D. Czenkoni de Roſis Judici Regni*, ut *Eccleſiam Omnium Sanctorum in Arce Pragenſi* conſtrueret, in eáque duo Sacerdotia magnificè fundaret An. 1263. præfuit operi ipſe *Vitus*. Iterum, in *Eccleſia Cathedrali Bonifantes* duodecim, adoleſcentulos, qui ſacris miniſtrarent (de quibus alio in loco dicemus) inſtituit, auxit etiam *chorum duobus Sacerdotibus*, Divinas laudes ùt mos eſt, cantantibus; *S. Laurentij Eccleſiam* in monte *Petrino* cadentem, ejuſdem *S. Martyris* cœleſti monitu reparavit; *Sluchæ S. Adalberto, Kogeticij S. Vito* perelegantes duas conſtruxit *Eccleſias*. Hæc omnia extra *Vitum* ipſum, & vana fuiſſent, niſi ipſe *Vitus* omnium ſe virtutum exemplar *Canonicis* fratribus præbuiſſet: ipſe (ut alia taceam) *primus media de nocte* ad officium Divinum in Eccleſia canendum ſurgebat, obibat Cellulas, miniſtros, & Clericos excitabat. Mira alia de hujus Sancti *Viri* virtutibus, in eo, quem citavi, codice invenies; *Franciſcus* quoque *Pragenſis in Chronico*, Viti laudationem habet

1271. 1. Maij.

Vitus Eccleſiæ libros conſcribi curat.

M. S. Eccl. Prag.

Cœleſtis quædam Viti magnificentia.

Fundation: Viti quàm plurimæ.

Mors 1235.

bet plures paginas implentem. Canonicorum numero adſcriptus eſt *Vitus* An. 1235. Obijt Vir Sanctus An. 1271. 1. Maij, quem non modò pauperes, ſed etiam *Canonici* veris lacrymis luxêre, quòd, ut ajebant, *Lucerna Domûs DEI eſſet extincta.*

Tit. XXVI.

Wenceslaus VI. Bohemiæ, & Poloniæ Rex Sanctiſſimus, Fundator Cœnobij Aulæ Regiæ.

1305. *Vide Epit. noſtram.* Hujus glorioſiſſimi Regis Sanctimoniam Veteres, novíque Scriptores ex æquo commendant; *Bonfinius* disertè aſſerit, eum à Bohemis veteribus *pro Sancto cultum, ſtatuam inter Divos Pragæ publicè meruiſſe;* filius fuit *Ottogari* Regis bellicoſi, quem fortuna in acie *Rudolfo* I. fundatori Auguſtæ Domûs Auſtriacæ ſubſtravit, *Rudolfus* victor filio (huic *Wenceslao*) filiam ſuam *Juditham* (alijs dictam *Guttam*) An. 1286. deſpondit. Principio Regni graviſſimis *Wenceslaus* Rex jactatus eſt turbis, & multis appetitus inſidijs, voto An. 1290. edito, Cœnobium Ciſtercienſibus in honorem DEI Matris condendi (quod annis abhinc ſeptem explevit) omnium hoſtium ſuorum & domi conjuratorum victor, & ultor evaſit, ùt in *Hiſtoria Bohemiæ* narratur. Ajunt optionem *Ciſtercienſibus* dediſſe, ubi ubi habitare vellent; optâſſe illos *Aulam Regiam* locum amœniſſimum, & ad *Regis*, & Aulicorum voluptates, & delicias factum; *Regem* igitur, quamvìs Aulici fremerent, & quibusdam ſubornatis, controverſiam de loco Regi moverent, protinus ædificium Regium ſplendidiſſimum dirui, & Cœnobio ſolum aptari juſſit. *Bella* hujus Regis, aliáque geſta, niſì quatenus Sanctitatem oſtendunt, commemorare nihil attinet; imò adeò nec de Fundationibus ejus, præſertim *Aulæregienſi* (omnium Cœnobiorum miraculo) verbum dicam, ſiquidem alius ei locus apud me ſervatur. Reverentiſſimus Sacerdotalis Ordinis *Rex*, non modò Romanos Pontifices (cujus rei documenta maxima *Raynaldus* recitat) in honore habuit, ſed etiam Præſules Pragenſes, ùt Patres coluit infimis officijs, adeò, ut *Joanni Epiſcopo*, Populo univerſo Pragenſi ſpectante, *Stratoris* obſequium aliquando præſtiterit. *SS. Evchariſtiæ* adorationi, & cultui adeò devotum fuiſſe ſcribunt, ut ſæpe quatuordenas Sacerdotum *Miſſas* in die, ante ſe dici juberet, ſummâ ipſe pietate genibus flexis, & ſupplex conſtanter DEO, & Divinis inhærens. Juſtitiam propriam Regibus virtutem, quanti faceret, ſequens exemplum *Franciſcus* coævus Scriptor recitat: *Miles quidam animo conturbato expoſuit coram Rege Wenceslao, quod injuſtè patiebatur, allegans ſibi factam violentiam, poſtulans querimonijs dari ſibi Judicem ad juſtitiam exequendam; tum Rex proprijs intentus commodis, cauſſam querulantis non advertit, ſed à ſe mœſtum juſſit abire;* at

Genus. — Voto ad Dei Matrē victor hoſtium. — *Raynald: in Annal: Eccleſiaſt.* — Reverentiſſimus Eccleſiaſticæ dignitatis. — *Franciſ. in M. S.* De ſeipſo pœnas exigit R. Wenceslaus.

Digitized by Google

at brevi in ſe reverſus, ſeipſum multis redarguens, ſolus cubiculum ingreſſus, candelam ardentem cruribus applicuit, acriter ſeſè comburens, & ait: At caro ardeas, nè in futuro perpetuum ardorem ſuſtineas; & in quinque locis quaſi cauteria fecit, propter hujus peccati pœnitentiam, & correctionem. Hactenus Franciſcus. Ex hoc vel uno argumento de multis *Wenceslai* virtutibus prudentes facere poterunt conjecturam. Religioſorum Ordinum amantiſſimus (præſertim *Ciſtercienſium*, *Minorum S. Franciſci*, *& Prædicatorum*) aliquot ijs Cœnobia magnificè, & Regijs opibus fundavit. Orationi deditiſſimus erat, quam affectuum omnium, & ſenſuum temperantia comitabatur. *Franciſcus* narrat, *Regem* biennio cilicium ſuper nudam carnem geſtâſſe, & geſtaturus erat diutiùs, niſi *Sacerdos*, qui à Confeſſionibus erat, vetuiſſet. Admirationem omnem ſuperant, quæ de viventis Regis Sanctitate *Franciſcus* adducit. Mors maximè vitam oſtendit. Ut primùm morbo correptus eſt, ornatum omnem Regium, veſtéſque ipſas inter miſeros, & egenos diſtribuit; Tunicam viliſſimi coloris, & pretij induit, ſtratúmque eodem panno contegi juſſit, aſſerens, ſi convaleſceret: ſe valedicturum Regno, & inter *Ciſtercienſes* ſuos vitam Religioſam acturum. Vocatis fidiſſimis miniſtrorum, debita omnia ante mortem per eos expunxit; *Filio* Sapientiæ, & ſanctitatis plena monita reliquit, atque ut de ijs ſervandis Filius *ſuper Caput S. Wenceslai* juraret, coëgit; Regias veſtes Eccleſijs donavit, & plurimos Pauperes quotidie paſci juſſit; *Miſſam* ante ſe ægrotum quotidie fieri voluit; in ſummis morbi cruciatibus, nè verbum quidem impatientius protulit; oleo ſacro inungi petijt, & cùm obtinuiſſet, ad ſuos converſus: *Fratres*, inquit, (verba ipſa recito) *congaudete, & mihi congratulamini, quòd tam diu manum Domini, quæ contigit me, correptus ſuſtinere merui. Ecce reſolutionis meæ tempus inſtat! nunc animæ meæ egredienti orationibus veſtris ſubvenite, & vos Sacerdotes ad Miſſas legendas vos præparate! Tum* Paſſionem *ſecundùm Matthæum legi juſſit, quam erectis in cœlum manibus, multo cum ſenſu Pietatis audivit; ad extremum valedicens omnibus, & in manus Domini Spiritum ſuum commendans, sereniſſimo quodam colore poſt mortem è vultu emicante, vitâ exceſſit*; Miracula quædam Regis mortem conſecuta ſunt, ex quibus duo lectiora referemus: *Joannes Epiſcopus Brixinenſis*, cùm mortem *Wenceslai Regis* amiciſſimi nimiùm lugeret, & amariſſimis lacrymis ſæpius proſequeretur, nocte concubiâ *Rex* ipſe viſendum ſe *Epiſcopo* præbuit, & quid ità lugeret, quæſivit? cui ille: mortem ejus, luctûs ſui cauſſam eſſe reſpondit. Tum *Rex* increpare Epiſcopum aggreſſus: *An*, inquit, *in ſacris Literis nunquam legiſti? cùm te conſumtum putaveris, orieris ùt Lucifer, & habebis fiduciam propoſitâ tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies; requieſces, & non erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Adjecit: *O Te modicæ fidei, qui Sanctorum mortem infælicem, & miſeram exi-*

Ad mortē præparatio Regis Wenceslai.

Juramentū ſuper Caput S. Wenceslai.

Optima mors Regis Wenceslai mirâ viſione comprobatur.

exiſtimas! ſimul evanuit. *Epiſcopus*, etſi *Regis* verba altiſsimè memoriæ commendâſſet, tamen ubi illa in ſacris libris reperiri poſſent, hactenus ignorabat; aperto igitur ſacrarum literarum Codice, invenit *Jobi* Caput undecimum, in quo ſententiæ illæ leguntur, & liquidiſsimo ſolatio perfuſus, deſijt in poſterum lugere. Aliud quoque eſt exemplum, quo *Regis* hujus Sanctitas declaratur: cùm Vir quidam nequiſsimus (*latronem* diſertè appellat *Hiſtoria Sedlecenſis*) Aulæ Regiæ *Eccleſiam* ingreſſus eſſet, ac Mauſoleum Regium videret, quædam indigna Regi mortuo opprobrare cœpit; ecce autem Regis ſtatua ſuper ſepulchrum protenſa jacens, elatâ manu, grandem homini colaphum infregit, quo verbere etiam oculorum lumen impudentiſsimi latronis extinxit. Ità videlicet Sanctorum ſuorum honorem defendit DEUS! Obijt tabe confectus optimus Rex *Wenceslaus* An. 1305. 21. Julij *Pragæ*, in *Aulæ Regiæ Cœnobio*, quod fundârat, humatus. Cùm id Cœnobium poſt annos centum, & plures, ab hæreticis ſubjectis facibus concidiſſet, nihil ex tot Tabulis ſacris, & Imaginibus, quàm *Divæ Virginis* Effigies, quam ipſe curârat, & altera *Regis* ipſius adſtante ponè Patrem filio *Wenceslao*, illæſæ remanſerunt. Alit hodiéque ad *Beati Regis Tumulum* ardentem lampadem ſacra, & grata Cœnobij hujus *Aularegienſis* poſteritas.

Honor Regis Divinitus defenſ⁹.

Tumulus, & effigies.

Tit: XXVII.

Owida Griffina Hoſtislai Ruſſiæ Regis filia, vitam inter S. Claræ diſcipulas profeſſa.

1313. vel 1309 XI. Junij:

XI. Junij.

Genus Ovidæ.

Weleſ. in Genea. Duc: & Reg. Bohē. Crug. 11. Jun Miech. in hiſt. Polon. Bonfin. Decad. 2. lib. 8.

Per eâ pars Poloniæ acquiritur Regno Boh.

OWida Griffina ità ſeſe ab humano genere ſegregavit, ut niſi lapis ſepulchralis, & paucula veterum Scripta extarent, ipſum *Ovvidæ* nomen non haberemus: Lapis ſepulchri in Eccleſia Veſtalium *S. Agnetis* ante Altare majus hæc loquitur: *3. Idus Julij Ovvida Griffina Regina Ungariæ, & Ruſſiæ, Duciſſa Cracoviæ, Mater* Wenceslai, *Soror Regulæ Diſcalceatarum S. Claræ*. Paucula verba; ex quibus tamen quæſtiones intricatiſſimæ naſcuntur, & propè de ſingulis verbis diſceptatur; alij *Ovidam Reginam Ungariæ*, eandem *Duciſſam Cracoviæ*, eandem *Bulgariæ Regis filiam*, eandem *Converſam* in clauſtro, eandem *Abbatiſſam*, eandem *Wenceslai Regis Matrem*, eandem *amicam* ejuſdem *Regis* faciunt. Ego omnia conciliari poſſe puto: fuit enim *Ovvida* ſoror *Cunegundæ*, quam *Ottogarus II.* Rex Bohemiæ victorioſus *Margarita Auſtriacâ* repudiatâ, Anno 1261. accepit in Conjugem; filiæ fuerunt *Roſislai*, vel *Hoſtislai Ruſſiæ* Regis, quem eundem *Weleslavinus*, & *Crugerius Bulgariæ Regem*, *Bonfinius Regem Moſcoviæ* appellant; eædem neptes *Belæ Ungariæ*, quòd filiam *Belæ Roſislaus* in conjugio habuiſſet, ex qua *Cunegunda*, & *Ovvida* ſint genitæ. At cur *Mater Wenceslai* (ſecundi ſcilicet, ejus nominis, qui poſtea etiam Poloniæ Rex fuit) appel-

appellatur? ideo nimirum, quòd ſororis ſuæ *Cunegundæ* filium, ipſum *Wenceslaum* adoptârit, eidémque *Wenceslao*, cùm eſſet vidua, relictas ſibi à marito moriente provincias *Cracovienſem*, *Sandomirienſem* donârit. Hanc donationem *Griffinæ* (quam nihil in *Poloniam* juris habuiſſe ſomniat) irridet *Miechovius*, quem res ipſa refellit: nam id *Wenceslai* jus agnoſcente, & cedente *Premyslo Majoris Poloniæ Principe*, Cracoviam *Wenceslaus Bohemiæ Rex* occupavit, & accedente etiam conjugio *Rixæ*, *Poloniæ Rex* eſt ſalutatus, ùt ipſemet narrat. Addit deinde *Miechovius*: *Griphinam* in ſummo contemtu, & ludibrio apud *Bohemos* obijſſe: id quoque extremam *Miechovij* ignorantiam demonſtrat, qui quod ultro *Griphina* privata quæſivit in clauſtro, id quaſi in publica luce geſtum, ac ſi coacta foret, impingit. Hac quæſtione ſolutâ ſolvitur & illa, quâ ratione *Regina Ungariæ*, *Ruſſiæq;*, *&c. Duciſſa Cracoviæ Ovida* dicatur? primum titulum à *Matre*, alterum à *Patre*, tertium deſumſit à *Conjuge*. Eſt & illud controverſum, cur *Diſcalceata* appelletur? ſed & hoc diſſolvetur, cùm de *Cœnobio illo Virgineo* agemus, quod *S. Agnes S. Claræ* familiaris ſundavit, & *pauperum Domicellarum* (quæ nihil poſſidebant, & ſolâ piorum liberalitate ſuſtinebantur) voluit appellari. *Abbatiſſam* fuiſſe *Griphinam* quidam ſcripſêre, ſed Epitaphio refelluntur, quod ſinè dubio omiſſo ſimplici ſororis nomine, *Abbatiſſam* nominâſſet; conſentiunt enim omnes memoriæ inter *Converſas* humillimam Chriſti amore vitam egiſſe. Et hoc illud eſt, quod eam *Albo* noſtro, & *Bohemiæ Sanctæ*, ac *Piæ* inſcribit: nihil enim ſibi arrogâſſe Principem fæminam, Regum, ac Reginarum neptem, filiam, ſororem, amitam, potentiſſimi Ducis uxorem, nihil ex priſtina fortunæ ſuperbia retinuiſſe, ultimum ſemper locum in Cœnobio quæſiſſe, culinam procurâſſe, ſororibus omnibus, ſed ægris præcipuè, miniſtrâſſe, reprehenſiones etiam juniorum (ſenex ipſa, & dum vitam finiret, annum octogeſimum ſupergreſſa) patienter audiſſe, beneficijs maledicta pensâſſe; hoc profectò Divinum eſt! hàc cælites ivêre, hæc eſt ad æternam gloriam via! Scripsêre paucula de *Griffina Miechovius*, *Hagecius*; plus aliquid M. S. *Vita S. Agnetis*, *Crugerius*, & Codices quidam Manuſcripti, ex quibus hæc decerpſi. Obijt An. C. 1309. juxta *Hagecium*; in lapide extritis numeris, videtur Annus obitûs ejus poni 1313.

M. S. Priv. Reg. à f. 22. Dreſſ. aliiq.

Miech. l. 3. C. 65. & ex eo Cromer. l. 10.

Tituli ejuſdem.

Humilitas, cæteræque virtutes.

Miech. l. c. Hag. in An. Crug. 11. Iun. MS. Crulo.

TIT: XXVIIIJ.

Sanctimonia Vitæ, & quædam miracula Cœleſtia in Cœnobio Aulæ Regiæ uno ſuprà Pragam milliario, Ordinis Ciſtercienſis.

OMnia *Bohemiæ* Cœnobia Viris Sanctitate præſtantibus referta fuiſſe, pridem in *Epitome* vetuſtorum Codicum fide aſſerui, quod etiam mira-

Circa 1320. Epit. hiſt. l. 4. C. 1.

Sanctimonia Cœnobiorum Bohemiæ.

miracula, quæ legimus confirmant; at major eorum pars, Cœnobijs ipſis hæreticorum rabie deletis, interijt: quò magis DEO agendæ ſunt grates, quòd aliquod, licet exile veſtigium, ſupereſſe, & ad nos ex *Aulæregienſibus* Memorijs pervenire voluerit, unde non modò hujus, ſed etiam aliorum Cœnobiorum Sanctitatem (nam in eo genere alterum alteri concedebat nihil) velut *è pollice, Coloſſi Rhodij magnitudinem* conjicere poſsimus. Agam hoc loco velut ex formula, & judiciorum more non meis, ſed alienis, & fide digniſsimorum Virorum verbis rem totam conficiam, nè verbulo mutato:

Ex Lib. Secret. Aulæreg. cujus fragmentū recitatur à Frebero in Chronic. Aulær. C. 18

In principio Monaſterij fundationis Beatæ Virginis in Aula Regia: Deus ibidem multa oſtendere dignatus eſt miracula, quorum quædam in prima parte Chronicæ per me ſuperiùs ſunt ſignata. Plura tamen ſunt nobiſcum miracula perpetrata, quæ devotio Monachorum obticet, & ſupprimit, eò quòd in humilitatis latibulis gradum figit. Ego ipſe quibusdam meis familiaribus occultè mihi aliqua ſua miracula referentibus, ſæpe dixi: ut mihi relata, etiam alijs in publico ad DEI Gloriam revelarent; Qui reſponderunt: Quòd Gloria DEI, & Gloriatio eorum eſſet teſtimonium conſcientiæ ſuæ, & timerent, quòd in revelatione talium ſecretorum illorum, quæ Dei deberet eſſe gloria, eis forſitan fieret ignominia, & ruina. Deprædari, inquiunt, deſiderat, qui theſaurum publicè in via portat. Quantum autem ipſi mei fratres in laude hominum delectentur, patuit mihi ex quorundam relationibus Seniorum. Quadam vice de via, & labore veneram, & in quodam loco quaſi ſolitarius reſidebam, acceſſerunt tunc ad me duo ex Senioribus humiliter, & petitâ loquendi licentiâ ſic dixerunt: Bone Pater, dicitur in Conventu, quòd vos, Filios nos, veſtros, multum habeatis in audientia aliorum hominum de virtutibus commendatos, & ipſis eam, quam abſcondimus, gratiam publicetis; timemus nè fortè noſtra apud DEUM propter hoc merces meritoria minuatur, quando favor populi ex fama creſcit, & temporalis promotio plus accedit; cautè igitur in hoc petimus agite, bone Pater! ſic agite, ut & noſtra devotio homines lateat, & pateat ſoli Deo. Hoc audito, ego corde congratulando ſubriſi, ad horam ſubticui, delectatus fui cognoſcendo devotionis evidens argumentum, & deſideravi dilucidè: quòd cor humile verbum bonum, & pium eloquium eructaret, nec audebam hujuscemodi devotionis ſpem extingvere, ſed incepi illud dictum Evangelicum allegare: Luceat, inquam, lux veſtra coram hominibus, ut glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt. Et adjeci: permittite me, chariſſimi Fratres, de vobis, ſicut & de alijs Religioſis perſonis loqui ad profectum ſæcularium vera, & ædificatoria in publico; veſtra tamen intentio ſemper maneat in occulto, nec ex hoc veſtra merces apud Deum minuitur, ſi per veſtra exempla, in alijs hominibus devotio augmentatur. Nec idcirco vos laudo tantùm, ut detractionis vitium non incurram, ſed ut faciam, ſicut eſtis, DEO, & hominibus vos dilectos; Dilectus quippe à Deo & hominibus eſt, cujus memoria in benedictione eſt. Eisdem quoque Fratribus tunc dixi, & adhuc dico cum B. Hieronymo: etiam adjuratus Chriſti præconia non tacebo. Præſtant etiam mihi noſtri fratres ſuæ devotionis, & humilitatis teſtimonium, quòd in injunctis ſibi non libenter ſtant officijs, & exterioribus invitiſſimè negocijs implicantur, ita quòd apud plures ipſorum officium quaſi Martyrium reputatur; habent tamen patientiam propter obedientiam, & conſcientiam in labore. Et licèt quidam graviter portent officium, nihil tamen ducunt in opere negligendo.

An Virtutes ſuas maſeſtare ſit contra perfectionem?

Officium pro dignitate ſumitur hoc loco.

Prolixum eſſet narrare ſingula, quæ ab initio fundationis Monaſterij in Aula Regia DEUS ibidem fecerit miracula, & opera gratioſa; Plura ſunt ſcripta, plurima ſunt omiſſa, & à memoria hominum ſunt elapſa, quædam tamen per me viſa, & efficaciter approbata per alios, quæ prætermittere ſalvâ Conſcientiâ non audeo, hîc notabo. Ego enim omnes nôvi & vidi, hujus Monaſterij, à principio fundationis, perſonas, & cum eis ſum ferè à juven-

Digitized by Google

juventute converſatus, unam duntaxat perſonam non vidi, Fratrem videlicet Theodoricum Cuſtodem primum, utique (ut creditur ab omnibus) Virum Sanctum, qui ſubitò poſt fundationem Aulæ Regiæ primus inter primos Monachos curſum vitæ in pace feliciter conſummavit, & memoriam ſui in benedictione poſteris ſuis uſquè hodie dereliquit. Ipſe namque (ut aſſeritur) licèt ſenex decrepitus eſſet, & in ordine LX. annos haberet, tamen unâ tantùm tunicâ æſtatis, quàm hyemis tempore uſus fuit; Nemo unquam ipſum impatientem vidit in adverſitatibus, vel iratum, ſed mitiſſimus ad omnes extitit, compatiens, & benignus.

Theodoricus Cuſtos.

Poſt hunc quidam Senior Reverendus nomine Rudolphus de Walderbach, aſſumptus in ordine vir approbatus, felici fine obyt, qui de quodam Novitio ad Primam intrante Chorum aſtantibus ſignavit, & colloquÿ tempore ſignata in choro coram omnibus replicans ità dixit: ſcio, ſcio, & certus ſum, quia iſte Novitius hodie Novitiorum cellas ingreſſus, iſtius Monaſterÿ Abbas erit. Cujus dicti veritatem poſtmodum rei exitus comprobavit: ille enim Aulæ Regiæ Abbas fit, quem prædixit.

Rudolphus de Walderbach.

Accidit ante annos aliquot, cùm multi eſſent Monachi, & Converſi in Infirmatorio Aulæ Regiæ decumbentes, quòd Frater Michaël, nunc Pater Aulæ Regiæ, cum alÿs ægrotaret, qui velut in ſublimibus ſub firmamento nubibus, quandam quaſi Angelicam vidit ſpeciem, quæ quandam auream virgulam ſicut catenulam diſpoſitam deorſum contra languidos aliquos extendebat; Illi autem omnes, ſuper quos extendi illi virgula videbatur, in illo, quo tunc laborabant, mortui ſunt, langvore. Iſtam viſionem quaſi ſuis carnalibus pateret oculis, omnibus exponebat, & ipſam jam quilibet langvidus metuebat, eò quòd non fiebat aliter, quàm ipſa virgula oſtendebat.

Michaël Pater Aulære:

Eodem tempore Frater Laurentius, hodie Grangiarius, infirmatus ad mortem, omnibus eſt Sacramentis Eccleſiaſticis procuratus: omnes enim, qui eum viderunt, de ipſius vita penitùs deſperârunt. Qui quum nimio laboraret doloris cruciamine, Glorioſam Genitricem DEI Mariam incæpit ſuſpirÿs, & lacrymis invocare: ô Glorioſa, inquit, Domina Virgo Maria tibi meæ caſtitatis, & juventutis florem obtuli, optans tibi diutiùs in hoc Monachiali habitu militare; ſed ecce juvenis morior ſpe privatus; Adjuva me, Mater gratiæ! Mater, Miſericordiæ, quòd meam valeam vitam ad tuam Gloriam prorogare! Cui tunc per quandam vocem taliter eſt reſponſum; Laurenti, non morieris modò, ſed valebis; Frater autem Otto iſto tempore morietur. Erat autem Frater Otto Diaconus, & Succentor, omnibus Conventualibus juvenis valde gratus. Iſte Frater Laurentius, licèt debilis, obſtupuit, rem auditam Fratri Theodorico Infirmario retulit, & uterque quod auditum fuerat, pro phantaſmate reputavit. Nec fit mora, ſed ecce horâ diei tertiâ Otto Succentor, qui in Prima ſanus in Choro intonuerat, ad Infirmatorium infirmus deducitur, die ſextâ moritur, & cum luctu Conventûs more ſolito ſepelitur; Hujus, ſanatus competenter Frater Laurentius interfuit ſepulturæ. Prædictus Frater Otto Diaconus toti cohorti dilectus, humilis, & devotus, ante exitum animæ ſuæ nobis pluribus præſentibus, & audientibus, cæpit Nomen, & auxilium Virginis Glorioſæ Mariæ altiſonis vocibus, & magnis clamoribus fortiſſimè, & devotiſſimè invocare; Nos autem ſuis clamoribus compatiendo diximus: Bone Frater Otto, parce capiti tuo, nimis clamas, & te lædis! Ipſe quaſi ſubridendo nobis reſpondit: O Fratres, jam video mortem ante me, imminet jam exitus animæ meæ, de illa Glorioſa indigeo Adjutrice; Quid mihi de hoc capite? Caput meum Chriſtus ſit, & Maria. Sic igitur inter clamorem, & nominationem continuam Chriſti, & Mariæ Virginis, nobis aſtantibus, & orantibus, in Domino feliciter, & leniter obdormivit, qui poſt mortem ſuam pluribus noſtræ Congregationis Fratribus in forma apparuit glorioſa, & Salvationis ſuæ præbuit evidentia argumenta.

Laurentius Grangiari⁹, id eſt horreis & añonæ Præfectus.

Otto Diaconus.

Circa idem tempus Frater Theodoricus, dictus Ungarus, Sacerdos, & monachus, qui mecum in cella fuerat Novitius, elanguit: & quum jam morti vicinus fuit, viribus corporis totaliter deſtitutus, loquelâ privatus, manum dexteram emortuam elevavit, & cum

Theodoricus Ungar⁹.

Digitized by Google

Hermannus Infirmarius

indice ſuper Fratrem Hermannum tunc Infirmarium, ſtantem ibi inter alios directiſſimè demonſtravit. Conſiderans hoc Frater Hermannus miratur, & timet, locum hinc inde mutat, cupiens ſe abſcondere retro dorſa Monachorum aſtantium; Digitus verò morituri non ceſſat indicare conſtantiſſimè ſuper eum. Videns hoc Frater Hermannus, de Camera, in qua infirmus ille jacuit, feſtinè proſilijt, ad vicinam ſtubam, ubi plures aſſuimus, confugit, nobiſque morituri illius demonſtrationem tremens retulit, & ſic dixit: Forſitan Frater iſte Theodoricus vult hoc oſtendere, quòd eum ſequi debeam in morte, avertat hoc DEUS, & cuſtodiat me DEUS! Sed ecce ſtatim Frater Theodoricus moritur, & ſequenti die Frater Hermannus ad doloris lectulum deportatur, qui etiam die ſextâ moritur, & ſuum ſequitur oſtenſorem. Quum autem idem Frater Hermannus Sacerdos humilis, utilis & devotus Monachus jam in extremo laboraret agone, accidit, quòd Dominus Conradus tunc Abbas de Praga veniret ad Monaſterium, & ego ſecum. Quum autem ſuum præſentem videret Abbatem, quaſi de gravi ſomno ſuſcitatus, ſic Frater Hermannus ait ad ipſum: Bene veniatis Pater mi! ô Pater, inquit, licentiam detis mihi filio veſtro! Quò? inquit: Abbas; at ille: ut vadam in viam ſalutis; Ad quod Abbas: Vade in pace, & Deus pacis tecum ſit. Amen, ille infirmus reſpondit; & exhilaratus in Spiritu, & decorus vultu, de Abbatis licentia confortatus, mox ſub vera obedientia nobis præſentibus in Domino feliciter obdormivit. Illius (ut ſpero) conſequutus eſt ſortem. qui factus eſt pro nobis obediens Patri uſquè ad mortem.

Conradus Abbas.

Ubi quærẽdus hic Liber?

Si plura de iſta materia volueris legere, require in volumine ſecretorum Aulæ Regiæ; Hîc enim ſolùm illa ſcribimus, quæ publicè ab hominibus fieri nos videmus.

Tit. XXIX.

Henricus Abbas Sedlecenſis in Bohemia Ordinis Ciſtercienſis, Vir inſignis Sanctimoniæ, & magnorum in Patriam Bohemiam meritorum.

21. Aug. Circa 1321.

Henricus (quem vetuſtæ memoriæ *Heydenricum* appellant) miris laudibus à Scriptoribus Ordinis ſui tam à vitæ Sanctimonia, quàm à ſingulari, & prudentiſſima in regendo Cœnobio ſvavitate celebratur; ut mirari ſatis non poſſim oſcitantiam *Simeonis Euſtachij*, qui Origines & hiſtoriam *Sedlecenſis Cœnobij* pollicitus, *Henricum Abbatem*, omnium fortaſſe, quos *Sedlecium* habuit, laudatiſſimum, *ſterili* ut ita dicam, *avenâ*, & ignaviſſimè quaſi aliud agendo nominavit, contentus dicere *Virum doctum, prudentem, & circumſpectum fuiſſe*. *Henricus* igitur ejus nominis *Abbas II.* in calamitoſa illa *Bohemiæ* tempora incidit cùm *Carinthiæ Dux Henricus* pro Rege Bohemiæ ſe gereret, & inductis in Bohemiam novis colonis, Veteres quantum poſſet, expelleret, & omnia verſaret pro libitu. Miſerum ejus temporis ſtatum diligenter *Hagek*, *Dubravius*, ſed diligentiſſimè omnium, qui hæc videbat *Franciſcus Pragenſis Canonicus* deſcripſêre; ſed in *Epitome* noſtra breviſſimè licet, *Henrici* depeculationes, rapinas indignas Principe, Civitatum oppreſſiones, Nobilitatis excidium, quod deſignârat animo, aliáq; ejus violenta & Tyrannica conſilia explicare conati ſumus, ut ea hoc loco repetere ſit actum agere. His igitur malis omnibus, & rebus *Bohemiæ* propè per-

Negligentia Simeonis Euſtachij.

Hagek poſt A. 1306. Dubrav. in hiſt. Boh. Franciſ. in Chron. MS

Conſilio Henrici Abbatis Bohemiæ deploratiſſimus ſtatus emẽdatur.

Digitized by Google

perditis, *Joannis Pragenſis Epiſcopi, & Henrici Abbatis* prudentia & ſanctimonia ſuccurrit; veriſſimum enim illud, & omni oraculo certius eſſe ſemper exiſtimavi, quod *Siracides* protulit: *Anima Viri Sancti enunciat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſis ad ſpeculandum.* Primùm communicato cum *Joanne Epiſcopo, & Conrado Aularegienſi, & Joanne Plaſſenſi* Abbatibus conſilio, ad colloquium *Bohemiæ Proceres*, ac cæteros Ordines evocant, miſerrimum Reipublicæ ſtatum ponunt ob oculos, unam eſſe ſalutis viam *Cæſarem* (erat *Henricus VII. Imp.*) implorare, ejúsque filio *Joanni* Regiam Virginem *Eliſabetham* offerre, quæ Regnum ferret pro dote; aſſentiebantur *Ordines Bohemiæ* tam ſalutaribus conſilijs. Sed *Carinthiæ Ducis* incubatoris *Bohemiæ* timore, Legationem ſuſcipere nemo audebat; accedebat, quòd ad *Cæſarem* adducenda erat *Eliſabeth*, quæ omni Satellitio & Aulicis, & omni mundo muliebri carebat à *Carintho* ſpoliata, & Cimelijs omnibus exuta. Utrumq; hortatu *Abbatis Henrici, Epiſcopus & Eccleſiaſticus Ordo* in ſe recepit; ornata Virgo Regium in modum, & Legationis Princeps *Henricus Abbas* cum *Aularegienſi & Plaſſenſi* fæliciſſimè negotium confecerunt. Magnum hoc in *Bohemiam Sacri Ordinis Ciſtercienſis* meritum haberi debet, neque unquam ex animis Bohemorum delendum, quo pereuntem Patriam levarunt ab humo, & ab interitu vindicarunt; prætereo reliqua de *Legatione Henrici* ab omnibus Scriptoribus noſtris commemorata. Porrò *Abbatem Henricum* duobus ante hanc Legationem Annis An. 1308. *Sedlecenſes* amiſerant, niſi ipſe ſuorum *Sedlecij* relictorum, & mœrentium filiorum miſertus, ſponte redijſſet, recitabo verba Bruſchij: *Heydenricus Abbas 15.* (Waldſaſſij) *Vir juſtus & pius ex Sedlecenſi Monaſterio Bohemico, in quo jam antè Canonicè in Abbatem electus diu feliciter præfuerat, Waldſaſſium evocatur An. 1308. præfuit duobus Menſibus, & quia inprimis charus eſſet tum populo, tum Cœnobio ſuo Sedlecenſi, cui prudentiâ ſuâ multum profuerat, rogatus ut apud eos maneret, nec alibi domicilium eligeret, miſſis ad Abbatem Volcoenrodenſem Viſitatorem primarium Waldſaſſenſem, duobus Abbatibus Oſſecenſibus, Theodorico qui nuper ibi reſignârat, & Gervvico tum ad clavum Cœnobij ſedente, oblatam Abbatiam Waldſaſſenſem cum multa gratitudinis ſignificatione reddidit, móxque Sedlecium redijt, ubi XLII. annis ſummâ cum laude & gloria præfuiſſe legitur.* hæc Bruſchius. Eadem, ſed majori authoritate licèt breviùs, de juſtitia, prudentia, dexteritate & ſvavitate in regendo, ac præſertim vitæ *Henrici* Sanctimonia in *Hagiologio* Sacri Ord. Ciſtercienſis leguntur his verbis: *XXI. Auguſti. In Bohemia Beatus* (nota vocem Beati) *Heydenricus* Abbas *B. Mariæ de Zedelitz* (Sedlecz) *Ord. Ciſterc: qui ob inſignem ſanctitatis famam ad Abbatialem dignitatem evectus eam annis 42. laudatiſſimè tenuit, & egregijs virtutibus decoravit, &c.*

Eccli. C. 37.

Abbatum trium Ord. Ciſterc: meritum in Boh. æternum.

Hag. 1310. Dubra. in hiſt. Boh.

Bruſch. Cent. 1. Monaſter. in Waldſaſſio.

Elogium vitæ Henrici Abbatis.

Tit. XXX.

Eliſabeth Regina Bohemiæ, Joannis Regis Conjux, Mater Caroli IV.

1330. 28. Sep: Fuit hæc *Regina* non imbellis, ut ità dicam, ſed heroicæ prorſus Sanctimoniæ, quæ ſcilicet innocentiam, fortitudinem, magnanimitatem pluſquam virilem, invictam tolerantiam, cæteráſque virtutes Regias cum ſumma moderatione, magnificentiâ in ſacris, liberalitate, & miſericordiâ in omnes conjunxit. *Ciſtercienſem* Ordinem præcipuo ſemper eſt amore complexa, maximéque *Aulæregienſe*, *&* *Oſſecenſe* Cœnobium; hoc Eccleſiaſticâ ſupellectili ex auro, argento, gemmis, & pretioſiſſimis pannis phrygio opere, & fæminarum artibus contextâ; illud ædificatione Eccleſiæ, & elegantiſſimis ad latera novem Sacellis conditis (quæ totidem Templa videbantur) ornavit. Fundationes Reginæ Eliſabethæ. *Sufficij* Urbe Regiâ, ùt in *Epitome* narravi, *Eremitis S. Auguſtini Cœnobium* inſigne excitavit; Virgines ſacras *Prædicatorij Ordinis* ſex *Olomucio* advocatas *Pragam*, in domum Fratris in *Augezd* adduxit, ſed eam fundationem poſtea mutato conſilio *Ciſtercienſibus Virginibus* ſacris in *minore Urbe* transſcripſit, quod Cœnobium ego ſuſpicor in *Rzeporam* tandem eſſe translatum, cùm nè veſtigium ejus *Pragæ* aliud ſuperſit, conſtétque *Parthenonem Rzeporenſem* ſub Aulæregiæ Jurisdictione, & inſtitutione pauculis illis nonaginta circiter, quibus ſtetit annis, vixiſſe. Jam quantas, & quàm palmares injurias à quibusdam *Regni Proceribus*, & ab ipſo Conjuge (quem aliquando in amoribus exerrâſſe traditur) & quoties exilium ipſum ad plures annos fortiſſimè tolerârit, & Spartanâ generoſitate concoxerit, in *Chronico Aulæregiæ* (quod *Petrus* loci Abbas, qui Reginæ à ſacris erat Confeſſionibus conſcripſit) narratur. Utinam prima ejus Chronici pars, ac deinde ſecunda, & tertia (quæ mutilæ ſunt) extarent! abſolutiorem *Bohemiæ* hiſtoriam, *&* *Eliſabethæ* hujus *converſationis*, *&* *vitæ inſignia*, ùt Petrus loquitur, haberemus, quæ in prima, & ſecunda parte Chronicæ legebantur. Epitaphium, quod idem *Petrus de Zittavia Abbas Aulæregienſi Reginæ* ſcripſit, multa paucis comprehendit; Elogium hujus Reginæ. inter alia

Chron. Aulæregiæ C. 25

Non fuit elata, licèt alto germine nata,
Perſonas humiles, devotas, & quaſi viles
Deſpectas mundo, dilexit corde jocundo &c.
Cuncta ſuæ vitæ direxit tempora rite:
Aut legit, aut orat, proprijs manibúsque laborat,
Ornatum multum parat ad Domini quoque cultum, &c.

Solebat porrò hæc *Regina* velis Calicum ſacrorum, Burſis, Frontalibus, Caſulis (ùt in Templis appellantur) initialem ſui nominis literam E. vel ex gemmis

mis, vel ex auro, & argento elaboratam aſſuere, ut Sacerdotes admoniti, eam in memoria haberent. pergamus ad reliqua:

Officium Marthæ peragens pietatis in arte
Contemplando piè, tulit otia ſæpe Mariæ;
Fœmineos mores, & quæ ſpectant ad honores
Legalis vitæ, conſvevit habere peritè:
Ut verum teſter, fuit hæc par Judith, & Eſther
Pluribus in factis per eandem fortiter actis &c.

Conſtat hanc *Reginam* etiã bella pro *Bohemis* ſuis ſecundo ſemper Marte geſſiſſe; addit eam clauſtralem, & Religioſam vitam ſæpius ſequi voluiſſe, & optâſſe. Obijt in *Wiſſehrad* omnibus Sacramentis munita, abſente in *Carinthia Rege Joanne* marito An. 1330. die S. Wenceslai in Domo *Joannis Bolek* Prepoſiti fratris ſui, cujus corpus cùm biduo *Proceres* (ùt in Regum, Reginarúmque funeribus Bohemis uſitatum fuit) per omnes Pragenſes Eccleſias circumtuliſſent, & pro ea Sacerdotes ubique Sacra facerent, Populúsque oraret, quarto tandem die in Regum *Mauſolæa in Aulam Regiam* eſt illatum. De hac Regina mirabile exemplum recitat Author *ſpeculi Gloriæ Auſtriacæ*, quo ſuſpicionem à ſe *Henrici Cæſaris* refutârit adhuc novemdecim, aut viginti annorum puella, quod me hîc referre non decet; neque confirmo, nec reſello, ſed propè eſt, ut perpensâ tantâ *Reginæ* hujus modeſtiâ, & probitate confictum eſſe exiſtimem.

Summa Regni Bohem: amatrix.

Mos circũferendi per Pragam Regũ corpora

TIT: XXXI.

Nankerus Wratislavienſis Epiſcopus, gente Sileſius, in cujus morte Angelici cantus ſunt auditi.

NAnkerum illuſtri loco in *Oppolienſi Principatu* genitum *Sileſia* Civem ſuum agnoſcit; conſangvineo verò Majorum, & magno, ut ità dicam, Patruo, omnes illæ generoſæ in *Sileſia* ſtirpes gloriari poſſunt, quæ lignatorum ſecurim geſtant in clypeo, quales etiam ab eadem origine cenſentur in Polonia Principes *Oſſolinsky*. At *Nankerus* noſter natalibus ſuis non contentus, pretioſiſſimas gemmas duas appoſuit, *Scientiam & Virtutem*; his gradibus ad honores Eccleſiaſticos, tandem etiam ad *Epiſcopatum Cracovienſem* aſcendit. Totus erat in imitando ſanctiſſimo anteceſſore ſuo *Stanislao*, affligebat corpus jejunijs, aliíſque Sanctorum artibus ſuam exercebat virtutem; in Eccleſia perdiùs, & pernox orabat, benignitate incredibili rapiebatur in egenos; Domûs DEI decorem diligebat, quàm qui maximè; ſed penè eundem cum *Stanislao* ſortitus eſt exitum: nam cum liberâ voce coram *Rege Poloniæ Wladislao* jura Eccleſiæ ſuæ tueretur, offenſus

A. 1341. 10. Apr.

Papr. in ſpeculo Moræ: Okolski in Stemmatogr. Orbis Poloni.

Genus Nankeri.

ſus irritabilis, & corpore parvus Princeps (ob quam cauſſam à ſuis *Loktek*, quaſi cubitalis appellabatur) indignum Sacerdotij faſtigio, & Coronæ Epiſcopali facinus! grandem *Nankero* colaphum infregit, Diríſque ob id devotus eſt; cúmque ſemel irritato Rege, nulla reconciliatio gratiæ ſperaretur, *Wratislavienſem Epiſcopatum* petentibus Canonicis pro *Cracovienſi*, approbante Pontifice commutavit; ſed hîc quoque alium Principem *Lokteko* violentiâ ſimilem *Nankerus* invênit: cauſſatus enim *Joannes Bohemiæ Rex Miliciâ* Epiſcopali arce ad hoſtes arcendos ſibi opus eſſe, & inde ſe bellum geſturum, proditione indignâ unius ex *Prælatis Eccleſiæ*, arcem occupavit, nec unquam ullis Epiſcopi precibus reſtituit, quam contumaciam Regis *Nankerus* magnâ Eccleſiaſtici pectoris fortitudine anathemate in Regem contorto vindicavit. Nihil omiſſum eſt à *Rege* odiorum, nihil à *Wratislavienſibus* contumeliarum in Præſulem, ut Regi ſuo ſe approbarent; jam *Romam* lite delatâ, cùm ſinè dubio *Rex* inferior ab judicio diſceſſurus eſſet, venenum *Nankero* Eccleſiaſticæ libertatis vindici porrigitur: *Poloni Scriptores*, Regis id factum juſſu tradunt, alij ab ijs, qui Regem id velle interpretabantur, affirmant; utut ſit, gloria defenſæ ad mortem uſquè Eccleſiæ *Nankero* eripi non poterit; *Niſſæ* in ditione ſua veneno depaſcente contabuit, poſtquam *Cracoviæ* annis quinque cum medio, *Wratislaviæ* quindecim Epiſcopalis muneris annos implêſſet. In morte *Nankeri* Cantus Angelicos ſuaviſſimos auditos *Niſſæ*, Scriptores primæ notæ commemorant, & Virginem notæ Sanctimoniæ inter hos cantus animâ Nankeri in cœlos deferri à Cœlitibus percepiſſe. *Wratislavia ob Nankeri Antiſtitis* ſui contemtum, paulò pòſt univerſa conflagravit, vidítque mulier devota, & ad *S. Mauritij* incluſa (quod adhuc eâ ætate uſitatum erat, ùt etiam in *Odorici Raynaldi Annalibus Eccleſiaſticis* legimus) Angelum DEI aſpectabilem ſuper *Wratislaviam* ſtantem, irato vultu, ex ſinu prunas ardentes in Urbem ſubjectam profundentem. *Nankerus* ad Eccleſiam ſuam *S. Joannis Baptiſtæ* devectus eſt ad tumulum; Succeſſori Epiſcopo *Preczlao*, *Carolus Joannis Regis Filius* pro Patre ſatisfecit, ùt in *Vita Ven: Arneſti* Archiepiſcopi memini narrâſſe.

Injuriæ illatæ Nankero à Regibus.

Nankerus immunitatis Eccleſiaſticæ vindex acerrimus.

Niſſæ recluſa Angelicos cantus audit in morte Nankeri.

Tit: XXXII.
Joannes IV. ultimus Epiſcopus Pragenſis.

1343. 4. Ian:

Joannis genus.

JOannes ex illuſtriſſimo ſangvine Procerum *Draziciorum* Joannis III. itidem Pragenſis Epiſcopi ex Fratre *Gregorio* (Lupacius *Joanne*) nepos, commendatione doctrinæ, & interiorum literarum, quas avidiſſimè juvenis combiberat, inter *Canonicos Pragenſes* gradum tenuit, & *Scholaſtici* titulum conſecutus eſt; mortuo demum *Gregorio Epiſcopo* anno 1301. ad Epiſcopatum còncordi omnium Canonicorum ſententiâ evectus. Glorioſam

Joan-

Digitized by Google

Joannis Epiſcopi Bohemiæ Principis conſecrationem, cui *Rex Wenceslaus* Stratoris miniſterium præſtitit, ut in *Epitome* narravi. Complectabatur animo magna *Joannes*, & pecuniam, & opes non finem eſſe putavit, ùt mortales multi, ſed inſtrumentum quoddam, & apparatum, quo vera famæ magnitudo apud homines, & in Cœlo æterna gloria comparetur. Ejus opus fuit *Pons lapideus* grandis ad *Raudnicium* ſuper *Albim*, in cujus trajectu plurimi mergebantur, quem evocatis *Româ* artificibus exſtruxit eâ mole, & magnificentiâ (ſeptennio tantùm, quod mirêre, in opere conſumto) ut parum *Pragenſi* concederet. Ad *Pontis* finem pauperibus Chriſti alendis, *Hoſpitalem Domum*, & cenſus perpetuos, ac ſtabiles, unde alerentur, adjecit; ejus opus eſt inſignis *Baſilica Collegialis Eccleſiæ Pragæ ad S. Ægidium*, tum altera *Raudnicij* in Epiſcopali ditione *Canonicis Regularibus S. Auguſtini* (quos in Bohemiam induxerat, & amabat impendio) magnificè conſtructæ, cum toto Cœnobio pro vicenis Canonicis, quod fundârat; ejus opus fuit *S. Adalberti* ſepulchrum, lamellis argenteis ſcutulato opere contectum, quam nobilem inventionem in contegendo *S. Wenceslai* corpore, *Bohemiæ Proceres* poſtea ſunt ſecuti; ejuſdem *Joannis* opus ditiones, & caſtra *Herſtein*, & *Kaierſperg*, ſeu **Supihora** de ſuo emta, & patrimonio Epiſcopali conjuncta; ejus opus, *Domus Epiſcopalis Pragæ* ex lignea, lapidibus ſectis ædificata, & elegantiſſimè adornata, ùt pridem deſcripſi; ejus opus *tres*, ùt vocant, *Præbendæ Canonicales* in Eccleſia S. *Viti* tum *Cathedrali* fundatæ; & cum paulò ante mortem intellexiſſet à Regibus novam *Cathedralem Eccleſiam* ad inſtar *Colonienſis* deſcriptam propediem ædificatum iri, *Joannes* pro duobus ſumtuoſiſsimis ſacrarijs, & Altaribus in *Eccleſia* futura erigendis, certam pecuniæ ſummam legavit, alterum *S. Marthæ* (cujus ſolenne feſtum Authoritate Apoſtolicâ inſtituit per *Bohemiam* celebrari) alterum *S. Silveſtri Papæ & Martyris*, ante quod poſtmodum in tumba cypreſsina *Venetijs* allata *Joannem* ultimæ voluntatis Executores tumulârunt; ad utrumque Sacrarium pius Præſul Sacerdotium ad perpetuitatem fundavit. Exercitum inſtructiſsimum viris, armis, Ducibus, ſemper in promtu *Joannes* habebat, cujus ope *Joannes Rex Bohemiæ Pragam* occupavit, & paulò pòſt An. 1311. & 1312. Arces prædonum dejecit apud *Moravos*, & Nobilitatem compeſcuit, & A. 1315. ſecundiſsimo prælio *Ungaricum Bellum* confecit, pluráque alia geſsit, quæ in *Epitome noſtra* leguntur. Hæc omnia magnificum Principem, & animum opum contemtorem indicant; quæ ſequuntur, magìs ad vitæ ſanctimoniam indicandam referuntur. Invaluerat peſsima conſvetudo per *Bohemiam*, ut Domini locorum *Plebanos, & Rectores Eccleſiarum* pretio ad tempus conducerent, qui ſi *Patrono Eccleſiæ*, ſeu *Collatori* non placerent, ſinè alia authoritate dimitterentur, & alius rurſus ad *Patroni* libitum ſufficeretur; unde graviter in *Parochiali* munere, & Parochorum ſtatis Cenſibus peccabatur ſæpiſſime.

Magnificentia in ædificando, rebúsque cæteris.

Joannes Epiſcopus Exercitũ alebat.

Fortitudo adverſus eos, qui Eccleſias vexabant.

Digitized by Google

ſime. Rem ingenti animo aggreſſus *Epiſcopus*, etſi extrema quæque contrà *Proceres* minarentur, ejuſmodi *mercenarios Sacerdotes* à Divino ſuſpendit officio, eóque rem perduxit, ut *Collatores*, ſuos *Plebanos* ad Eccleſias præſentarent in poſterum, neque authoritate profanâ, ſed Eccleſiaſticâ, Sacramenta Populo miniſtrarent, neque à Parœcia niſi cauſsâ apud *Epiſcopum* probatâ, ejus unius, poteſtate demoveri poſſent. Interfuit *Joannes* Concilio Viennenſi, ſummo à *Clemente V.* exceptus honore; domum reverſus celebravit Synodum, & optimis Conſtitutionibus Diœceſin ſuam munivit, & ſepſit. Pauperes alebat, & cibabat, nudos veſtiebat, *ſex opera miſericordiæ*, ait coævus Scriptor Franciſcus, *ſemper exercens; quæ DEI ſunt, reddebat, quæ Regis, reſtituebat.* At nunqnam ſinè æmulo, & obtrectatore Virtutem inveneris: ab *Henrico de Schomburg Thuringo Præpoſito Litomericenſi* gravibus calumnijs innocentiſsimus *Præſul* appetitus, & accuſationibus in *Curia Papæ* diuturnis laceſsitus, undecim annis Patriâ caruit, tandem An. 1229. à Romano Pontifice innocens declaratus, calumniatorem, non modò Natalibus, ſed etiam virtute *Spurium*, ſuperavit. In Bohemiam reverſus, *Pragam* veniens, rectâ ad *S. Viti* Eccleſiam 19. Junij, 1329. contendit, & ante limen Eccleſiæ procumbens, & oſculis limen ſalutans votum emiſit (imitatione Præſulum digniſsimum) *nunquam ſe omiſſurum quidquam, quod ad Eccceſiæ ſuæ dignitatem, & commoda augenda quoquomodo pertineret.* Hoc *Joannis* Epiſcopi votum Sanctiſsimum, miror omiſſum ab ijs, qui ejus Viri laudationem noſtrâ ætate ſcripſerunt. Obijt *Joannes Epiſcopus* A. C. 1343. 4. Januarij. etſi anniverſaria funeris dies 5. Januarij in *Pragenſi Eccleſia* ageretur; rexit Pragenſem Eccleſiam annis 42. ſuper tumulum *Præſulis* marmoreum ex orichalco ſtatuam ejus magnitudinis, quâ *Præſul* pollebat, hæredes poſuêre, (*Franciſcus* tamen apertè ſcribit: hanc *Statuam* ab ipſomet *Joanne*, dum adhuc viveret, eſſe curatam, ut ante ſe mortis memoriam pius *Præſul* ſemper haberet) incendium Anni 1541. decus hoc cum alijs plurimis *Baſilicæ Metropolitanæ* ornamentis corrupit. Vitam optimi Præſulis habet *Franciſcus Præpoſitus* ad S. Vitum Pragæ, *Pontanus*, *Crugerius*, & nos pridem in *Vita Arneſti.*

Franciſc. 2. parte Chro: Prag. l. 1. C. 16.

Synodum celebrat.

ejuſdem virtutes.

Weleſl. in Calend. hiſtor. 19. Jun:

Amor ſuæ Eccleſiæ.

Epit. hiſt. l. 3. C. 18.

Obitus & Tumulus.

Pont: in Epiſcopis Prag: Cruger. 4. Januarij.

TIT: XXXIII.

Margarita de Zleb, Ordinis S. Claræ in Cœnobio Crumlovienſi, vidua magnæ Sanctitatis.

A. 1361.

MEmoriæ *Cœnobij Crumlovienſis*, tum alia certæ fidei Manuſcripta, nomen *Margaritæ de Zleb*, ſuggerunt, eámque admirandæ Sanctitatis fæminam appellant; vixit in ipſis Cœnobij initijs, quod *Roſenbergici Proceres* (ùt ſuo loco ſcripſi) inter An. 1361. & 1368. fundârant. Fuit *Margarita* filia *Hinkonis* (non *Zbinkonis*, ùt habent alij) *de Zleb*, proinde

de Illuſtriſſimæ, & vetuſtiſſimæ ſtirpis *Lippæorum*, ùt in Stemmatographia Bohemiæ probavimus. Nupta adversùs animi ſui ſententiam voluntate Parentûm, nobiliſſimo Viro *Henzlikoni*, ſeu *Joanni*, vel *Henrico de Trzemſſin (Haſenburgicæ ſtirpis)* multis continenter injurijs, & contumelijs onerata, omnia ea adverſa æquiſſimo animo ad uſquè mariti mortem toleravit; poſtmodum Ordini *S. Claræ* nomen dedit, totámque ſe ad ſtudia Sanctitatis convertit, in vita, & morte miraculis clara. Vivebat paulò poſt An. 1365. agunt de ea *Paprocius, Crugerius, & Procerum Roſenſium Annales* meminerunt. *Crugerius Margaritam* hanc è *Wartembergico* ſtemmate prodijſſe aſfirmat; quem ſecutus ſit, neſcio, cùm neminem citet: conſtat *Zleby* ditionem non ad *Wartembergicos*, ſed ad *Lippæos* ab omni memoria pertinuiſſe, ùt habet in *Huſſiticis Theobaldus*, ideóque cum *Rohacz, Zleby* munitiſsimo caſtro confidens *Sigiſmundo* jam in Regnum paternum recepto ſubdere ſeſe nollet, Patruelem ejus *Praczkonem de Ratay Lippæum* Rex ad eum oppugnandum miſit uſitato magnis Regibus conſilio, ut ſi vellet, receptum haberet ad gratiam, quam cùm contemnit, in pœnas incidit proditorum, & laqueo vitam finivit. Vide eundem *Theobaldum*.

Genus Lippæum.

Sanctitas.

Paproc. in Monaſter: Bohem.

Tit: XXXIV.
Joannes Militius Sanctæ Eccleſiæ Pragenſis Archidiaconus.

INter illuſtres Sanctimoniâ viros præteriri non poteſt memoria *Joannis Militij*, quem falsò quidam primâ ex *Nobilitate Procerum Talembergicorum* genitum tradidêre; *natalium enim conditione vilis* (ùt ejus diſcipulus loquitur) Sanctitate, & Sapientiâ maximus evaſit, vixit Erneſti I. Archiepiſcopi, & Caroli IV. Imperatoris temporibus poſt An. C. 1360. & ultra; ejus conſilio uſus Carolus, Venetias (itá Veteres lupanaria, & Veneris domos vocabant) An. 1372. dejecit, ac vetuit frequentari, quo in loco *Militio* agente ſacrarium conditum eſt *S. Magdalenæ, S. Afræ, & Mariæ Ægyptiæ* honori. *Militium* hæreſeos ſuſpectum habuêre quidam, adeò etiam *Spondanus, & Odoricus Raynaldus hæreſiarcham* appellant, quòd *Bachanalia, & voluptates* ſvaderet, quo nihil à vita *Militij* alienius fuit, hominis auſteri, & in ſeſe duriſſimi. Ejus defenſionem primus ego, quod ſciam, ſuſcepi, ac virum optimum (ùt alios ſanctimoniâ vitæ inſignes) calumniam paſſum oſtendi in Epitome rer. Bohemicarum l. 4. C. 1. in Notis. tam irrefragabilibus argumentis, ut vel obiter ijs perpenſis, qui adverſantur, daturi ſint manus. Jam non modò hæreſin foviſſe pectore, ſed DEI Spiritu plenum *Eccleſiis Bohemiæ* ætate ſuâ, velut lucernam ardentem, & lucentem præluxiſſe, *Vita*, quam ſubjicio, ab ejus Diſcipulo conſcripta, ſatis demonſtrat; eam ego præfixam *Militij*

1374. 2. Feb:

Brevis defenſio Joannis Militij.

Digitized by Google

litij Operibus in Manuſcipto Volumine *Bibliotheca Trebonenſis in Cœnobio Canonicorum Regularium S. Auguſtini* repertam, manu meâ deſcripſi; hâc vitâ obturatur os *Illyrici* hæreſiarchæ, in *Opere de teſtibus veritatis*, qui *Milicium* (ut librum ſuum auctiorem faceret, pluréſque haberet ſtultitiæ ſuæ teſtes) *Pontificibus oblatrâſſe* mentitur.

De Vita Vener: Presbyteri Milicij, Prælati Eccleſiæ Pragenſis.

SCripturus vitam Servi tui ad honorem nominis Tui, prout Tu dederis D. DEUS, per quem Eccleſiam noſtri temporis in antiquum Apoſtolicæ gratiæ, & virtutis decus voluiſti refloreſcere, cum invoco adjutorem, quem jam olim habeo incentorem amorem tuum. Quis enim de amore tuo, quantumcunque ſpiraculum vitæ habens, & videns teſtimonium gloriæ tuæ tam præclarum, & tam fidelem temporibus noſtris mundo inſolitum effulſiſſe, non agat, & ſatagat, non det operam, quantumcunque poterit, nè lumen à Te incenſum tuorum quempiam lateat? ſed quantum humano ſtylo fieri poteſt, quod melius ipſe tamen per virtutem operum facis, manifeſtum, & exaltatū velit, ut luceat omnibus, qui ſunt in domo tua? Cùm ergo Sol Juſtitiæ erat ſub nubilo, & ſui luminis claritatem abſconderet, & ferè nos opprimeret umbra mortis, tunc oriens ex alto ſplendor lucis æternæ, qui neſcit occaſum, ſic errorum tenebras effugavit, ut mox umbrâ remotâ, ſub qua pugnabant Principes tenebrarum, ab Electis effugerent, & mox dubietatum ambages cœperunt à fidelium cordibus diſperire, ut jam Chriſti milites teneant tam ſplendidum rutilantis veritatis fulgorem, ut eum nulla falſitatis caligo poſſit ampliùs obfuſcare; videlicet, ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, & populus, qui ambulavit in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et ecce radius lucidiſſimus, nullo erroris nubilo præpeditus, Prædicator egregius, ſcilicet *Milicius Presbyter Olomucenſis Diœceſis de Cremſyr*, non ſublimium parentum exiſtens, ſed innocens manibus, & mundo corde, doníſque cœleſtis gratiæ refertus, cujus initijs prędicatio quaſi lux procedens crevit uſquè ad perfectum diem, & illuxit his, qui in tenebris, & umbra mortis erant. Hic verò erat noctis imperator, & ſic crevit in Virum *Prælaturæ magnæ*, ſcilicet *Archidiaconatus*. In qua manens ſtatim cœpit ſtudioſè cogitare de ſalute ſibi commiſſorum, & diligenti curâ Plebanos viſitare; nihil verò ab eis expoſcebat, niſì ſalutem, proprios ſumptus expenſarum, & aliarum neceſſitatum faciens, & licèt poterat ſalvâ conſcientiâ expenſis *Plebanorum* bene ſuſtentari, tamen propter majorem perfectionem vitæ frequentiùs propria impendebat. In tali verò dignitate manens, licèt hoc noſtris temporibus incognitum eſt, ſtatim

Nota.

Militius Archidiacon⁹ Eccleſiæ Pragenſis.

Zelus.

tim cœpit in cilicio peragere pœnitentiam, & quando iter alicujus partis arripiebat, tunc duo cilicia cautè, & ſecretè cognato ſuo clerico, nomine *Stephano*, quaſi pro majori ſuo theſauro ſtudioſè recommendabat cuſtodienda. Mortificatio.

Attendens verò ſervus DEI Evangelicum dictum, ubi ſic dicitur: *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, nihil ampliùs ſibi volebat reſervare, & veniens ad *Capitulum Eccleſiæ Pragenſis*, eandem *Prælaturam* ſponte, nullo eum cogente, in manus *Prælatorum Pragenſis Eccleſiæ* reſignavit, & ſic pauper manens, *Chriſtum* ſequebatur; & licèt poſt reſignationem ipſius per *Prælatos* multùm fuerit rogatus, ut de manibus eorum eandem *Prælaturam* aſſumeret, quibus grates immenſas retulit, ſed nullatenus eandem reſumere voluit, attendens ad Evangelicum verbum, ubi dicitur: *Nemo tenens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno DEI.* Quamvìs & magnis precibus poſt reſignationem factam per Reverendum Virum Dominum *Arneſtum* bonæ memoriæ *Archiepiſcopum Pragenſis Eccleſiæ* fuerit rogatus his verbis: *Domine Milici, quid melius poteſtis facere, quàm, ut pauperi Archiepiſcopo ſibi gregem commiſſum paſcere, juvare velitis?* Cui humiliter omnino non recuſavit, nec etiam pro tempore illo conſenſit, ſed volens priùs videre: utrùm eſſet idoneus, & habilis ad verbum DEI ſeminandum, iter citò arripuit, in *Pilznenſem Provinciam*, & veniens in quandam *Civitatem Domini Archiepiſcopi*, nomine *Tyn*, cœpit ibidem verbum DEI prædicare. Cùm verò vidiſſet pulchrum hortum plantatum in *Curia Plebani*, ſtatim diabolus inimicus humanæ ſalutis, cœpit ſuggerere, quaſi dicens: *Ecce quantis delicijs in toto æſtivo tempore hunc hortum viſitando in fructibus perfrueris!* Servus verò DEI, non immemor Evæ deceptionis factæ in horto Paradiſi firmavit in corde ſuo: quouſque ibi maneret, nunquam eundem hortum intraret, neque illis fructibus veſceretur, quia non propter delectationes corporis illuc venerat, ſed ſalutem requirens animarum. Cognoſcens ergo, quòd ex gratia DEI poſſet aliquantìs in verbo DEI proficere, medio anno elapſo, quo continuavit ibidem prædicando, reverſus eſt in *Civitatem Pragenſem*, & cœpit in *Eccleſia S. Nicolai* in minori Civitate ſub Caſtro verbum DEI prædicare. Conſiderans verò ſervus DEI populum ſtudioſiùs verbo DEI adhærere, & ſic requirens fructum majorem animarum, cœpit in *Eccleſia S. Ægidij* in majori Civitate rete Verbi DEI laxare, & quamvìs in principio ſuæ prædicationis paucum populum habere videretur, & licèt etiam ab aliquibus propter incongruentiam vulgaris ſermonis derideretur, & propter oblivionem in Feſtis indicendis, quorum adhuc uſum non habebat, tamen in bono propoſito, in quo perſeverare propoſuerat, nullatenus diſcedebat. Multi verò, etiam amici ejus ſibi ſvadebant, ut à ſua prædicatione ceſſaret, dicentes: *Quid tuo ſermone tali proficere poteris? Ecce quanti Viri noſtris temporibus fuerunt Religioſi ſcientifici, & illi non multùm*

Reſignat Archidiaconatum.

Mortificatio oculorũ & affectuũ in horto.

Eccleſiæ Pragenſes in quibus prædicabat Militius.

Digitized by Google

profecerunt. Ipſe verò conſiderans *Chriſti* deriſionem, & ejus prædicationem, quòd non ſolùm multitudini prædicavit tantum, ſed & uni mulieri, videlicet *Chananææ*; ſic ipſe non prætendebat confuſionem pro veritate pati, nec multitudinem populi curabat, ſed ſolummodo prætendens ſalutem animarum, & quòd non ſolùm in multitudine eſt ſalus, cœpit in verbo DEI eſſe continuus, deteſtans *ſuperbiam*, *luxuriam*, *avaritiam*, quia ex his, quaſi ex radice alia mala proveniunt, & ſic per ejus aſſiduam Prædicationem, & auſteritatem correctionum primò aperiebantur aures ſurdorum, qui priùs inviti audiebant verbum DEI, *poſtmodum verò ſuorum Prædicatorum immemores frequenter adhærebant ipſius prædicationi, & pòſt cœpit populus affluere, & admirabantur turbæ laudantes nomen Domini, & dicentes: *quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.* Creſcente itaque prædicatione ejus, incœperunt mulieres ſuperbæ pepla alta, & gemmis circumdata caputia, & veſtimenta auro, & argento ornata deponere; alij verò peccatores publici, & occulti peccata ſua deflebant, uſurarij uſuras reddebant, artifices verò talia artificia ſcientes, quæ ſinè peccato vix vel unquam fieri poſſunt, talia dimittentes, alia ex novo diſcebant. Alij verò quàm plures omnia pro Chriſto dimittebant, & ad Eremum properabant, ut ibidem ſolitariam vitam ducentes, & ærumnoſam, de peccatis pœniterent. Ex tali verò devotione fidelium, *Servus DEI* accenſus, binâ vice in die quaſi frequenter prædicabat, ternâ verò ſæpiſſime, multoties etiam quater per diem ſuam prædicationem faciebat; & ſemel contigit, quaſi in uno die quinq; ſermones perfecit. & hoc in talibus locis: mane ad *S. Ægidium*, finito verò ſermone illo ſtatim tranſivit, & ad *Beatam Virginem in lata Curia* ſecundum ſermonem prædicavit, tertium verò poſt prandium iterum ad *S. Ægidium*, quartum *mulieribus pœnitentibus in Domo*, quam inhabitabant, quintum verò in *Eccleſia S. Georgij Caſtro Pragenſi* Monialibus conſummavit jam poſt horam veſperarum, & ibidem primò prandium ſuum fecit. Et nunquam integrum diem ſuper aliquo ſermone ſtudebat, ſed in duabus horis, vel tribus magnum ſermonem, & ſæpiſſime in una hora comprehendit. Hoc verò admirans quidam *Magiſter Sacræ Theologiæ nomine Adalbertus*, Vir nimiæ literaturæ, quaſi ſub juramento dicebat: Omne, quidquid ego pro ſermone faciendo Viris literatis, & illuminatis vix in uno menſe comprehendere poſſum, *Militius* verò tantùm unâ horâ ſuo ſtudio comprehendit. Rariſſimè autem ad unam horam prædicabat, ſed quaſi ſemper duabus, & aliquando horis tribus. In *Paraſceve* verò, hoc eſt, magnâ *ſextâ feriâ* ſtatim poſt matutinas incipiens ad *quintam horam* prædicabat; poſt prandium verò horis tribus in prædicatione populum retinebat, & rarò pranſus, antequam omnes ſermones, quos intendebat prædicare, perfeciſſet. Quando verò prandebat, & poſt hoc facere ſermonem debebat, tunc quidquid prædicare intendebat, infra prandium

Argumentum Concionũ Militij.

Fructus Cõcionũ ejus.

Quàm ſæpe in die prædicârit Militius.

Neglectus cibi.

um ſibi illud legi fecit, & ſæpiſsimemet legebat, vel ſcribebat, & comedebat, ſed multò avidiùs incendebatur de Scriptura ſacra, quàm de cibo corporali. Et licèt materias, quas prædicare deberet illas, quia valde bonæ memoriæ erat, bene retinebat, tamen de ſe nihil præſumebat, ſed devotis ſuis orationibus ad ſermonem ſe præparabat. Quando verò finito ſermone multitudo eum ſequeretur, & pro conſilijs eum petebant, licèt nimium jam fatigatus erat, tum benignè cuilibet ſpiritualiter conſedit, & quidquid pro ſalute animæ erat, hoc conſulebat. Non enim erat acceptor perſonarum, quia nunquam aliquem, ſive divitem, ſive pauperem ſpernebat, ſed ad ſe venientem quemlibet benigniſſimè aſſurgens, ſuſcepit, & penes ſe locavit, & affabiliter pertractavit. Recedentem verò quemlibet de Commodo ſuo conduxit, & ſæpiſſime de domo, in qua manebat. Quandocunque verò *Mulier* aliqua ad eum pro aliquo conſilio venit, rariſſimè ad Commodum ſuum, licèt multis ſecum manentibus, tamen invitus, intromiſit, & publicè in domo, in qua manebat, & non in occulto loco, neque prope ei conſedit, & de ſalute, in quantum meliùs valuit, informavit, & ſi aliqua *mulier* ſibi loquens corpori ſuo appropinquavit, & hoc propter ſuam ſimplicitatem, ſtatim rigidè dixit: *Cariſſima, neſcis remotiùs ſtare!* & ſicut moris eſt à ſe hominibus recedentibus, quòd manus ſibi invicem porrigunt, nunquam alicui *muliebri manum* porrexit; & quandocunque *mulieri* alicui loquebatur, ſemper oculos defixos in terram tenuit, & valde ſerioſè loquebatur, & quandocunque habebat de ſuo Commodo ad aliquam *mulierem* exire, licèt tunicâ ſimpliciter ſartâ, & latâ erat indutus, tamen raro ſinè pallio voluit alicui mulieri adſtare, vel ei conſidere, & invitus cum eis longos ſermones pertractabat; & ſi aliqua diffuſi ſermonis erat, ipſe verò inſtruebat eam, ut brevibus verbis materiam, de qua locutura erat, explanaret. Et quandocunque per Civitatem propter arduam neceſſitatem tranſibat, nunquam manum de pallio extendebat, neque tranſiens loquebatur alicui, niſì in magna neceſſitate, neque ridebat, ſed miti modo, non vertens oculos hinc inde, greſſus ſuos diſponebat; & quandocunque *Clericus* ſuus, vel aliquis in via loquebatur, ipſum ſtatim corrigebat. Et ità erat ſollicitus de ſalute populi, quòd licèt nunquam in juventute *Teutonicum* profecerat, volens ergo majorem populum Domino ſuo acquirere, cœpit jam in ſenectute ſtudioſè *idioma Teutonicale* inquirere à ſuo Scholari, & ab alijs, quibus notum erat, & multoties totum ſermonem, quem prædicare debebat, in *Teutonico* conſcripſit, & ſic incepit in Teutonico prædicare, & per hoc magìs per Divinam Gratiam in verbo DEI accenſus, etiam ſtudentibus, & alijs viris litteratis latinè, qui miro affectu, & devotione ad ipſius ſermones confluebant, in *Eccleſia S. Nicolai in Majori Civitate Pragenſi* prædicabat, & eandem prædicationem omnibus diebus feſtivis faciendo, ultrà quàm duobus annis continuavit, & poſtmodum eoſdem ſermones omnibus

Humanitas & humilitas Militij.

Cautelæ in colloquio cũ fœminis.

Modeſtia Militij.

Diſcit linguam Germanicam.

Scribuntur ejus Conciones.

Digitized by Google

bus ſtudentibus, & alijs ſcribere volentibus dedit ad ingroſſandum, qui ſunt *de Tempore, & de Sanctis* in uno volumine comprehenſi, & ſic in hodiernũ diem *Militij ſermones* nuncupantur. Et cùm *D. Archiepiſcopus* eoſdem ſermones cuidam *Magiſtro ſacræ Theologiæ* Viro illuminato, nomine *Adalberto* præſentari feciſſet, & *D. Wilhelmo Decano Wiſſehradenſi* Viro illuminato, idem verò *Magiſter* eoſdem ſermones conſpiciens, ità reſpondit: *Non eſt verò meũ illa corrigere, quæ per gratiam Spiritûs Sancti ſunt compilata.* Et ex hac ipſius ſtudioſa, & aſſidua prædicatione, multi ex Studentibus, & alijs ſimplicibus Preſbyteris videntes in ſimplici homine tale donum Spiritûs Sancti eniteſcere, in magnos etiam prædicatores creverunt. Gratulanter ergo cum Salvatore, & Domino noſtro JESU Chriſto eſt dicendum: *Confiteor tibi Pater Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelâſti ea parvulis! & quare hoc? quoniam Pater ſic placitum fuit ante te.* Quando verò finito ipſius Latino ſermone ipſum *Presbyteri* ad Commodum ſuum de *Eccleſia* ſequebantur, eos ad lineam ejuſdem viæ, quâ tranſibat, nè eum ſequerentur, trahebat, nolens ſibi obſequium ab eis parari, quia à vana gloria multùm ſe cuſtodiebat. Mos autem ejus converſationis talis erat, quoniam aut legebat, aut aliquid dictando ſcribebat, aut ſimplices inſtruebat. Exercebatur igitur in juſtificationibus DEI ſemper. Detractorum verò, & ſuſurronum, & eorum, quorum DEUS venter eſt, conſortia penitùs declinabat. poſt menſam verò prandij, ſive cœnę ſuo corpori requiem nullam dabat: nec mirum, quia & infra menſam à lectura, ſive ſcriptura, rarò, vel nunquam vacabat. Nunquam verò propter aliquam corporalem recreationem viſus eſt ſpatiari, neque etiam aliquod ſolatium carnale à principio ſuæ prædicationis ſibi exhibuit; neque verbum aliquod ſæculare, quod ad riſum eum, vel alium provocaret, aliquando protulit, & ſi aliquis clericorum, ſive Presbyterorum ſibi commanentium verbum aliquod tale dixit, ſtatim de talibus quemlibet corrigebat, nè talibus levitatibus, quæ ad riſum ſpectant, uteretur, ſciens Vir DEO devotus, quòd levitates corporales levem animum eſſe oſtendunt. De ſalute verò omnium, ſicut de ſua propria nimiùm ſolicitabatur, maximè tamen illorum, quibus ipſe converſabatur. Sicut ſemel contigit in ſuo quodam Scriptore, qui pro pretio ſibi *Thomam de Aquino ſuper Lucam* ſcribebat; talis verò roſtra in calceis, & torquem in pallio, qui vulgariter dicitur **Obojeck** deferebat, quem nimiùm rogabat, & pretium XLII. groſſorum, vel paulò plus ſibi dedit, ut talia deponere deberet. Ità etiam erat diſpoſitus, & in omnibus circumſpectus, ut ex moribus hominis exterioris, qui videbatur, honeſta, & ſancta æſtimaretur compoſitio animi, qui non videbatur. Singulis erat compaſſione proximus, & præ cunctis contemplatione ſuſpenſus. Cùmque DEO dilectus, & hominibus *Milicius*, prædicationi, & alijs pijs operibus ſic inſudaret, nihil poſſidebat, nihil habebat, ſciens, quòd *difficile eſt* divi-

Teſtimonium de Militij Concionibus.

Fuga otij.

Gravitas Militij.

Paupertas ejus.

Digitized by Google

divitem in Regnum Cœlorum intrare, ſed ſolummodo ubi à devotis hominibus comodum ſibi aliquod dabatur, ibidem manebat, & quidquid causâ Dei pro ipſius corporis refectione ſibi dabatur, hoc *Clericus* ſuus ſibi ad comedendum parabat, & etiam aliquæ devotæ Virgines, & viduæ, & aliæ bonæ matronę in eorum hoſpitijs ipſius fercula decoquebant, & parata ſibi dabant, & licèt pauca ſolùm pro ſua neceſſitate habebat, illa tamen miſericorditer, piè, & hilariter cum pauperibus dividebat. Papyrum verò emebat, & pauperibus Scholaribus ad libros ſcribendos dabat, & ſi aliquando pauperibus dandum nihil haberet, tunc piè rogabat, ut alio tempore redirent, & quid quid Dominus adminiſtraret, eis tribuendum promittebat. Et cùm ſemel in *Pragenſi Civitate* tranſiret cum cognato ſuo *Clerico* nomine *Stephano*, & videns quandam Mulierem ſatis denudatam, reverſus ad cognatum ſuum piè rogabat, ut pelliceum, quo erat indutus, mulieri tribueret, quod & fecit, quia ipſemet non habebat aliud, nisì ſolam tunicam, quâ indutus erat. Et nisì motu proprio pietatis aliqui devoti ſibi veſtem tribuiſſent, nunquam ſolus aliquem pro indumento aliquo rogâſſet, & quaſi citò novum indumentum haberet, ſtatim illud, quo indutus erat, alteri indigenti tribuit, adimplens Evangelicum dictum, ubi dicitur: *qui habet duas tunicas, det unam non habenti.* Et ſic raro duabus tunicis utebatur, ſed ſolùm unâ in æſtate, hieme tunicâ cum pelliceo fruebatur. Hi ſunt mores, hoc ſtudium, hæc erat vita vivendi; bene vixit, bene docuit, ab eo, quod ore dixit, opere non receſſit. Cúmque jam quinque, vel ſex annis in *Civitate Pragenſi*, & in alijs Civitatibus, & etiam in *Diœceſi Olomucenſi* prædicâſſet, & adhuc uſum comunem in comeſtione carnis, & bibitione vini tenebat, quibus ſub magno moderamine utebatur, ſciens per verba Evangelica eſſe licitum talibus cum moderamine uti, ubi dicitur: *edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt*; tamen ad majorem vitæ perfectionem anhelans, ab eſu carnium, & piſcium, & à potu vini, quæ licita ſunt, cœpit abſtinere, ut ubi aliquando illicita aliqui perpetrabant, jam pœnitendo à licitis abſtractus, & ſic faciendo tempus dierum malorum redimeret. Inter hæc verò indignum ſe judicans, Verbum DEI populo DEI ſeminare, cogitare cœpit, quòd perfectius eſſet, mundum totaliter relinquendo *Religionem* aliquam debere intrare, & Crucem ſuam tollere, & carnem crucifigere, & relinquere, & abnegare ſe ipſum, & ibi temporibus vitæ ſuæ DEO ſerviendo pœnitere, ſed prohibitus fuit omnibus ſibi conſulentibus, nè *Religionem* intraret, ut necfugere deberet prædicationem, à qua tamen prædicatione omnibus conſiliarijs reclamantibus, abſtinuit per multum tempus, juxta doctrinam *B. Gregorij ſuper Ezechielem*, qui docet, ut tacendo prædicator proficiat ad altiora prædicanda. Interea incidit in mentem ejus, ut ad *Urbem* tranſiret *Romanam*, & ibidem Verbum DEI prædicaret, & cùm perveniſſet in *Civitatem Romanam*, plusquam per unum Menſem à prædicatione

Eleemoſinæ ſtudiū.

Vino, carnibus, piſcib9 abſtinet.

Deliberatio de Ord: Religioſo.

Romam proficiſcitur Militius

Digitized by Google

tione abſtinuit, volens per orationem devotam, & abſtinentiam magnam meliùs in animo progredi. Et tunc cœpit jejunare jejunium *Danielis panem deſiderabilem non comedendo*, in oratione inſtanter Sacrificium Chriſto frequenter offerre, & pœnitentiam agere in cinere, & cilicio. Et cùm jam deſperâſſet de adventu *D. Urbani V.* Papæ in *Urbem Romanam*, tunc præparavit ſe, volens iter arripere versùs *Avenion.* Et in tantum venit ſibi talis cogitatio in mentem: *Vade, intima publicè per chartam, quam affiges oſtijs Eccleſiæ S. Petri, ſicut ſolitus fuiſti intimare in Praga, quando eras prædicaturus, quòd videlicet prædicares. Exhortaberis Clerum, & Populum, ut orent pro D. noſtro Papa, & pro D. Noſtro Imperatore, ut ità ordinent Eccleſiam Sanctam in Spiritualibus, & in temporibus, ut ſecuri fideles deſerviant Creatori.* Et quàm citò annexa fuerat litera oſtij *S. Petri* ſtatim quærebant, ubi eſſet? ipſe verò non aufugit, qui paratus erat pro veritate & mori, ſed devotè in eadem *Eccleſia* orabat, & quàm citò fuit inventus, ſtatim fuit per *Inquiſitorem de Ordine Prædicatorum* arreſtatus. Valde enim *Ordines mendicantium* ſibi inimicabantur ex prædicatione, quam contra *Simoniacam ſuſceptionem Ordinis, & proprietatem ſpiritualium Virorum, & fæminarum* faciebat, & unà cum Domino *Theoderico* Eremita Presbytero bonæ memoriæ, cum quo illuc pervenerat, vinculis gravibus mancipatus. Et cum jam ad captivitatem ducebantur, *D. Theodericus* ex fragilitate humana, conſiderans injuriam, aliquantulum ſecum murmurabat, quod conſiderans *D. Milicius*, benigniſſime ipſum hortabatur, dicens: *Frater dilecte, memor ſis Paſſionis JESU Chriſti, qui quaſi ovis ad occiſionem ducebatur, non aperiens os ſuum. Cùm eum crudeliſſimè tractaverunt, nonniſi benignè, & dulciter, quæ neceſſaria erat, reſpondebat*, ſic quod omnes Spirituales Viri, & Gallici mirarentur ejus patientiam. Ipſe verò fuit carceribus mancipatus per *Fratres minores* in eorum Monaſterio in *Latran* ubi dicitur ad *Aram Cœli*, Dominus verò *Theodricus* per *Fratres Prædicatores in Roma.* Ipſe verò *D. Milicius* magnas abſtinentias ſibi faciebat in cibo, & potu, à quibus in toto etiam abſtinuit à quinta feria, quæ erat ante feſtum *Sancti Spiritûs*, uſquè diem *Spiritûs Sancti*, & primò finitis veſperis cibum recepit. Poſt talem verò Corporis macerationem in carcere, & in genibus orando, eo neque totaliter dormiente, neque vigilante, immenſâ claritate *S. Angelus* apparuit, & ipſum conſolatus eſt, & ſtatim à vinculis, quibus durè, & acriter tenebatur, ſcilicet cippo, compedibus fuit ſolutus, & calamare cum incauſto, & papyrus, quæ longè ab eo in carcere erant poſita, ſibi ſunt allata. Quædam verò Vidua devota, nomine *Anka Behemit* ſibi fercula & *D. Theodrico* ejus ſocio parabat: quam ſtudioſè per ſuum Scholarem rogabat, ut *D. Theodrico* non viliora, ſed ſimilia fercula daret; quę tum ſuæ debilitati compatiens quodam die jejuno *D. Milicio* uva paſſa, ſive uva vini decocta miſit, & *D. Milicio* inſcio, neque per interpoſitam

Romæ ab Inquiſitore captus incarceratur.

Viſio Angelica Militij.

tam

Digitized by Google

tam perſonam *D. Theoderico* pultes conditas eodem die, & non uva vini ad carcerem miſit. Cùm verò ſuus *Clericus* cum cibarijs prædictis ad eum veniſſet, nec ſibi aliquid de ferculis *D. Theoderici* dixiſſet, ſtatim cœpit dolere, quòd *D. Theodricus* vilioribus ferculis uteretur, & ſuo *Clerico* dicebat, ut rogaret eandem mulierem, nè talia ulteriùs faceret. *Fratres* verò, qui ſub teſtimonio eum in cuſtodia habebant, portabant ſibi ad carcerem *panem, vinum*, & alia cibaria, & accerſito ejus Scholari ponebant coram eo, dicentes: *Vides tu, Frater, ſi iſte homo morietur propter nimias abſtinentias, quas corpori ſuo infert, immunes volumus coram DEO, & hominibus apparere;* & cùm fuiſſet interrogatus, quid prædicare voluiſſet, reſpondit eis dicens: *Eja ſi ſcire vultis, tunc papyrum detis mihi cum alijs attinentijs, quæ ad ſcribendum ſpectant unà cum Biblia mea, quam recepiſtis me carceribus tradendo.* Cùm verò hæc ſibi oblata fuiſſent, tunc cœpit ſermonem colligere vinculis exiſtens mancipatus. Cùm verò tempore deputato *Prælati Eccleſiæ S. Petri* fuiſſent inſimul congregati, & alij multi Viri ſcientifici, tunc idem *Milicius, & D. Theodricus* de carceribus in medium eorum ducti fuerunt, & ibidem *Militius* ſermonem Latinum coram eis prædicavit, omnibus admirantibus ſuper tali ſermone; finito verò illo ſermone è converſo ducti fuerunt, ſed non tam rigidè, & ſtrictè ampliùs tenebantur. Superveniente verò *Romam* bonæ memoriæ Beato *Urbano Papa*, ſtatim per Venerabilem Patrem *Dominum Cardinalem Albanenſem* ambo de manibus inimicorum fuerunt erepti, & per eundem *Venerabilem Patrem* in Domo ſua gratioſè retenti, & in omni neceſſitate eorum competenter procurati; adverſarij verò eorum ſtatim fuerunt beneficijs privati, & venientes ad eos, & veniam petentes, culpam ſuam cognoſcebant, dicentes: *Meritò hoc patimur, quia peccavimus in Dominum, & contra vos.* Cùm verò *Pragam* perveniſſent, quaſi nova lux omnibus *Chriſti* fidelibus orta fuiſſet, ità gaudebant, quia per Viros Religioſos mendicantes ſæpe in eorum prædicationibus audiebant, ubi dicebatur: *Chariſſimi, ecce jam Militius cremabitur.* Sed quia Dominus miſericors ſemper eruit ſuſtinentes ſe. Et tunc verò cœpit fortiter *Verbum DEI* prædicare, nunc ad *S. Ægidium* in vulgari ſermone, nunc ad *B. Virginem in Læta Curia* in Teutonico, nunc verò ad *S. Nicolaum* Viris literatis & ubicunque in tota *Civitate Pragenſi* ad ſermonem faciendum petebatur, nulli recuſabat, ſed celeriter, & hilariter facto uno ſermone, ad alium properabat faciendum, & ita non parvum populum Domino acquirebat. Omnia verò facta ſua cum nimia alacritate, & vultûs hilaritate, remoto à ſe omni tepore acediæ explebat. O quàm magno gaudio anima ejus replebatur, quando alios *Presbyteros* in verbo DEI affici conſiderabat! hæc ejus erat dulcedo ſuper mel, & favum. O quàm ſtudioſè pro omnibus fidelibus prædicatoribus quotidie orabat! non enim alicui in prædicatione invidebat, quia ſæpiſſimè iſtud dicebat: *utinam*

Militius Romæ prædicat.

UrbanusPapaMilitium carcere educi jubet; Adverſarij puniuntur.

Militiꝰ Pragam redit.

CharitasMilitij & facilitas erga alios Prædicatores.

omnis populus prophetizet! O quantum in verbo DEI in corpore, & anima ſudabat, quia omnibus volentibus prædicare ipſemet ſermones ſcribebat, proprios libros mutuabat, & etiam quomodo prædicare debebant, inſtruebat, populo omni recommendabat, ut eò ſtudioſiùs circa eorum prædicationem Populus afficeretur, & pro libris comparandis pecunias ad annos accommodando eos juvabat. Et quandocunque aliquem in modico utilem in verbo DEI conſiderabat, ultra ſe populo eum præferebat. Sic talem de ipſo recoñendationem Populo faciebat, dicens: *Chariſſimi, primùm talis, & talis ex novo vobis prædicabit, qui eſt multùm valens in verbo DEI, & quem adjutorio DEI multò cariùs, quàm me audietis.* Et ad amicos ſuos ſpirituales veniens, de eo multa bona referebat, dicens: *Ecce gratulamini mihi, quia DEUS talem valentem Prædicatorem populo ſuo ordinavit;* & alios devotos homines rogabat, ut ſtudiosè Dominum pro eo orarent, & in ſermonibus ſuis eadem faciebat, ut oratione populi gratia Verbi DEI magìs in eo, ac magìs accenderetur. Et quidquid verò utile in Scriptura ſacra inveniebat, ſtatim in margine libri ſcribebat *Nota*, valde & cum magno gaudio alios ad illa convocat. Sic ipſe non pro ſua prædicatione id reſervabat, ſed chariùs videbat, ut alter eo utiliora prædicaret. Ipſi autem virtus talis erat abſtinentię:

Afflictio ſui.

à tempore illo, quo *Romam* cum *D. Theoderico* tranſiverat, carnes neque piſces comedit, nec etiam vinum bibit, ſed ſolùm quidquid leguminum erat, illis utebatur, & de illis verò quatuor fercula in prandio, & tria in cœna, & hoc cum magna modeſtia non plus ſumebat, & in tali abſtinentia cibi, & potiùs ultra quàm ſex Annis perſeveravit. In *lectulo* verò ſolum̃odo pulvinar, & cuſſinum habebat, & illud in plana tabula, ſive aſſere ſinè ſtraminibus ponebat, & illud occultè ſatìs ſervabat, nè ab aliquo ex illo laudaretur. *Tunicam* verò volens dormire nunquam deducebat, ſed in eadem & ambulabat, & dormiebat. Quanta verò incom̃oda ex immunditia ſui habitûs patiebatur, quod vix aliquando ejus ab eo tunica extorquebatur, ut mundanda in balneo penderetur. Antequam verò ſe poſuit, tam diu ante lectum ſuum flexis genibus DEUM orabat, quamdiu à ſomno totaliter non vincebatur. Multoties verò nimiùm fatigatus, & laboribus multis feſſus, in orationibus ſuis dormitabat, & à Scholare, qui cum eo horas dicebat, excitabatur, ut orationes incœptas perficeret. Lotione verò balneorum nunquam utebatur. Et licèt talibus multis, ut carnem ſuam domaret, utebatur, tamen adhuc iſta ſibi non ſufficiebant, ſed & corpus ſuum etiam ſæpe virgis affligebat, ſed illa valde occultè faciebat. In ipſo namque tenui victu tenuis ſomnus comitatur; in neutro autem ullam indulſit corpori ſatietatem. Porrò ad comedendum vix aliquando voluptate trahitur, ſed ſolo timore defectûs. Mos verò orandi ejus iſte erat: de nocte ad orationem frequenter ſurgebat, perfectis verò orationibus Scholarem ſuum ad horas ſecum dicendas excitabat, & eaſdem

Orandi ſtudium.

devo-

Digitized by Google

devotè, & cum genuflexione à principio uſquè in finem perficiebat. Cùm verò ad illam Orationem *Sanctiſſima, Glorioſiſſima*, quam in *Prima* ſolemus dicere perveniret, illam cum repetitione verborum illorum ſæpiſſima, & magno ſuſpirio, totus in DEO ſuſpenſus explebat, ità quòd ex nimio devotionis affectu viſcera in eo rugiebant; perfectis verò horis nocturnis, ac diurnis, ad prædicandum ſe præparabat. Expleto verò ſermone quotidianâ confeſſione, & iterum orationibus devotis ad offerendum DEO juge Sacerdotium ſe diſponebat, & id Sanctiſſimum Officium cum magna devotione, & ſinè feſtinatione perficiebat. Expleto verò Sacrificio, indumento depoſito, ſtatim ſuper genua ſua cadebat, nec ſe parieti, ſive ſedi alicui appodiabat, ſed erectus corpore, & mente in cœlum ſæpiſſime uſque horam meridiei orabat, multoties verò uſque horam veſperarum in ijsdem perſeveravit. Quocunque verò die propter aliquod impedimentum Divina non peragebat, eo die nimiùm turbabatur, & nimiùm anxius dicebat: *Quandocunque iſto pane Sanctiſſimo non reficior, illo die anima mea nullo conſolationis refrigerio potitur; ſed quandocunque hoc cibo Sanctiſſimo anima mea paſcitur, illo verò die omnes majores adverſitates, quaſi in favillam mihi rediguntur.* Quæcunque verò pro communi bono, & ſalute fidelium diſponere debebat, tunc primò completis illis omnibus, recepto ſecum *Scholari* ad Curiam *Domini Archiepiſcopi*, ſive etiam *Imperatoris* currebat: poſt verò illorum omnium diſpoſitionem primò veniens prandium ſuum faciebat. Orationem verò *Magnus es Domine*, S. Auguſtini, illam quotidie dicebat, accerſito *Scholare*, qui libellum tenens, in quo eadem Oratio continebatur, reſpiciebat, nè in aliquo verbo ejusdem Orationis ceſpitaret. O quanto fervore, quantâ devotione illam orationem perficiebat, in qua totus Divino amore abſorbebatur. Solius quippe donantis, & accipientis eſt nôſſe, quantum in eadem Oratione prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcèdinis ſuæ, quantâ repleverit gratiâ, quomodo ab ubertate Domûs ſuæ inebriaverit. Et quocunque tranſibat, & ſi *Eccleſia* in tranſitu ejuſdem aliqua reperiebatur, nullam præteribat, in qua non oraret. Et omnes orationes ejus magìs in *Pſalmis* fiebant. Et quandoque ſtudium, & aſſiduum in orationibus inveniebat, præ omnibus alijs virtutibus eandem virtutem in eo diligebat. Cùm autem poſt hoc aliquanto tempore evoluto, iterum *limina S. Petri* viſitâſſet, ſed ibidem non longum manendi tempus protraxit. Inde verò veniens poſt obitum bonæ memoriæ *Domini Conradi Flebani Beatæ Virginis glorioſæ in Læta Curia*, eximij, & egregij prædicatoris, qui in *Civitate Pragenſi* primus errores deſtruxit, evulſit, & virtutes plantavit. Cœpit ergo de quotidiana prædicatione ſtudioſè cogitare, ut ſicut corpus quotidiano alimento nè pereat, nutritur, ità verò & anima ex quotidianis viridiſſimis *Verbi DEI* paſcuis pingveſceret. Adveniente verò tempore, quod dicitur *Adventus Domini*, cœpit in Eccleſia B. Virginis

In Margine M. S. Cod: hæc adſcripta legebãtur: *de hac verò Oratione, quomodo miraculosè ad eam pervenerit, D. Nicolaũ de Olan ſocium noſtr: qui nunc eſt ibi, requiratis.*

Quotidie Miſſam legit Militius

OratioMilitij.

Quotidiana prædicatio in Tein, & ad S. Ægidium.

Digitized by Google

ginis in *Læta Curia in Teutonico* quotidie prædicare; alius verò in *Bohemico* ad S. Ægidium eadem prædicabat. De ſermone verò primo, quem ad populum faciebat, cœpit orationes in *Teutonico*, & alias ejuſdem materiæ in *Bohemico* conſcribere, & eoſdem facto ſermone populo pronunciare, quæ quidem in utroque idiomate conſcriptæ habentur, & etiam ab aliquibus prædicatoribus poſt ſermonem in hodiernum diem pronunciantur. Talis verò quotidiana prædicatio plus, quàm tribus annis in *Eccleſia B. Virginis, & ad S. Ægidium* pluſquam duobus vigebat; ex qua quidem prædicatione per DEI gratiam ſpirituales, & ſæculares emendabantur, & frequens confeſſio peccatorum, & ſæpiſſima *Communio S. Euchariſtiæ* cœpit invaleſcere. Quando verò aliqua notabilia, & utilia in Scripturis ſacris inveniebat, in nocte pro eodem *Presbytero*, qui in *Eccleſia S. Ægidij* prædicabat, ſæpiſſimè mittebat, & eadem notabilia ſibi indicabat, & quomodo eadem Populo prædicare deberet, inſtruebat. Quantum verò in *Scripturis* valebat, palam omnibus eſt, qui vel loquentem eum audire, vel aliqua, quæ ſcripſit, legere potuerunt. Similis ei ſolicitudo de ſalute multorum erat, qui à primo die prædicationis ſuæ uſquè ad obitum tam ſingulariter illius præclarum pectus noſcitur poſſidere, ut erga omnes animas maternum gerere videretur affectum. Erat enim vehemens in præcordijs ejus deſiderij, & perfectę humilitatis conflictus: modò enim ſeipſum dejiciens fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret; modò verò oblitus ſui ęſtuabat flagrantiſſimo amore, ut nullam niſi ex multorum ſalute conſolationem poſſe admittere videretur. Sanè fiduciam charitas pariebat, ſed eandem caſtigabat humilitas. Infra verò in tempore quotidiano prædicationis cœpit *ſuper Evangelia de tempore, & de Sanctis*, dicta *Sanctorum Doctorum* colligere, & ſic cœpit ea ſtudentibus ad ingroſſandum, & alijs ſcribentibus pronunciare. Et licèt ità magnum onus ſibi impoſuerat, tamen propter hoc nec prædicationem, nec orationem, nec alia pia opera dimittebat, ſed ad hæc quotidie confeſſiones hominum peccantium ſtudioſè in *Eccleſia B. Virginis* audiebat, & eis ſaluberrima conſilia, quomodo DEO ſervirent, dabat. Cúmque verò tot, & tanta per virtutem gratiæ Divinæ prædicando faciebat, ut etiam in multis quaſi de impoſſibilibus poſſibilia faciendo, quaſi montes transferendo in oculis hominum mirabilis, & venerabilis appareret; maximè verò in tantum in eo eniteſcere cœpit virtus prædicationis, ut dura etiam cordis auditorum ſæpe ad converſionem emolliret, vix aliquando domum vacuus rediret; poſtmodum verò fæliciter proficiente & uſu ſermonis, & exemplo bonæ, & perfectæ converſationis, rete *Verbi DEI* in manu piſcatoris DEI tam copioſas piſcium rationabilium multitudines cœpit concludere, ut de ſingulis ejus capturis navicula ejus impleri videretur. Inde factum eſt, ut majori miraculo præ omnibus, quę Divinâ Gratiâ cooperante prædicando geſſit miraculis, etiam publicæ meretrices

Zelus animarum.

Fructus Cōcionum Militij mirabilis.

Digitized by Google

ces de proſtibulis per ejus prædicationem ad pœnitentiam converterentur; & quæ vacuæ fuerunt, & ſteriles ab omni bono cœperunt abundare frumento, & de rore cœli, & benedictione DEI in tantum pingveſcere omnia deſerta earum, & ſic multiplicatâ gente magnificare lætitiam, ut impletum in ea videatur, quod olim dictum eſt per Prophetam ad Civitatem Jeruſalem: *adhuc dicent*, inquit, *in auribus tuis, filij ſterilitatis tuæ; anguſtus eſt locus, fac majorem, ubi habitemus, & dices in corde tuo: quis genuit iſtos mihi? Ego ſterilis, & non parturiens, & iſtos quis enutrivit?* Et ſic verè factum eſt; quia in principio converſionis earum, cùm adhuc paucæ erant, tunc in auguſto loco, videlicet in parva domo cum quadam *Virgine de Moravia* nomine *Catharina* habitabant in oppoſito *S. Ægidij Eccleſiæ Domo*, quæ *Pochonis* intitulatur; cùm verò numerus earum aliquando viginti tantùm, aliquando octoginta, aliquando magìs, vel minùs, & in hoc cauſſa erat, quia quotidie per *probas Matronas Civitatis Pragenſis* ad ſervitia recipiebantur, aliæ verò in Matrimonium proborum tradebantur; multæ verò à parentibus reſumebantur. Et omnium earundem ipſe majorem curam gerebat in victu, in amictu, & omnium aliarum neceſſitatum. Ex licentia verò *D. Archiepiſcopi* in altari viatico in domo eadem *Miſſa* pro eis legebatur, & prædicatio omni die pro eis in *Teutonico*, & in *vulgari* fiebat: multas verò, nè diutiùs permanerent in peccato, pecunijs, in quibus obligabantur, hoſpitium earum exſolvebat. Numerus verò earum omnium *converſarum* erat bene trecentarum, & plurium perſonarum. Hæc verò converſio earundem mulierum facta eſt ſub Anno D. 1372. Et ità impletum eſt Evangelicum dictum: *quia publicani, & meretrices præcedens vos in Regnum Cælorum.* Jam enim de locis anguſtioribus non ſinè divina diſpoſitione translatæ in locum planiorem, & ſpatioſum, ubi *proſtibulum* erat priùs **Benatky** hoc nomine nuncupatum, ut ubi priùs peccaverant, ibi honeſtè exiſtentes pœniterent. Quem verò locum dilectus *Militius* à D. *Imperatore* impetravit, & 27. areas pecuniâ exemit, & duas areas priùs habebat, quas quædam hoſpita illarum mulierum nomine *Hofarta* in agone *D. Milicio* legaverat. In eodem verò loco de conſenſu *D. Archiepiſcopi* in medio *Capellam in honorem S. Mariæ Magdalenæ* ſatìs in altum conſtruxit, & *Jeruſalem* loco illi nomen impoſuit: ità enim in Apocalypſi ſcribitur: *Cecidit Babylon*, & ſtatim ſequitur: *Vidi Civitatem Sanctam Jeruſalem.* qui locus eodem nomine in hodiernum diem ità nuncupatur. Domum etiam pulchram, & amplam pro ſe, & aliorum Presbyterorum ſecum habitantium uſu ædificavit. Illa verò omnia: ſcilicet loci munitionem, totius *Capellæ* fundamentum valde profundum, & illam *Domum Presbyterorum* longitudine 40. ulnarum perfecit, & alia ędificia multa in domo pænitentium mulierum, & aliarum domorum; & aliam domũ fecit, illam verò ſatìs parvam à *Feſto Mathæi Evangeliſtæ uſque Feſtum Purificatio-*

Domũ Pœnitentiæ erigit Militius.

Venetiæ proſtibulorum locus deſtruitur à Militio.

catio-

Digitized by Google

cationis B. Mariæ. Poſtmodum in tempore longiori prædictæ mulieres, & alij pœnitentes magnificatæ ibi, & amplificatæ ſunt. Et adhuc multitudini habitantium ipſe locus anguſtus erat, ubi per eundem locum cum beſtiæ ſilvæ, homines fiunt, & cum hominibus aſſvetæ converſari, & ubi priùs tantillæ luxurioſè, & venenoſè animas mortificantes cantabant, ibi diſcunt cantare Domino canticum novum à ſtudentibus ferè omni die feſtivo poſt Latinum ſermonem: *hæc eſt dies anni.* hominibus pœnitentibus omni die in domo earum *Salve Regina.* O quantæ verò devotæ orationes diurnales, & nocturnales quotidie fiebant! O quantæ lacrymæ ſinè ceſſatione fundebantur! O quanta flagella omni nocte! nunc ſonant pectora tunſionibus crebris,, nunc ſudant corpora nimijs genuflexionibus feſſa, nunc verò manibus expanſis, & oculis in cœlum erectis. quandocunque illo tempore *Capellam* intrâſſet hæc audiens, & ſi ſaxeum pectus habuiſſet, in lacrymas reſolutus fuiſſet. O quàm aſſidua *Confeſſio* ibidem erat pœnitentium, quia quotidie *tres Presbyteri* in confeſſionibus audiendis ſufficere non poterant. Quidquid verò talium piorum in ſua pœnitentia faciebant, *non ſub aliqua Regula* alicujus Ordinis, nec ſub aliqua obedientia Ordinis novi, ſed ſponte ad pœnitendum ſe offerebant, neque habitus erat ſpiritualis pro eis deputatus, ſed quidquid Dominus adminiſtrabat illis ſimpliciter, tanquam verè pœnitentes ſinè aliqua palliatione utebantur. Et talis corporâlis afflictio, & dura pœnitentia earundem pœnitentium vera eſſe apparet, & non ſimulata, nec inanis, & hoc per quandam mulierem, nomine *Ankam*, quæ prima converſa fuit, & ab hac converſione abinde veraciter dolens de peccatis frequenter plorabat, & in confeſſione ſuorum facinorum propter nimium fletum longo tempore verba exprimere non valebat. In tantum verò virgis corpus ſuum affligebat, quod jam mortificatâ carne, & induratâ ex afflictatione nimia verberum, dolorem non ſentiebat, & tunc primò lacrymoſis orationibus miſericordiam DEI implorabat, ut priorum vulnerum dolorem poſſet ſentire, credens à ſe ſenſibilitatem plagarum per Divinam operationem amoveri. O quantum *dilectus DEO famulus Milicius* ex hujus pœnitentia mulieris conſolabatur, & ſæpius dicebat: *Quandocunque majores perſecutiones patior, ſolùm recogitans ità ſtudioſam hujus mulieris pœnitentiam, omnia licèt amara, mihi inde ſvavia, & dulcia ſunt, quia non ſunt condignæ meæ perſecutiones ad pœnitentiam ſolùm hujus mulieris.* Quapropter piſcator DEI præcipiente Domino, non ceſſat laxare retia in capturam. Cooperante ſiquidem gratiâ *Sancti Spiritûs*, quocunque in prædicatione, ſive ibi in *Jeruſalem*, ſive in alijs Eccleſijs divertit, plenus redit, & ſua eum plenitudo ubique comitatur. Et mirum in modum is, qui tantam in contemplatione rerum ſpiritualium, ac Divinarum accepit gratiam circa talem curam familiæ, & laboris, non ſolùm occupari patiebatur, ſed & plurimùm delectabatur, quia multoties 83. perſonis utrius-

que

Senſus obſcurus, & aliquid deeſſe videtur.

Vita Converſarum mulierum.

in margine Codicis adſcriptū erat *centum.*

Digitized by Google

que ſexûs de omni neceſſitate providebat, & nullius cenſûs poſſeſſor exiſtens, quantum verò pro labore *Capellæ*, & domorum, omni die oportebat eum providere! Et ſi aliquando objiciebatur ſibi ab aliquibus, unde velit tanta conquirere, ipſe exhortatus eſt, commonens eos, de miſericordia DEI nunquam debere deſperare. Cúmque jam iſtæ pœnitentes priùs diſperſæ per diverſa loca vicorum per DEI gratiam eſſent congregatæ, cœpit & *Presbyteros, & Scholares* DEO ſervientes congregare, & eis de neceſſitate etiam providere, cum quibus ſimul in domo, quam ex novo conſtruxerat, cœpit habitare, non in aliquibus obſervantijs obedientiæ Regularis, nec ſpiritualis habitus pro eis deputatus, ſed ſicut unicuique Dominus adminiſtrabat, imò nec duo in æquali habitu inveniebantur, nec etiam aliquod nomen ſpeciale eorum Congregationi fuit impoſitum. Exultans itaque devotus ſervus regeneratorum in Chriſto fidelium, & manum Domini intelligens ſecum operantem, cœpit ex hoc palàm ſervitium DEI in eadem *Capella* augmentare, ità quòd ferè prædicatio quotidie *ex licentia D. Archiepiſcopi* vigebat, multoties verò diebus feſtivis quinque vicibus in eodem loco prædicabatur, in tevtonico, latino, & vulgari ſermone. Duæ verò *Miſſæ*, una manè de *B. Virgine*, & alia de die in cantu, omni die perficiebantur, aliæ verò lectæ ſex, aliquando 8. & aliquando 16. & ſic ferè omni die *Divinum Officium* uſquè ad horam meridiei fiebat. Iſtis verò horis, ſcilicet veſpertinis, & matutinis frequenter ipſemet intererat. Satagens etiam *Famulus DEI* bonis operibus abundare, non ſolùm domeſticorum ſuorum curam habebat, ſed omnium indigentium indifferenter ad eum venientium inopiam, quantum magìs valuit, ſupplebat. Omni die catervatim ante domum pauperes ſtabant, exitum ejus præſtolantes. Et quandocunque jam ſtantes pauperes conſpiciebat, quidquid habere poterat, inter eos dividebat. Sin autem ipſemet carebat, tunc currebat inter *Presbyteros*, & alios familiares pecuniam accommodando, & quemlibet ſingulariter interrogando, quis quid haberet, & quidquid congregare poterat, hilariter deſcendens, prout unicuique magìs poterat, tribuebat: quando verò nec ſolus habuit, nec alij ſibi ad accomodandum aliquid habere poterant, tunc triſtis ad eos deſcendit, & exſpectare pro tempore, vel aliâ horâ venire juſſit: quando verò DEUS aliquam ſummam pecuniæ ſibi adminiſtrabat, licèt eandem pecuniam pro expenſis, pro labore, & alijs debitoribus dare debebat, tamen principaliter de pauperibus cogitabat, in hæc verba gaudenter prorumpens: *ubi modò ſunt nunc pauperes?* quibus venientibus, & alijs jam expectantibus miſericorditer ſubveniebat, multoties verò à procuratore coquinæ, quæ jam pro expenſis familiæ dederat, iterum reſumebat, & cum pauperibus dividebat. Ità verò pius erat, quòd in minutiſſima, quæ erant ſibi pro refocillatione capitis parata, cujus dolorem ſæpiſſime patiebatur, illa cum omnibus dividebat, ſemper arbitrans, quia alter illis plus

Nova Domus pro Scholarib. à Militio excitata.

Conſvetudines piæ domûs Clericalis.

Eleemoſynæ Militij.

Digitized by Google

eo indigeret. Cùm verò tempus hiemis inſtare cœpit, oblitus ſui de alijs principalem curam gerebat, & hoc in multis ejus factis, & ſpiritualiter in iſto apparet eſſe manifeſtum: cùm ſemel ſatìs grande jam hiemis frigus inſtaret, & ipſe ſolam tunicam in ſe haberet, tunc quidam nobilis & devotus Vir, nomine *Thomas*, cujus viri notitia à multis non parva habetur, miſericordiâ motus vocavit quendam *Presbyterum*, nomine *Woyslaum* ſibi familiarem, dicens ad eum: *Conſidero D. Milicium nil pro ſe velle reſervare, ſed ſi vellet pro ſua perſona reſervare, bonum vulpinum pelliceum ſibi darem;* quam rem idem *Presbyter D. Militio* retulit; cui ipſe reſpondit, dicens: *hanc rem nullo modo faciam, ut tantummodo pro me ſervaturum promitterem;* & charius frigus ſuſtinuit, antequam tali conditione pelliceum ſuſciperet. Videbat iſta omnia peccator, & iraſcebatur, dentibus ſuis fremebat, & tabeſcebat; juſtus autem confidens in Domino glorioſè de ſæculo triumphavit. Itaque eo publicè prædicante, & opera pia exercente amici amicos à via avertebant, quia voci ejus *Spiritus Sanctus* tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret iniquitatis affectum. Creſcente ſiquidem numero eorum, qui in hanc converſionis unitatem conſenſerant, ſicut de primitivis Eccleſiæ filijs legitur: *Multitudinis eorum erat cor unum, & anima una in Domino, & habitabant unanimiter ſimul.* Erat enim eis una domus, præterea & communis omnium, ubi cohabitabant. Si verò quis illuc intrabat videns & audiens, quæ ibi gerebantur, ac dicebantur, ſicut de Chriſtianis Corinthijs Paulus dicit omnibus quodammodo prophetantibus convincebatur, & adorans Dominum, & confitens, quòd verè DEUS eſſet in eis, aut ipſe unitati adhærebat, aut recedens flebat ſeipſum, illos autem beatificabat. Sed cùm malignus ſpiritus nimia detrimenta per Virum DEO dilectum ſibi imminere cerneret, *Prælatos*, *Plebanos*, *Religioſos* ad furorem in eum ſuſcitavit, ità, ut prædicationem ſibi ſæpius prohiberent, & *hæreticum* eum appellarent: Sed planè eum boni omnes, & mirantur, & diligunt, nam qui *hæreticum* eum appellant, inſaniunt. Vir verò DEO dilectus, futurorum bonorum præſcius, cùm malediceretur, non maledicebat, ſed patienter omnia tolerabat. Tot ſunt ergo, & tantæ, quas in hunc modum de eo audivimus, & vidimus virtutes, & circa diverſas hominum neceſſitates diverſæ opitulationes, ut ſi omnes velim vel verbo, vel ſcripto pronunciare, timeam, nè faſtidioſis incredulitatem, vel incredulis faſtidium inveniar generare: aliquanta ſiquidem eorum narrare volenti, plura ſe offerunt; in omnibus autem operibus ſuis quàm purus ejus ſit oculus intentionis, manifeſtè denunciat corpus lucidæ ejus operationis: patientiam verò ejus maximè quidem flagellis Dominicis excitatam invenimus, & probatam; quæ nimirum ab ipſo ſuæ prædicationis initio uſquè ad diem beatæ diſpoſitionis tanta ſuſtinuit, ut vita ejus his, qui noverant, nonniſi quædam mortis protelatio videretur. Et quia hoc genus patientiæ

Diabolus adverſus Militium conſurgit.

ſolet

Digitized by Google

ſolet dici tripartitum, videlicet *ad verborum injurias, ad damna rerum, & ad corporis læſionem*, de ſingulis in proceſſu videamus. Quomodo verò vel *corporis læſionem* non pateretur, qui duras, & opacas carceris, & vinculorum mancipationes gratè & dulciter ſuſtinuit, & quando ſibi dicebatur ab aliquo familiari, triſtantium ejus illa dura vincula, quomodo gravia in carceribus ſuſtinebat, ipſe verò reſpondebat: *meliùs credo ibi tunc erat, quàm nunc in libertate*, quia plura pro veritate ſuſtinere deſiderabat. Et quomodo *damnum rerum* cum hilaritate non ſuſtinuiſſet? qui *Prælaturam Eccleſiæ Pragenſis*, de qua ſuprà dictum eſt, & omnia, quæ habere poterat, ſponte reſignavit? *Injurias verò verborum* quantas ſuſtinuit, & quis iſta poterit ſcripto, vel verbo enarrare? ſicut benè patet in quodam Concilio contra eum facto omnium Plebanorum, exceptis paucis aliquibus pauperibus, qui eis adhærere nolebant, quibus à *Domino Dyetlebo* dicebatur: *Vos Militiani recedatis!* tum verò in *Curia Archiepiſcopi*, paupere *Militio* coram eis comparente in multis falſis eum accuſabant, & ei verbis multis, ac probroſis conviciabantur, inter cætera verò dicebant: *à principio prædicationis tuæ nunquam pace fruimur, ſed ſemper diſturbia multa patimur*; quibus humiliter reſpondit, non verbis contumelioſis, ſed Divinis; *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Quem ſæpius & *Beghardum, & Hypocritam, & Sodomitam* eum appellabant, qui tunc omnia patienter toleravit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Et hoc Fratres eſt gloria DEI. Et hoc bene apparet in quadam correctione cujusdam magni Prælati, de cujus nomine ad præſens volo ſubticere, quam fecit ad eum litteratoriè de ejus fornicatione, quia in detrimentum animæ ſuæ, & multorum in ſcandalum perpetrabat, & de oſtiolo quodam, quod in domo ſua fecit pro eis nequam ducendis, & de convivijs, quæ alijs Prælatis faciebat, ejuſdem malitiæ ſibi ſimilibus. Idem verò Prælatus auditâ litterâ, ſed non ex toto, & per eum diſtractâ, cœpit turpiter increpare, & modò *latronem, & Militium* pauperem, *Sodomitam* appellare, & ſibi adhærentes. Cùm verò fuiſſent ſibi verba iſta multùm opprobrioſa ab eodem revelata, qui litteram eidem *Prælato* in faciem legit, multùm cœpit de illo gaudere, quòd talia pati pro veritate deberet. Quando verò aliqui ſibi commanentes injurijs nimijs verborum afficiebantur, ipſe confortans eos, dicebat: *ut quid de talibus turbati eſtis, quæ minima ſunt? vos enim talia, quaſi prunella ſumere deberetis.* Poſtremò verò in tantum fuerunt in furorem concitati, quòd & 12. articulos falſos, & mendaces conſtruxerunt, & eos *Curiam Romanam* ad quendam Magiſtrum S. Scripturæ, nomine *Klonkoth* miſerunt. Hos verò articulos idem *Magiſter Domino Papæ* porrexit, & ſic nimiùm fuit in *Curia Romana* ſuper carbones denigratus. Cùm jam verò *D. Papa* litteras ſuas *D. Archiepiſcopo* miſiſſet, quia talis in tantum eſt delatus, ut ſi ità eſſet, ut quid *D. Archiepiſcopus* talia in ſua

Perſecutiones Militij, & in ijs patientia.

Dietlebus adverſatur Militio.

hiatus, quē legere non potui.

Rurſus Militius Romæ accuſatur.

Digitized by Google

Diœçeſi fieri permitteret? quibus omnibus iſtis auditis, omnia patienter pro Chriſti nomine ferens *D. Archiepiſcopum* hilariter aggreditur, dicens: O *Pater venerande! nolite ex hoc turbari, licèt ſim in multis in Curia Romana accuſatus, tamen tota ſpes meà in DEO eſt; quia veritas ultra claritatem Solis nullâ eam valente caligine falſitatis obfuſcare elucebit.* O quàm multos perſecutores, & quàm multos detractores perpeſſus eſt! ſicut ex his verbis bene jam apparet, tamen in furorem carnalem ex hoc non eſt concitatus, nec ex eo magìs turbabatur, ſed ſemper hilari vultu, & læto animo apparebat, & quantò plures perſecutiones inimicorum patiebatur, tantò plus pro eis orabat, & alias perſonas, quas devotas eſſe ſciebat, ſtudioſè rogabat, ut pro inimicis ſuis ferventer orarent. Talem verò modum orandi pro eis dabat, ut ad modum Crucis proſtrati, miſericordiam DEI provocantes, dicerent: *Deus propitius eſto mihi peccatori, quia peccavi ſuper Sodomam, & Gomorram.* Alia verò verba iſta erant: *DEUS propitius eſto mihi peccatori, quia non ſum dignus videre altitudinem Cœli præ multitudine iniquitatis meæ;* & iſta erant: *Miſerere mei, fili David!* Cùm verò magìs, ac magìs in eum furerent, & exquiſitos modos perſequendi eum excogitabant, & citationibus ſæpiſſimis virum Deo dilectum fatigabant, videntes verò, quòd in nullo horum profeciſſent, quia juſtus non habebat, unde convinceretur. Poſtmodo omne judicium totius cauſſæ iſtius *Inquiſitioni* delegârunt, & cùm jam per *Inquiſitorem* fuiſſet citatus; quod ille videns, tantæ eorum veſaniæ locum dedit, & factâ *appellatione* ſub publica manu coram *Generali Vicario D. Archiepiſcopi*, & coram *Officiali, & D. Inquiſitore*, & publicè in *Eccleſia S. Ægidij*, & in *Eccleſiæ S. Galli* majori populo ad ſermonem conveniente ad *Sedem Apoſtolicam* confugit, cui datum eſt probare Spiritus, & Scripturas. Tanto fervore charitatis, erga ſalutem, & erga pauperum inopiam proximorum erat accenſus, ut etiam in eadem viâ, ubi locum habere poterat, ſalubria monita per prædicationem populo exhiberet. Quicquid verò à devotis, & amicis pro expenſis hujus viæ ſibi offerebatur, quamvìs quatuor perſonas ſecum equeſtres perducebat, tamen largas eleemoſynas pauperibus ubique erogabat. Et non expectabat, ut precum inſtantiâ ab eo eleemoſyna extorqueretur, ſed ubicunque circa viam aliquos tranſeuntes conſpiciebat, qui ſibi pauperes videbantur, *Scholarem* ſuum nomine *Jacobum* mittebat, ut ſi eleemoſynam velint accipere, inquireret. In *Curia verò Romana* exiſtens, copioſas eleemoſynas faciebat, & quod pro ſe, & ſua familia habebat, præbebat de illo; ſi plus non poterat habere, mediam ſaltèm partem pauperibus erogabat. Quamdiu pecuniam habere poterat, quibusdam ſocijs, & pauperibus ſecum habitantibus *de Moravia*, ſemper in octo diebus unum florenum dabat, quem pauperes, ubi tranſibant, catervatim ſequebantur. Quendam verò *Lombardum Virum Juris peritum* ſecum in via habebat; cùm verò ad partes ſuas idem *Lombardus*

Orationes Militij adverſitatis tempore.

Appellatio Militij ad SedēApoſt:

Romam profectio.

das recedere deberet, omnem pecuniam, quam habebat in quinque partes dividens, quia *quinque* perſonæ erant, unam partem, & eqvum, cui inſederat, miſericorditer tribuens, amicabiliter valedixit.

Iter Militij Romam.

Quamvis verò labor viæ ejus in *Quadrageſima* erat, in quo tempore horis Canonicis longioribus, quàm in toto anni circulo utimur, tamen ſervus DEI fidelis *Milicius* omnia, & *ſeptem Pſalmos*, & XV. gradus, & *Vigilias* in via devotiſſimè explebat. Divinum verò Sanctiſſimæ *Miſſæ* Officium, excepto uno ſolo die per totam viam ardentiſſimè perfecit, anhelans ad menſam illam cœleſtis Curiæ citiùs pervenire, de qua in Evangelio Lucæ dicitur: *præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Talem verò virtutem, & gratiam DEUS contulerat ſibi, quòd & inimici videntes ejus perſonam ſibi pacificè loquebantur, in nullo eum accuſabant, & iſtud manifeſtè apparet in adventu ejus in *Curiam Romanam*, licèt priùs nimiùm criminosè accuſatus fuiſſet, poſtmodum eo veniente omnes ſibi benefavebant, & ejus major adverſarius, *Magiſter* videlicet *Klonkoth* cujus mentio ſuperiùs facta eſt, cùm fuiſſet per *D. Cardinalem Albanenſem* vocatus, & quid de *Militio* ſentiret, interrogatus, dicebat: *Ego nihil mali invenio in homine iſto,* ſed ſolùm id eſt: *cùm fuiſſem litteratoriè per quendam Plebanum Pragenſem monitus, & rogatus de articulis talibus, eoſdem D. Apoſtolico porrexi.* Et hoc fiebat ex gratia illa, quam nimiam ad inimicos ſuos habebat.

Militius Romæ reverẽtiſſimè ſuſceptus.

Tanta verò prædicationis gratia fuit ſibi à *Domino* collata, ut à prædicatione meretricum iverit ad prædicationem *Cardinalium*, & à *menſa Publicanorum* ad menſam *Cardinalium, & Epiſcoporum*: & talis reverentia fuit ſibi exhibita non deſideranti poſt prædicationem, quam fecerat coram *D. Cardinali Albanenſi in die S. Spiritûs*, ut eodem die idem *Cardinalis* in tabula eum tertium à latere ſuo collocârit.

Amor ingens inimicorum in Militio.

Et nunquam tantùm vigilanter, & tantum orabat pro ſeipſo, ſicut pro inimicis ſuis, ità ut rugitus viſcerum ipſius à devotis, & fide dignis in hac oratione audiretur; ſicut & manifeſtum eſt in infirmitate adverſarij: cùm enim de infirmitate majoris ejus adverſarij ſibi dictum fuiſſet, nimiùm cœpit turbari, & ſuos familiares rogare, ut quivis eorum proſtratus ad modum crucis pro eo ferventer orarent, ipſemet verò in ſuo Commodo proſtratus, devotè cœpit miſericordiam DEI implorare, ut Dominus daret ſibi pro eo mori, vel hîc, vel in purgatorio pati; & id manifeſtè continetur in literis, quas poſt mortem ejus adverſarij *D. Archiepiſcopo, & D. Imperatori* ſcripſerat, & tenor in eiſdem literis eſt talis:

Literæ Militij ad Imp. Carolũ IV.

Serenitati veſtræ ſignifico, quia unus ex illis, qui ſcenam omnis virtutis, & pulchritudinis formam Regni Bohemiæ infamando in me obtenebrare volebant, ab hac luce migravit, videlicet Magiſter Johannes Klonkoth, cujus DEUS animam habeat! non autem ad gaudium hoc intimo, quia mortuus eſt, nam DEUM oravi, ut DEUS faceret me mori pro ipſo, vel pati in hoc mundo, vel in purgatorio, & ſicut bene convenit cuilibet fideli prædicatori,

Klonkoth adverſarius Militij moritur.

ri, ut aliquando bona opera ſua tempore exigente Chriſti fidelibus manifeſtet, ſicut declarat B. Gregorius ſuper Ezechielem homil. 9. in initio ſic dicens: hinc eſt enim, quòd juſti, atque ſapientes aliquando virtutes ſuas prædicant, bona, quæ divinitus acceperunt, narrant, non ut ipſi apud homines ſuâ oſtenſione proficiant, ſed ut eos, quibus prædicant, exemplo ſuo ad vitam trahant. Unde Paulus Apoſtolus, quoties fuſtibus cæſus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate ſuſtinuit, quòd ad tertium cœlum raptus, quòd in Paradiſum ductus ſic Corinthijs narrat, ut eorum ſenſum à falſis prædicationibus avertat, ut dum ſe innoteſceret, qualis eſſet, illi eis vileſcerent, quos ab eis cognoverat iniquè venerari. Quod perfecti cùm faciunt, id eſt, cùm virtutes proprias loquuntur, in hoc quodammodo Omnipotentis DEI imitatores ſunt, qui laudes ſuas hominibus loquitur, ut ab hominibus cognoſcatur. Nam, cùm per Scripturam præcipiat, dicens: laudet te os alienum, & non os tuum, quomodo facit ipſe, quod prohibet? Sed ſi virtutes ſuas Omnipotens DEUS taceret, eum nullus agnoſceret, ſi eum nullus agnoſceret, nullus amaret, ſi nullus amaret, nullus ad vitam rediret; unde per Pſalmiſtam dicitur: virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, ut det illis hæreditatem gratiarum. Virtutes ergo ſuas annunciat, non ut laudibus ſuis proficiat, ſed ut hi, qui hunc ex ſua laude cognoverunt, ad perpetuam hæreditatem perveniant. Juſti itaque perfecti non ſolùm tantum cùm vituperationis ſuæ verba reprehendunt, ſed etiam cùm virtutes ſuas, quas habent, infimis loquuntur, reprehenſibiles non ſunt, quia per ſuam vitam, quæ referunt, aliorum animas ad vitam quærunt: de quibus tamen ſciendum eſt: quia nunquam bona ſua detegunt, niſi eos, ut dixi, aut proximorum utilitas, vel certè nimia neceſſitas cogat. Unde Paulus Apoſtolus, cùm virtutes ſuas Corinthijs narrat, ſubjunxit: factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Hæc ille.

Militius ad mortem ſe comparat.

Cùm verò poſt tantos labores, ac ſudores Dominus dilecto ſuo *Militio* Presbytero diu deſideranti pretioſæ mortis ſomnum dare diſponeret, fidelem ſuum introducere in requiem ſuam, cœpit magìs, ac magìs in ipſum promptus proficere ſpiritus, caro infirma deficere. Cognoſcens enim Vir DEI propè eſſe jam bravium, ſolito currebat alacriùs, & terreſtris habitationis ſuæ diſſolutionem ſentiens imminere votis uberioribus aſpirabat ad habitationem non manufactam æternam in cœlis. Corpus in lectulo decubans varijs exercebatur incommodis, animus tamen nihilominus liber, & potens, quæ DEI erant, exercebat invictus, non ceſſans quoque in medijs doloribus meditari in aliquo, aut dictare; quia ſolùm duobus diebus, aut paulò plus ante mortem duas Epiſtolas pulcerrimas ſuo ore Scriptori pronunciavit; unam videlicet *Dominis de Roſenberg* ferventiſſimè ex Scripturis ſacris, ipſos ad opera pietatis incitando, & quod nihil omne præſens ſit, mentibus eorum inculcando. Epiſtola autem eadem eſt in hæc verba: *Deeſt Epiſtola.*

Aliam

Aliam verò Venerabiliſſimo Viro *D. Cardinali* dulciſſimo *Albanenſi*, quam idem *Cardinalis* cum magna reverentia recepit, & devotione, ipſam cum lacrymis perlegendo, & alijs eandem demonſtrando, *Beatum* ipſum multis rationibus aſſeverando, dicens: *Licèt frater meus Dominus Urbanus Papa clareſcat miraculis, hic tamen Milicius ante fratrem meum, ùt arbitror, deberet canonizari.* Hoc verò Exemplar Epiſtolarum, & cætera ejus verba declarant, quæ Pater DEO dilectus jam morte imminente dictârit. Ex cujus nimirum tenore poſsit diligens Lector beatum illius vel ex parte aliqua pectus agnoſcere, quanta illi in ipſa ſui ruina corporis tranquillitas mentis, ſerenitas animi, ſvavitas ſpiritûs in oblatione hoſtiæ ſalutaris (quam uſquè ad exceſſum ultimum vix aliquando intermiſit) artus ſibi vigore ſpiritûs ſuſtentabat ſemetipſum pariter offerens acceptabilem hoſtiam DEO in odorem ſvavitatis. In ipſa verò infirmitate à pijs operibus non ceſſabat, quia quandocunque ab aliquibus devotis ſibi aliquid dabatur, pauperibus impertiri jubebat. Teſtimon: Cardinalis Albanenſis de Militio.

Hic eſt viarum tuarum *Pater dulciſſime* finis beatus, & hic labor ultimus in hoc opere vitæ tuæ. Labores tuos glorioſè complevit, qui magnificè ſemper honeſtavit te in laboribus tuis, te in ſuo nomine, & nomen ſuum in te glorificans Rex gloriæ D. DEUS tuus. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1374. in die *S. Petri Apoſtoli* de mundi hujus naufragio migravit ad Dominum, de ſervitio ad Regnum, de labore ad requiem, de morte ad vitam ſempiternam, parante D. N. JESU Chriſto, qui cum DEO Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Obitus Militij.

Poſt mortem verò tanti *Patris*, quis erat apud nos tumultus cogitationũ! quot naufragia animorum, cùm theſaurus tam amabilis raperetur à nobis & præſentibus cernentibus, nec ſpes eſſet retinendi, nec facultas aliqua commeandi. Pater erat, ſed qualis Pater! qui videbatur abire nobis quodammodo proprius, tamen toti mundo communis. Erat enim omnium bonorum gloriatio, & malignantium metus, ut de eo non incongruè videretur eſſe pſallendum: *videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* quo præſente omnis multitudo fidelium jucundabatur, duritia compungebatur, & tunc clamandum: *Pater mi, pater mi! Currus Iſraël, & auriga ejus!* auriga agitat, & currus portat. Currus erat, qui tot mala tolerando ſuſtinuit; auriga, quia populum bonis monitionibus exercebat. Tu fluctuantium portus, clypeus oppreſſorum, ut de ſeipſo B. Job loquitur: *Cæco fuiſti oculus, & pes claudo.* Tu perfectionis Exemplar, virtutis forma. *Tu gloria Iſraël, tu lætitia Jeruſalem*, oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, Cedrus multiplicata, platanus exaltata, vas electionis, vas honoris in Domo DEI. Tu Eccleſiæ Sanctę fortiſſima, ſplendidiſſima columna, tu vehemens tuba DEI, tu dulciſſimum Spiritûs Sancti organum, pios oblectans, deſides exci- Dolor de morte Militij.

excitans, debiles portans, cujus medicinalis lingua morbos curabat, cujus erat ſimplex habitus, ſupplex vultus, dulcis facies, generoſus aſpectus, cujus denique vita fructuoſa, mors pretioſa, quia tibi vivere Chriſtus fuit, & mori lucrum. Quodſi nobis alterum fortaſſe utilius, ſed alterum multò melius tibi. Et quod tibi jam commodum, nobis ſi piè ſapiamus, non poteſt non eſſe jucundum. Cæterùm etſi pium eſt gaudere te *Pater bone*, quia qui in gaudium Domini fæliciter introiſti, non tamen impium ſuper nos ipſos flere, quos nimirum abeunte te ſolito gravius horror geminus circumſcripſit, dum nobis eſt vita tædio, mors timori. Et ſi pium eſt, gaudere te, quòd beato tranſitu mortis ad torrentem voluptatis, quam ardenter ſitieras acceſſiſti, noſtram tamen vicem dolere non impium, quibus & vivendi omnis pariter ſublata eſt ſvavitas, moriendi nondum oblata facultas. Et ſi pia tibi impenditur congratulatio, fælix anima, quæ in plenitudine lucis exultas, non tamen impia ſuper nos aſſumitur lamentatio, qui relicti ſumus videntes afflictionem populi, & deſolationem Civitatis ſanctæ Jeruſalem.

Hactenus Codex M.S. Bibliothecæ Trebonenſis.

Quædam ſcripta Joannis Militij recenſentur.

Militius multa ſcripſit, omnia ſermone Latino; legebantur ejus libri quondam velut prophetici, & quia (fortaſſe nimiùm audacter) *Cleri*, & maximè *Mendicantium* (quòd eâ ætate *Clerus* adverſùs iſtorum *Privilegia* conſurrexiſſet) vitia reprehendebat, *Huſſitæ* (ùt hæreticorum mos eſt) cum velut ſectæ ſuæ amicum laudabant, & ejus teſtimonijs prolatis ſua confirmare ſunt ſoliti, ob eámque cauſſam *Sbignæus Haſemburgius Archiepiſcopus* (qui ob id etiam ignorantiæ accuſatur) *Militij opera* cum cæteris hæreticorum ſcriptis publicè rogo excitato cremavit. Hæc ſunt, quæ invenire licuit à *Militio* ſcripta:

Quadrageſimale. Conciones ſcilicet. inveniuntur in Bibliotheca Societatis JESU ad S. Clementem Pragæ N. 206. & 216.

Prothemata de B. Virgine. Liber egregius. In eadem Biblioth: N. 301.

Poſtilla ejuſdem in Evangelia. Ibid. N. 404. Tomùs I. ſunt quædam Opuſcula *Militij* in eadem Bibliotheca O. 216. Tomus II. hujus *Poſtillæ* habetur in Bibliotheca Trebonenſis Cœnobij lit. M. & Poſtillæ I. pars lit. F. 2.

Sermones ejuſdem in Bibliotheca Trebonenſi lit. O.

Tit: XXXV.

Carolus IV. Imperator, & Bohemiæ Rex, Pater Patriæ.

A. 1378. 29. Nov.

C*Arolus Joannis Regis* Bohemiæ Luxemburgici, & *Eliſabethæ* Wenceslai II. Bohemiæ Regis filiæ primogenitus, editus eſt *Pragæ* An: C. 1316.

Digitized by Google

1316. 14. Maij; poſt ſexdecim dies 30. Maij in Pentecoſte in Eccleſia Pragenſi (quod ipſemet *Carolus* in pluribus Diplomatis huic ſanctæ Eccleſiæ datis, gratus agnoſcit) ſacris aquis ablutus, *Wenceslai* nomen accepit. Septennem puerum *Joannes Rex* parens die S. Ambroſij An. 1323. in Galliam ad Amitinum Regem (qui ſcilicet *Mariam Joannis Regis* Sororem in conjugio habebat) ablegavit, ut educaretur; educatus eſt juſſu Regis (qui etiam *Wenceslao in confirmatione* ſolenni *Caroli* nomen juſſit imponi) liberaliſſimè, & bonarum artium ſtudijs innutritus ab *Joanne de Cara*, eam pietatem erga *DEI Matrem* imbibit, ut quotidie quantumvis adoleſcentulus, incitante ipſo *Rege Carolo*, Horas B. V. MARIÆ glorioſæ recitaret, conjungens literas, & pietatem cum optimis aulæ illius exemplis: *Rex enim prædictus* (verba ſunt Caroli IV.) *non erat avarus pecuniæ, & utebatur bono conſilio, & Curia ejus reſplendebat bonorum Principum tam ſpiritualium, quàm ſæcularium congregatione.* In illa celebri *Galliæ Regis Aula*, intimâ amicitiâ complecti cœpit *Petrum Abbatem Fuſcanenſem* Virum ætate ſuâ diſertiſſimum, quem cùm etiam adoleſcens audiret, inflammari ſe incredibiliter ad DEI amorem ſentiebat; hic *Carolum* pro filio ſuſceptum, ſacrarum Literarum veteris, & Novi Teſtamenti Quæſtionibus totum occupabat, & difficillimis locis explicatis, admiratione, & ſtupore defixum, interioribus illis, & Divinis arcanis tam procul admovit, ut etiam in ætate virili, & ſenectâ *Carolus* totum ſe in ea abderet, in his elaboraret, & commentaretur plurima. extant in *Manuſcriptis Codicibus Bibliothecarum Caroli Commentarij in Evangelia;* ex quibus quosdam Tractatus Evangelicos in vita *Caroli IV.* legimus editos à *Frehero*; at in MM.SS. ùt dixi, plura, & lectiora habemus. Ad *Petrum* redeamus; de quo illud ſingulare *Carolus* in vita ſua refert, quòd cùm adoleviſſet, & nihil præter *Marchionis Moraviæ* titulum haberet, idem *Petrus* jam *Archiepiſcopus, & Cardinalis exiſtens in domo ſua* (verba ipſa annumero) *dixerit: Tu eris adhuc Rex Romanorum. cui reſpondi: Tu eris antè Papa! quod utrumq; ſecutum eſt*: Petrus enim Pontifex electus, & *Clemens IV.* eſt dictus, qui *Gentis Bohemæ* (ùt alibi narravimus) ſummus fuit amator. Revocatus deinde *Carolus* à Patre domum in *Bohemiam*, *Papiæ* graviſſimum adijt vitæ diſcrimen, ac niſi eo die ob ſuſceptionem *Ven. Eucharistiæ* jejunâſſet, perierat: nam omnes Aulici, quicunque jentârant, veneno ollis in Culina injecto, ſunt ſublati; *Carolum* SS. Euchariſtiæ ſuſcipiendæ reverentia ſervavit in vita; quod ipſum latè in *Vita* commemorat. Alio cœleſti miraculo *Carolum* ſuum ex *Venerabili Hoſtia* Divinitas ſervavit: nam cùm in *Carolum*, cui antè fidelitatem promiſerant, bella pro *Patre in Italia* gerentem Gubernatores Civitatum *Parmæ, Regij, & Mutinæ* occultè conſpirâſſent, & Sacerdote Miſſam legente ſuper corpore Chriſti juramento præſtito, fidem ſibi mutuam alteri alteris jurare pararent, repentè tam fœda coorta tempeſtas eſt, conſecutis

tam

Carolus Imper. in vita ſua. Pont. l. 7. Boh. Pie.

Pueritia Caroli.

Educatio Caroli ad Scientias & pietatem.

Prudentes prædictiones duæ.

In Vita Erneſti I. Elogia S. Wenc. præf. ad Clemen. IX. Papam.

Servatur miraculosè in vita ſæpius.

Digitized by Google

tam denſis tenebris, ut nemo oculis uti poſſet. Ubi tempeſtas poſuit, rediítque lux, Sacerdos *Venerabilem Hoſtiam* amiſſam ſibi videt, quæ diu quæſita, ante pedes *Marſilij de Rubeis* conjuratorum Principis inventa eſt. Terruit ea rés conjuratos, ſimúlque unà omnes exclamârunt: *quod facere decrevimus, DEO non placet*, adeóque unâ omnes ſententiâ ad *Carolum* redierunt, quos ille receptos (etſi quid geſtum eſſet, non ignoraret) diſſimulans, conſilijs ſuis adhibuit, fidiſſimóſque omnium, quos unquam habuit, in poſterum ſenſit. Alia cæleſtis viſio *Carolo* adhuc juveni in *Villa Terentij* oblata eſt de *Delphino Viennenſi Gvidone*, quem ob luxuriam ab *Angelo* è cœlis lapſo, in media militum acie, virilitate exciſâ, cadentem, & morientem per quietem videbat; collatis temporibus cognitum eſt poſteriùs, eodem die *Gvidonem*, ſagittâ è balliſta emiſsâ, ex caſtro, ſecundùm eas partes, quas dixi, lethaliter ictum, perijſſe. Addebat *Carolo Angelus*: *nunc ergo cavete, & Patri veſtro poteſtis dicere, ut ſibi caveat de luxuriæ peccatis, vel pejora accident vobis.* Quibus verbis vehementer ſe ad emendationem vitæ permotum ſatis indicat ipſe *Carolus*, cùm jam perverſi homines, ut frueretur ætatis ludo ſvaderent, & *ſecum in libidinis laqueos* (ùt ipſe loquitur) *ſeducerent, & dulcia, in quibus fel latet, offerrent.* Viſionem illam in paucis memorabilem in *Vita Erneſti I.* deſcripſimus, legitúrque in *Ænea Silvio.* Admotus eſt poſthæc *Carolus* Gubernationi Provinciarum, & Regnorum, cujus Regias virtutes maximas in eadem *Arneſti* vita (cujus inſtitutione, & miniſterio potiſſimùm tam *egregius Princeps* evaſit) deſcripſimus, hoc loco pauciſſima, & parva, ex quibus tamen argumenta maximarum rerum ſumi poſsint, narrabimus: Totus inprimis in eo erat *Carolus*, ut ſubjectis populis amabilem ſe præſtaret: omnium ſubjectorum linguas callebat perfectiſsimè: *Bohemicam, Teutonicam, Latinam, Lombardicam, ſeu Italicam, & Gallicam.* Amabatur ab omnibus *Bohemis Carolus*, ùt Pater, ob defenſionem pauperum præcipuè: *quoniam* (verba ſunt Caroli) *Barones Regni pro majori parte effecti erant Tyranni, nec timebant Regem, prout decebat &c.* Judicium exercebat *Carolus*, poſtquam regnare cœpit, quotieſcunque poſceretur, excitato temere in *Porta Regiæ Arcis*, vel ante *Curiam Tribunali*, & quoniam Juriſconſultos doctiſſimos, nominatim *Lucernam Juris Bartolum* ſemper lateri ſuo adhærentes habebat, finiebat lites ex tempore, quæ largitione alterius partis in annos plurimos trahebantur. In latrones publicos extremo ferebatur odió, & ad purgandas latronibus vias, & arces, biennio, & ampliùs cum Exercitu *Bohemiam* totam luſtravit; captos omnes agebat in furcam, conſtat, eò uſquè amore Juſtitiæ progreſſum *Carolum*, ut cùm prædonum *Ducem*, cui nuper adeò ob res fortiter in acie geſtas, aureum torquem injecerat, & Equitem aureatum creârat, ante ſe duci videret, & milites inſerto laqueo Equitem ſublimem raperent, ipſe *Carolus* auguſtâ manu hominem tolli adjuverit, donec laqueus arbo-

Viſio Caroli de luxurioſo Delphino.

In vita Erneſti I.

Sil. in hiſt. Boh.

Carolus IV. in vita ſua.

Virtutes Regiæ Caroli IV.

Juſtitiæ amor.

Rytjř Pancéř.

arbori illigaretur, ut pendêret. Par in hæreticos *Caroli* odium, quos *Diplomate* edito, ſanxit flammis exurendos. Sanctiſſimæ, & univerſalis *Sedis Romanæ* defenſor ſummus *Carolus*, Tyrannos in Italia excîdit (exempla in eadem *Erneſti vita* attulimus, & in *Annalibus Eccleſiaſticis* oſtendit *Odoricus Raynaldus*) Quàm magnificam, & ſplendidam Religionem eſſe optaret, fundationes Collegiatarum Eccleſiarum complures, *Archiepiſcopatus Pragenſis*, *Epiſcopatus Litomiſlenſis*, *Cœnobia* facilè *vicena* ditiſſimè fundata, *Eccleſiæ* longè plures altiſſimo, & Regio opere exſtructæ, Arces, Urbes, & oppida de novo condita hodiéque loquuntur. nè longum faciam, en Indicem ex *Erneſti Vita*, ubi ſinguli tituli ſuis approbantur exemplis: *Carolus maximus ædificator*; *ejus ædificationes*, *ejus fundationes ſacræ*. *Caroli miſericordia in pauperes.* *Carolus ut bene ſit ſubditis pervigilat*, *& ob id ſæpe dormire non poteſt*, *cogitans de commodis Provinciarum ſuarum.* *Amat ſubjectos populos*, *& amatur* (hîc illuſtre adſertur exemplum *Civis* cujuſdam *Pragenſis*, qui *centum millia aureorum Carolo* apud ſe prandenti donavit) *Carolus humaniſſimus. liberaliſſimus. religioſiſſimus. totâ Europâ colligit Sanctorum Corporum Reliquias*, *auróque*, *& argento*, *& gemmis exornat. Fundat Manſionarios in Eccleſia Pragenſi. offert aureum infantem B. Virgini Aquisgranenſi pondere filij ſui Wenceslai. S. Agnes de monte Politiano Carolum*, *cùm venerationis cauſſâ ſepulchrum Virginis ſibi aperiri juſſiſſet*, *apertis ſubitò oculis blandiſſimè intuita*, *Imperatorem quaſi ſalutaret*, *arriſit. Idem Carolus à Viris Sanctis teſtimonium de ſe audit*: *ſua opera DEO placere. S. Catharina ſpectabilis*, *cùm eum Piſis Gambacurtæ conjurati invaderent*, *pallio ſuo Carolum protegit*, *paucos Bohemos*, *& Moravos adjuvit*, *ut vincerent*; *Carolus coronam auream S. Wenceslao imponit in tumulo*; *ejuſdem ſacrum corpus arcâ ex puro auro claudit. Tria Sacella gemmea exſtruit Carolus. Univerſitatem Carolinam fundat*, *amat ſcientias. Bulla aurea Imperij firmamentum. Aulæ Proceres nobiliſſimi. colit maximè S. Wenceslaum*, *S. Nicolaum*, *S. Catharinam*; *ante omnes DEI Matrem. laborioſiſſimus Imperator. plurima agebat per ſeipſum. Orationis ſacræ ſtudioſus. Quotannis in ſolitudinem ſe recipit per multos dies. mirabile edit ſpecimen demiſſionis. curatur in morbo divinitus. omnibus Sacramentis munitus*, *& DEUM in morte invocans* Pragæ *An. 1378. 29. Novembris ætatis anno 62. & 6. menſibus*, *& diebus 13. exceſſit è vita*, *Imperij Romani* 31. M. 1. D. 20. ùt habet Ricciolius. Bohemici Regni ab occaſu Joannis Patris 32. M. 3. D. 26. ùt habet *Crugerius*. Corpus ejus initio hujus ſeculi incorruptum prorſus, & vividum repertum eſt, cùm corpora Regum in novum Mauſolæum, quod *Cæſar Rudolphus* elegantiſſimo opere excitaverat, conderentur.

Ecclesiæ Romanæ ſuſcepta defenſio

Fundationes Caroli.

Amator Reliquiarũ SS.

Tituli laudationis.

Videat Lector, quàm pauca multis complexus ſim! nimirum vitam *Caroli IV.* Libris aliquot adornatam expectamus, ad eam Lectores meos remitto

Digitized by Google

mitto. Ac nè tamen ſe deſertos querantur, appono ſermonem quem in funere tanti Cæſaris habuit *Joannes Archiepiſcopus Pragenſis*, Vir ſcientiâ, & opinione Sanctitatis illuſtris; unde nihil optabilius, vel ex cœlo, laudatiſſimo Principi eſſe potuiſſet, quàm virtutum ſuarum laudatiſſimum habere Præconem.

Sermo poſt Mortem Imperatoris Caroli IV. Regis Bohemiæ factus per Dominum Joannem ejus nominis primum Archi-Epiſcopum Pragenſem, Apoſtolicæ Sedis Legatum ſecundũ, poſtea S. Rom. Eccl. Cardinalem.

1378. 29. Novembris.

Juſtorum animæ in manu DEI ſunt. Scribuntur verba hæc Sapient: 3. Dico: *Juſtorum animæ*, ubi ut ſuprà. (*Illuſtriſſimi Principes ſeculares, Reverendiſſimi Patres Spirituales, ac univerſi Domini venerandi*) Non enim extat dubius vobis occaſus *Sereniſſ:* Principis Caroli IV. quondam Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Bohemiæ Regis Illuſtriſſimi ac invictiſſimi, Domini noſtri. Et ideo materiam gemitûs nunc duco in publicum. Quapropter *Jeremias* nos invitans ad lacrymas Thren. 2. cap. ſic inquit: *Deduc quaſi torrentem per diem & noctem, non des tibi requiem, neque taceat pupilla oculi tui.* Et ideò verba mea plena ſunt dolore, exitus aquarum deducant oculi mei, & torrentes affluant Lachrymarum, & plorabo! utinam in fletum totus effluam, & paſcatur Lachrymarum ſolatio dolor meus. Deducant oculi mei lachrymas, deficiat in dolore vita mea: quia vox Lamentationis audita eſt de Sion, decidit corona capitis mei, & in Luctum verſus eſt chorus noſter. Quia quod adversus Iſraël & regnum ejus multis ſeculorum curriculis Prophetæ comminando prædixerant, dies una & Lugubris, & infelix, dies caliginoſa, & omni nocte tenebroſior complevit. Et quid Threnos Jeremiæ revolvo? totus Jeremias non ſufficeret faciem miſeriæ præſentis depromere. O bone *JESU Chriſte*, ô benigne, ô amabilis, ô deſiderabilis, ô ſvavis, ô dulcis, ô amor DEUS, ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, quomodo oblitus es miſerationum tuarum antiquarum, quomodo verſus es nobis in crudelem! jam non Sanctificator aut Redemptor, ſed mortificator, atque peremptor effectus es! Hæc *Petrus Bleſenſis* in quadam Epiſtola planctûs de morte Chriſtianorum. Unde meditando mortem *Sereniſſimi* Principis ſupra dicti, *Laboravi in gemitu meo per ſingulas noctes, &c.* Pſal. 6. Unde & plangent eum univerſæ generationes orbis terrarum: de quo quidem planctu pleniùs Zachariæ 12. cap. ſic dicitur: *In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus Adremmon, in campo Mageddon. Et plangent eum*

Planctus excitatur ob Caroli Imp. obitum.

eum familiæ, & familiæ ſeorſum, familiæ domûs Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, familiæ domûs Levi ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Quod ad omnes nationes applicari poteſt, quæ cum meritò plangere debent. Ad quas quidem Lachrymas, *Euſebius* in quadam Epiſtola invitans Eccleſiam ad Lachrymas, ſic inquit: *Inclyti Chriſtianæ plebis flete, quoniam longè factus eſt ab ea auxiliator ejus, jam ad ſuam non reſpicit defenſionem, jam tribulatio proxima eſt, & non eſt, qui adjuvet, jam in ſepulchro jacet protector ſolitus! heu vaticinabuntur pſeudoprophetæ, & prophetabunt viſiones mendaces, & fraudulentas divinationes & ſeductiones ſui cordis in nobis, & certè non eſt qui reſiſtat in eis. Siccatus eſt enim fons vitæ, & vena diſparuit aquarum viventium: ſicut jam veriſimiliùs apparet in ſchiſmate noviter exorto, qualiter mors ſua univerſali Eccleſiæ fuit valdè nociva.* Hæc ille. Et idcirco clama in cilicio & planctu, pia Mater! induere, induere veſtimentis viduitatis, tanto viduata filio, & *ſubſequenter.* Plora igitur, deducant oculi tui lachrymas per diem & noctem, quoniam defecit anchora tuæ ſpei. Et dicat ſubſequenter per ratiocinationem talem colorem, tanquam cum DEO arguendo: Cur *bone Jeſu* tam velociter à tua ſponſa, quam in cruce moriens deſponsâſti, tantum abſtuliſti filium protectorem, & contra hujus hoſtes belligerum? fortè voluiſti eum tecum; certè Domine non eo egebas, ut ipſa. bene ei quidem ſubveniſti, ſed nos orphanos reliquiſti. Non conqueror aliud, quàm quòd juſtum & æquum feceris, & certè ipſe merebatur finem imponere hujus mundi laboribus, & tecum eſſe; Sed doleo, quod tantum incurrit damnum eo abeunte Eccleſia; utinam eum redderes, ut tuum regeret ſtabulum, & defenderet Eccleſiam, velut priùs. Idem Euſebius: Et tu Natura quid feciſti? quare Principem noſtrum abſtuliſti? utinam ſpiritum vitalem in corpus redderes! Quapropter Architrenius Lib. 8. in oratione ad Naturam ſic inquit:

Joannes Hantvillenſis. Vide Bibliothecam Simleri.

Hoc nihil, imò minùs noſtros DEA reſpice fletus,
Fonticulos, ſtagna Lachrymæ, mœroris abyſſos
Extenues, & plena malis vinaria ſicces.
Torqueor, & planctus animi tormenta fatetur
Garrulus, & morbi latebras ſuſpiria clamant.
Nec Lachrymâ fraudor, veris à nubibus imber
Solvitur, & nimbos oculi pluit intima nubes.
Ducitur ex animo luctus, certiſſima flenti
Cauſa ſubeſt, & vera movent adverſa querelas.
Nam tot inexhauſtis, animâ langvente procellis
Concutior, totúſque dolor circumfluus omni
Veſte, &c.

Et ideo cibaſti nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in men-

Conſolationis argumenta. menſura. Sed eſt aliquid, in quo mens amarata, & oculi fatigati, alicujus conſolationis foverentur aliquando adjutorio: nam præter duos homines, videlicet *Enoch & Helias*, omnes homines neceſſariò oportet mori. Et ideo mors vitari non poteſt: unde Sapient: 8. cap. ſic ſcribitur: *Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Seneca de remedijs Fortunatorum cap. 2. contra pavorem mortis ſic dicit: *morieris nec primus, nec ultimus, multi te anteceſſerunt, omnes te ſequentur.* Eſt & aliud, quo ſpiritus noſter alicujus recreationis antidoto reſpirat. Non enim *Sereniſſimus Princeps* noſter deceſſit, ſed receſſit, abijt, non obijt. Mors enim per quam mirificavit Dominus Sanctum ſuum, non eſt dormitio, portus mortis, & porta vitæ, introitus in delicias cœleſtes pariter, proùt ait Petrus Bleſenſis in quadam Epiſtola.

Mors Bonorum. Unde Canticorum 6. dicitur Eccleſiæ: *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcra mulierum, quò dilectus declinavit, & quærimus eum?* Vox Eccleſiæ: *Dilectus meus candidus, ſpecioſus, electus ex millibus, in quo nulla eſt macula, paſcitur inter lilia, in vinea Domini Zebaoth.* Ecce flos campi, & roſa nimio fragrans odore, de horto nuper Eccleſiæ in viridarium Domini eſt tranſplantatus, ecce cypreſſus in cœli altitudine ſe extulit, ad inſulas enim longè divulgetur nomen ſuum, ut ſit in æternum nomen ſuum in benedictione. Certè non eſt mortuus, ut æſtimant ſui hoſtes, ſed certè regnat Victor in terra viventium. Et Sapient. 4. cap. ſic de eo dicitur; *Placens DEO factus dilectus, & vivens inter peccatores, translatus eſt; raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum illius, aut nè fictio deciperet animum ipſius. Conſummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat DEO anima illius, vocatus eſt in Cœlum, quo mundus non erat dignus, nec ob hoc extincta eſt Lucerna ejus.* Et cur iſta tam audacter loquar, attendite, & videte opera quæ fecit, de quibus longum eſſet perſtringere, pauca tamen dicere convenit.

Teſtimonia de Vita & Virtutibus Imp. Caro: Teſtis eſt totus mundus, qualem vitam duxerit ab ævo juvenili uſquè decrepitum ſenectutis ſuæ & mortis (ſcripta enim ſunt per plurimos codices) adhuc Principum & Baronum eſt copia teſtantium, quæ DEO præbuit beneficia, & ideo explanatione verborum non indigent opera ejus. Ideo merito Threnorum 4. c. de eo dicitur: *Propterea mœſtum eſt cor noſtrum, ideo conturbati ſunt oculi noſtri propter montem Sion quia diſparuit.* In veritate enim mons *Sion* dicitur, quia

Virtutes Theologicæ. perfectiſſimè tres *Theologicas ſpecies* in ſe habebat quæ monti *Sion* applicatur. Unde Pſal: 144. ſic dicitur: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Ipſe fidem firmiſſimè tenebat, & ſciebat; Hæreticos ſæpiſſimè confutabat, verus defenſor fidei & Eccleſiæ exiſtens. Et quia *Trinitatis fidem* confeſſus eſt, ideò ad beatiſſimam gratiam pervenit: *ſcivit* enim, *quia juſtus ex fide vivit.* Abacuc 2. Capite. Quia *Sancti per*

Octo Beatitudines. *fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, &c.* ad Hebreor. 11. cap. Unde *octo Beatitudines* in ſe habuit, quæ ſcribuntur Matthæi 5. cap. ut *fidelis* dicere-

cerctur. Primò enim erat *pauper ſpiritu*, quamvis fuerit Imperator. Nam in veſtibus, in Lectiſternijs, in cibis & potibus, ſemper formam pauperum, quantum in eo erat, exprimebat, & ideo omnem arrogantiam per hoc repellebat, & compatiebatur pauperibus. Quia *beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, Pſal. 40. Ipſe fuit *mitis*, ideò *poſſidet terram* in tranquillitate: unde multas adverſitates paſſus, & injurias, & damna, miti modo tranſibat. Unde: *Beati mites, quia ipſi poſſidebunt terram.* Tertiò, ipſe etiam fuit *Lugens.* Nam mortem alicujus ſui lugebat, & etiam excidia Chriſtianorum multoties ex devotione; quod utique ipſe debet eſſe conſolatus: quia *qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent*, Pſal. 135. Quartò ipſe etiam *eſurivit, & ſitivit juſtitiam.* Nam tanta juſtitia erat vitæ ſuæ tempore in mundo, quòd totus mundus in æquitate & pace vigebat, & ideo jam in cœlis ſaturatus eâ exiſtit. Quintò etiam ipſe erat *miſericors*, quia oppreſſis compatiebatur, & ubi potuit, ſemper miſericordiam faciebat. Unde bene dicere potuit: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, Pſalmo 100. Et ideo nunc miſericordiam in cœlis conſecutus eſt. Sextò. etiam fuit ipſe *mundo corde.* Nam non poterat audire mala, quæ homines faciebant, ſemper confitebatur, communicabat, juſtitiam exhibebat, vel ſacris Lectionibus inſiſtebat, & ideò in Cœlis DEUM nunc videre meruit. Septimò, ipſe etiam *perſecutionem* magnam *paſſus eſt propter juſtitiam.* Nam Reges & Principes invidebant ſibi, & ideo eſt ejus *Regnum Cælorum.* Et ideò de eo dicitur, ut ſuprà Matthæi 5. cap. *Gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et quia fidem firmiter tenuit, & fidelis creatori ſuo fuit, ideo ſibi dicitur Matth. 5. cap. *Euge ſerve bone & fidelis, &c.* Octavò. ipſe etiam habuit firmam ſpem, habens illud in mente: *Quis ſperavit in Domino, & derelictus eſt?* Eccl. 2. cap. Unde ſpes ſibi tanta erat de DEO, quòd per firmam ſpem inimicos devincebat, & aliqua deſperata negocia, & quaſi impoſſibilia ad finem bonum deducebat. Ideò *ſperavit in Domino, eripiet eum, ſalvum faciet eum, quoniam vult eum.* Pſal. 21. Et ideo quæcunque petebat DEUM, ſpem ſemper habebat, quòd eum DEUS exaudiret, habens illud dictum Evangelij: *Quæcunque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & fient vobis.* Johan. 16. cap. Unde in ſpem vitæ æternæ *ſeptem opera miſericordiæ* in ſe habebat. Primò. *nudos operiebat*, tenens illud dictum *Cùm videris nudum, operi eum.* Eſa. 58. *Secundò.* potum tribuebat pauperibus. Unde audivi à quibusdam Baronibus, qui adhuc vivunt, quòd ſemel in quodam horto cœnabat, & ex caſu leproſi ad menſam venerunt, quos fecit collocari in alia menſa prope ſe, & cibavit eos, & de cuppa ſua, de qua bibebat, dedit eis bibere, & iterum reſiduum ab eis epotat, quamvìs ab omnibus prohibitus extitiſſet, commemorans Evangelium: *qui dederit uni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ, aptus eſt Regno Cœlorum.* Marci 9. cap. Tertiò paſce-

Margin notes: I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. Septem Opera Miſericordiæ. I. II. Exemplum miſericordiæ erga Pauperes.

Digitized by Google

paſcebat eſurientes, tenens illud dictum: *Frange eſurienti panem tuum.* Eſa-
IV. iæ 58. Quartò. *collegit* eos hoſpitio, unde *hoſpitalia multa* fecit, ad paupe-
res hoſpitandos, tenens illud: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Matth: 25.
V. Quintò. infirmos libentiſſimè *viſitabat*, & eis compatiebatur, dicens: *Do-*
VI. *minus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus.* Sextò. *incarceratos* & invin-
culatos, vel morti deputatos, ſæpius *liberabat*, tenens illud dictum Sapientis:
VII. *Eripe eum, qui ducitur ad mortem.* Proverb. 12. cap. Septimò. *Sepeliebat*
mortuos, unde non permittebat eos diu jacere ubi ſciebat, ſed ſepelire manda-
bat, velut fidelis Tobias. Sic enim faciebat in omnibus operibus, pauperi-
bus dicens ſicut Tobias: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ſic enim*
fiet, ut nec avertatnr facies Domini à te. Tobiæ 4. Etiam ipſe in ſe habuit
charitatem. Nam omnia quæ faciebat, in vera charitate faciebat, cavens ſe ab
illo dicto Evangelij: *Etiamſi montes transferam, charitatem autem non habe-*
am, nihil feciſſe videor. 1. Cor. 13. cap. Et quia *ſeptem dona Spiritûs Sancti*

Septẽ dona Spiritûs S.

charitati attribuuntur; id eſt *Spiritui Sancto*, meritò ergo habuit in ſe *ſeptem*
I. dona Spiritus Sancti. Primò ipſe habuit *ſpiritum Sapientiæ*: ipſe enim fuit
ſapientior Salomone, quod probari poteſt indicijs & argumentis multis. Pri-

Carolus IV. omnes Lib: Salomonis perfectiſſimè ſcivit.

mò illud quod ſcivit Salomon, hoc perfectiſſimè ſcivit *Sereniſſimus Princeps*
noſter, videlicet Libros ſuos. *Salomon* autem ignoravit, quæ iſte ſcivit: er-
go probatur, quod ille plus ſcivit quam *Salomon.* Ille fuit *Rex*: iſte Impera-
tor: Ille præfuit *populo Iſraëlitico*, iſte præfuit Univerſo hujus mundi, nec ſo-
lum Eccleſię Iſraëlis, verùm etiam gentium & univerſorum, & confinia mun-

Comparatio Car: IV. cũ Salomn:

di diſtingvebat. Ille Sapientiâ bellabat: iſte ſapientiâ ſine bellis pacem fir-
mabat. Ille templum ædificabat, iſte templum DEI auro, fulvo, gemmíſ-
que & lapidibus pretioſis pretioſis perornabat. Ille in fine à Domino receſſit;
Iſte ſemper cum Domino in fine reſudavit, meditans quod ille, *qui perſeve-*
raverit in finem, hic ſalvus erit, Matt: 10. cap. Nec ſapiens ideo dicitur fuiſſe
Salomon, quia in fine inſipiens & damnationi æternæ ſe tribuit, prout opinio
major tenet, ſed *inſipiens* ideo meritò nominatur, ita quòd in veritate *Sereniſ-*
ſimus Princeps noſter Sapientiam immediatè præ participibus ſuis à Domino
habuit: nam *magnum eum fecit in Iſraël, & victoriam illi dedit Dominus Om-*
nipotens. Immortalis eſt enim memoria illius, quia apud DEUM nota eſt &
II. *apud homines.* Sap. 4. cap. Secundò. ipſe habuit in ſe *Spiritum intellectûs.*

Car. IV. lingvarum totius Europę peritus.

Unde ipſe intellexit ferè omnia idiomata totius Chriſtianitatis. Optimè iſtas
Lingvas ſcivit, videlicet *Bohemicam*, quæ eſt naturalis, *Teutonicam*, *Lati-*
nam, *Francigenam*, *Lombardicam*, *Thuſcanicam*, & quàm plures particulares

Qui multis lingvis loquitur, eſt quodamodo Apoſtolus.

lingvas, & ab his deſcendentes perfectè ſcivit ac intellexit. Unde verus fuit
Chriſti Apoſtolus, quia *in omnem terram exivit ſonus ejus*, & talis debuit uni-
verſo orbi præeſſe, qui diſpartitis lingvis loqueretur ſapientiam, & cuilibet
reſponderet in Lingvâ ſuâ, in qua natus eſt. Acto: 2. cap. Tertiò. ipſe ha-

b

Digitized by Google

buit *Spiritum conſilij*. Nam quamvìs ſapientiſſimus eſſet, tamen conſilio utebatur, habens illud dictum: *Nè innitaris prudentiæ tuæ*, quod transſumtivè ponitur 3. cap. *Nè innitaris*; de Conſtitutionibus. Quartò, ipſe IV.
habuit *Spiritum fortitudinis*. Nam Spiritus Sanctus in omnibus ipſius adverſitatibus confortabat eum, dicens: *Confortare, & eſto robuſtus*, Dev. 31. c. Cui idem *Sereniſſimus Dominus noſter* reſpondebat, *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*. Pſal. 117. Quintò, ipſe habuit V.
Spiritum ſcientiæ. Nam ut bene notum eſt, ita doctus fuit, quòd ſciens & *Magiſter in Theologia* putaretur. Nam Pſalterium in aliquibus locis pulcherrimè expoſuit, ſimiliter, & *Evangelia* & Orationes, & alia Magiſtralia. Similiter *componebat* ſæpius, cum Magiſtris, Doctoribus & alijs ſcientificis conferebat diſputando. Quapropter *Studium Pragenſe* fecit, & quàm plura Collegia. Unde de eo dictum eſt: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor Firmamenti*, Daniel. 12. cap. Sextò, ipſe habuit *Spiritum pietatis*. VI.
Nam ipſe *compatiebatur pauperibus*, infirmis & mortuis, pupillis & viduis, & omnibus oppreſſis, humilis, manſvetus, & pius præ omnibus hujus mundi Principibus: ſcivit enim, quòd *qui ſe humiliat exaltabitur*. Luc. 18. c. Septimò, & ultimo, repletus etiam erat *Spiritu timoris Domini*. Nam præ oculis DEUM habuit, ut nihil ageret, quàm ſibi placitum, reputans illud dictum: *Principium Sapientiæ, timor Domini*. Sapient. 1. Præterea in facie ſua *quatuor virtutes cardinales* refulgebant. Unde Seneca Lib. 31. in quadam Epiſtola ſic ait: *Si animum nobis boni viri liceret inſpicere, ô quàm pulchram faciem, quàm Sanctam ex magnifico, placidóque fulgentem videremus, hinc juſtitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ, prudentiâque lucentibus!* Et ideo commendandus ex iſtis quatuor virtutibus Cardinalibus. Primò, de *Juſtitia*, Nam ita juſtiſſimus apparuit, quòd ipſe *viduam & advenam ſuſcepit, & vias peccatorum diſperdidit*. Pſal: 136. Habuit etiam ſimul *Juſtitiam & Miſericordiam*: quia, quibus miſericordia fieri debebat, ſemper faciebat. Ubi autem raptores & fures, vel malefactores invênit, eos à facie terræ delevit, habens illud Pſalmiſtæ: *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*. Pſal. 86. Et illud dictum *Senecæ*, in quadam Epiſtola ſua ſic interrogantis & reſpondentis ſimiliter: *Quid ergo occidit hominem? quia occidit: ille meruit, ut hoc pateretur*. Unde Anſelmus in Lib: Cur DEUS Homo: *Juſtitia eſt animi libertas, tribuens unicuique ſecundùm propriam dignitatem, reverentiam, pari concordiam, DEO obedientiam, ſibi Sanctimoniam, egeno operoſam miſericordiam, inimico patientiam*. Hæc omnia præfatus *Dominus noſter* faciebat: reddidit enim unicuique ſecundùm propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, DEO obedientiam, ſibi Sanctimoniam, egeno operoſam miſericordiam, inimico patientiam. Hæc omnia præfatus *Dominus noſter* faciebat: reddidit enim unicuique ſecundùm opera

[Margin notes: VII. — Theologica Caro: IV ſcientia. — al: communicabat. Freh. commētabatur. — Quatuor Virtutes Cardinales — I. Juſtitia. — Vide exempla in Vita Caroli.]

II. Fortitudo. opera ſua. Secundò, in eo refulſit *fortitudo.* Inclytus enim fuit & invincibilis, unde *fortitudo & decor indumentum ejus* fuit, Proverb 31. Unde *Hieronymus* ſuper Joannem ſic ait: *Fortitudo eſt immobilis inter adverſa glorioſa animi claritudo, res arduas pulchre adminiſtrans, quæ nec adverſis infeſtando frangitur, nec proſperis blandiendo elevatur.* Sciebat enim quòd fortitudo ſimplicis, via Domini, & *pavor his qui operantur malum.* Sapient: 10. cap. A
III. Temperantia. nullis enim hoſtibus vinci poterat, ſed fortis in animo perſeverabat. Tertiò, ipſe fulgebat temperantiâ: temperabat enim juſtitiam miſericordiâ, & è contra. Et in omnibus plenum obtinuit moderamen: erat enim ſtatera & Libra juſtitiæ, in cujus conſpectu non erat acceptio perſonarum. Unde *Gregorius* ſuper Ezechielem extrema parte ſuper illud: *Scio abundare & penuriam pati*, ſic ait: *Qui enim ſecundis rebus non extollitur, qui eas ad uſum vanæ gloriæ non extorquet, qui ſolus non poſſidet, quod accipit, ſed hoc indigentibus miſericorditer elargitur aliiſque dividit, ſcit abundare: qui acceptis alimentis non ad gurgitationem ventris utitur, ſed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quàm neceſſitas petit, ſcit ſatiari: qui alimentorum inopiam ſine murmuratione tolerat, ſcit eſuriem. Quem ergo nec in abundantia ſuperbia elevat, nec in neceſſitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati.* Hæc ille. *Sereniſſimus* enim *Dominus noſter* per omnia taliter fuit tempera-
IV. Prudentia. tus. Quartò, in eo refulſit *Prudentia*: ipſe enim fuit prudens, quòd circa futura pericula ita providebat cautè, nè mala evenirent, ſicut *ſervus prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram*, Lucæ 12. cap. Unde faciebat ſecundùm dictum *Senecæ* de quatuor virtutibus Cardinalibus: *Si prudens eſſe cupis, in futura proſpectum intende, & quæ poſſunt contingere, animo tuo cuncta præpone. Nihil tibi ſubitum ſit, ſed totum antè proſpicias: nam qui prudens eſt non dicit: Non putavi hoc fieri; quia non dubitat, ſed expectat; non ſuſpicatur, ſed cavet.* Idem faciebat *Sereniſſimus Princeps noſter.* Nam à juvenili ætate deliberabat, quid in ſenectute faceret, ſicut ibidem conſequenter ait Seneca: *Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur; præſentia ordina: futura prævide: præterita recordare. Nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit, qui nil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* Unde, ſicut pauca perſtrinximus, quantas virtutes habuit? quanta magnalia fecit in Iſraël? *Et victoriam dedit illi Dominus DEUS Omnipotens*, Luc. 10. Nam propter ejus bona opera, *immortalis eſt memoria illius, quoniam & apud DEUM nota eſt, & apud homines*, Sap. 4. Unde *Simonides Philoſophus* cùm interrogaretur, quid apud homines celerrimè conſeneſceret? reſpondit, *Beneficium.* Nam *cujus donum vel munus frequentiùs aſpicitur, hujus memoria ſtrictiùs retinetur*, ut in Clementina una, de reliquijs & veneratione Sanctorum. Tanta enim operatus eſt in hoc ſæculo beneficia, quòd memoria ejus permanet in ſæculum

lum

lum ſeculi. Et ideo in memoriam ejus tale Epitaphium tumulo ejus inſcribitur. Anno Mill: Trecent: LXX. VIII. tertiâ Kal. Decembris.

Numerus & verſus vitio librarij ſibi non cōſtāt. vide vitam Caroli.

Quartus ego Carolus magni quondam tremor orbis,
Cæſar & invictus, modò victus morte, ſub iſta
Foſſa tegor, DEUS alme precor, mens aſtra ſubintret!
Spiritus ô cuncti, pro me pia ſolvite vota,
Quos moriens liqui, quos vivens opere fovi.
Et ſic anima ejus requieſcat in ſancta pace.

Beatū & S. dici poſſe Carolū IV. probat.

Et non miremini *Reverendiſſimi Patres*, quòd *Beatum & Sanctum* eum nominaverim, cùm in veritate *Beatus* vel *Sanctus* reputari debeat, quod probatur ſeptem rationibus. Primò enim unctus fuit *Oleo Sancto* ad modum Regum. Unde Pſalm. 102. *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto unxi eum.* Oleo enim Sancto, niſi Sancta inungi debent. Secundò. propter ejus ſublimitatem dignitatis. Nam Præfectus fuit *Sacro Romano Imperio*, cui nullus præfici debeat, niſi ſacris virtutibus & magnitudine pollens, ſicut hic. Nam *quis illum Sanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis extollit?* 40. Diſt. c. Non vos. Tertiò. ipſe fuit in omnibus *Sanctus* negotijs: ubi enim cunque ſciebat Sanctuaria & corpora Sanctorum, acquirebat, & auro fulvo, gemmisque pretioſis obducebat, & toto corde diligebat, ſicut alter *Conſtantinus*. Nam etiam ſicut alter *Conſtantinus*, *Papam* per Romam duxit, videlicet *Papam Urbanum V. Et Patrimonium Eccleſiæ Romanæ* confirmavit. Quartò. propter multa miracula, quæ mediante DEO habuit in ſomnijs & vigilijs in juvenili ætate & ſenili, futura prædicendo, viſiones plurimas videndo, dæmonia effugando, quæ nullus faceret, niſi *Sanctitate* polleret, prout teſtimonio plurimorum patet, & in Libro ſuo de geſtis conſcripto. *Fecit enim mirabilia in vita ſua*, Eccleſiaſt: 31. Quintò. fortiſſimè plorabat, cum Corpus Dominicum ſumebat, alta ex devotione adducens, quia: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Sextò. quia tantis virtutibus abundabat, quas nec aliquis valeret enarrare: nam *horas ſuas Canonicas*, ſicut unus Sacerdos, dicebat: Divinum Officium libenter audiebat, & etiam augmentabat. Septimò & ultimò breviter tranſeundo, ipſe habuit in ſe *ſeptem Sacramenta Eccleſiæ*. Primò *Ordinem*: ipſe enim fuit ordinatus *Acoluthus*, & etiam *Rex & Imperator inunctus*. Secundò, *Conjugium* ita purè tenebat, & firmiter, quòd nemo eum convincere poterat. Tertiò. *baptizatus* etiam fuit per Epiſcopum ut quisq; fidelis. Quartò. fuit *confirmatus* in fide Catholica. Quintò *Euchariſtiam ſacram* multoties in animo ſumſit. Sextò. *Extremam Unctionem* bene quater ſumſerat. Septimò & ultimò, *confitebatur* ſemper, cùm ſe aliquo peccato credebat gravatum. Ideò enim *ſeptem Sacramenta* dicuntur, quę ſolùm fidelibus & Sanctis tribuuntur, ut Regno cœleſti participes efficiantur. Unde *Sancta Mater Eccleſia* quæ Chriſtum Dominum perdidit

VII. modi cur S. ſit Carolus. I. II. III. Amor Reliquiarū SS. in Car: IV. admirabilis. Car: IV. alter Conſtātinus. IV. Futurorum præſcius. Dæmones fugat. V. VI. VII. Septem Sacramenta.

de hoc ſeculo, quid retribuet ſibi pro tantis beneficijs, quæ ei in hoc mundo oſtendit? Non reſtat aliud, quàm quod *beatum faciat eum in terra*, id eſt, utíque in hoc mundo eum *canonizare* deberet, quia utíque in Cœlo *Sanctus* exiſtit. Nam *Sancta Mater Eccleſia*, *& Rector ejus* Sanctæ Matris Eccleſiæ ſi portenta cupis ſeu miracula, hæc fecit. Si vitam & virtutes rimabere, ecce certiſſimè in eo invenies devotionis magna inſignia. Si jure procedas, & capitulum *dilecti, de teſtibus*, ejúſque materiam videris perlucidè, apparebit teſtimonium prædeceſſorum noſtrorum Cardinalium, Epiſcoporum, Prælatorum, Regum, Principum, & Magnatum vivens teſtimonium, quæ ſigna & portenta, quanta vita & ſanctitas, qualéſque virtutes in eo illuxerunt: ut *Juris* tramite procedendo, utique & meritò beatum faciat eum in terra, ut mercedem laborum ſuorum accipiat: quia dignus eſt mercenarius mercede ſua. Pro defenſione quoque *Sanctæ Matris Eccleſiæ* alius veniat, qui Eccleſiam DEI ſimilibus donis & virtutibus, DEI adjutorio, foveat. Quod & factum eſt, quia licèt Pater mortuus ſit illius, *Sereniſſimus Princeps noſter Carolus, DEI gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex illuſtris*, attamen eſt quaſi non eſſet mortuus: ſimilem enim reliquit poſt ſe, quem in vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & *amicis reddentem gratiam.* Eccl. 3. hæc habentur. Unde *reſpiciat Dominus in faciem teſtamenti ſui*, & non det in confuſionem vineam ſuam, quam plantavit dextera ejus, Eccleſiam, quam acquiſivit in ſangvine ſuo. Suſcitet Spiritum Moyſi, erigat cornu illius unicornis noſtri, *Wenceslai Regis Romanorum & Bohemiæ Sereniſſimi*, unicè ſummi, ſingulariter generalis, quatenus arripiant judicium manus ejus, & cornu ſuo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra Idola Ægypti, contra pingves Samariæ, contra Sacerdotes Baal, contra paſtores paſcentes ſeipſos, contra judices, qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non valentes latrare, contra amphoram *Zachariæ*, contra vaſa paſtoris ſtulti, contra ambitionem *Simonis Magi*, contra tyrannidem ſęculi, & abuſionem clauſtri, contra prævaricantes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperum, contra turbatores Eccleſiaſticæ pacis, & fidei ſubverſores. Hæc Petrus Blemenſis in quadam Epiſtola ſua. Et tu *DEUS judicium tuum regi da, & juſtitiam filio Regis*, id eſt filio Sereniſſimo quondam *Caroli, Romanorum Regi*, auge ſibi virtutes. Nam cum Elias Reg. 4. cap. dixit ad Eliſæum: *Poſtula quid vis, ut faciam tibi, antequam tollor à te*, id eſt, Sereniſſimus quondam Dominus noſter, Imperator, dixit ad filium ſuum: Dixítque Eliſæus, id eſt Sereniſſimus Romanorum Rex filius ſuus: *Obſecro, ut fiat duplex Spiritus in me. Qui reſpondit, rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi me videris, quando tollar à te*, id eſt, ſi feceris opera mea, & bene feceris, ſubſequenter *erit, quod* peti-

Probat Carolo IV. Apotheoſin deberi.

Wenceslaus Rex filius & ſucceſſor

Votum Optimi Præſulis Joannis.

Digitized by Google

petiſti. Si autem non videris me, id eſt, non feceris ſecundùm opera mea, *non erit. Cúmque pergerent, & ſermocinarentur incedentes, ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum*, id eſt, Pater ejus, Sereniſſimus Dominus noſter Imperator, ſæpius nominatus Eliſæus, id eſt, ſereniſſimus Dominus noſter Rex Wenceslaus videbat & clamabat: *Pater mi, pater mi! currus igneus & auriga ejus, & non vidit eum ampliùs*, id eſt, quia mortuus fuit: *apprehendítque veſtimenta ſua, & ſcidit ea in duas partes. Reverſúsque ſtetit ſuper ripam Jordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ, & dixit, ubi eſt DEUS Eliæ*, quaſi diceret: tamen eundem DEUM credo ut Elias, & tamen aquæ non dividuntur. Nunc percuſſit aquas, & diviſerunt ſe huc atque illuc, & tranſit Eliſæus: videlicet per bona opera, prout Pater ſuus antè tranſierat. Unde omnipotens adjiciat ſibi virtutes, & augmentet, ut in locum illius beati aurigæ ſuſceptus, verus Eliſæus, duplicato beato ſpiritu, pallio virtutis & bonę operationis accepto, univerſum orbem in Virga ferrea conſtringat, Librâque juſtitiæ Reges & Principes, univerſáque climata orbis feliciter dirigat. Nam ſibi dictum eſt: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & Regna, ut evellas & diſſipes, ædifices & plantes.* Jeremiæ 1. cap. & transſumptivè 3. cap. *ſolita.* De *major. & obed.* Unde de ſe ipſo dicere poteſt: *Juvenis & acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentium amabilis ero, & facies Principum mirabuntur me, tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent, diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubjectæ.* Sapient: 8. cap. Quia Dominus judicabit Orbem terræ, & dabit Imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui, ut per vitam & operationes bonas in fine talentum Domino duplicatum reportet. Luc. 12. Ut Paternis veſtigijs inſecutus, valeat in fine ad Regnum provehi ſempiternum, quod ſolùm juſtis ab initio præparatum eſt, ut ſint in virtute & potentia manus Domini, quia *Juſtorum animæ in manu DEI ſunt.*

Hæc ad ſuc ceſſorē Caroli Wenceslaum ſpectant.

Quæ verba fuerunt veſtræ pietati propoſita, in quibus verbis tria breviter colligi poſſunt. Primò, exordij electorum narratio, cùm dicitur: *Juſtorum animæ.* Secundò, divinæ poteſtatis retentio, cum dicitur *in manu.* Tertiò, in DEO æterna conſummatio, cum dicitur *DEI ſunt.* Dico primum probantur beatarum animarum in DEO virtuoſa opera, cùm dicitur: *Juſtorum animæ.* Secundò divinę Majeſtatis grata earum apprehenſio, cum dicitur: *In manu.* Tertiò ſemper in gaudijs cum DEO ſine fine manſio, cum dicitur: *DEI ſunt.* Ad Primum cùm dicitur: beatarum animarum in DEO virtuoſa operatio, videlicet cum dicitur: *Juſtorum animæ*, inde ſciendum eſt primò, quia *homo eſt* compoſitus ex corpore & anima, *de ſumma Trinitate & fide Catholica. cap.* 1. nam eâdem viâ quâ conjunguntur, eadem & in fine disjunguntur. Cùm conjunguntur, tunc anima infundendo creatur & creando

Redit ad Thema cōcionis propoſitum.

do inſunditur, prout dicit *Ariſtoteles Libro de Anima.* Cùm diſſolvuntur, tunc unumquodque ad naturam ſuam primam revertitur, corpus terræ tribuitur, de qua ſumptum eſt. Unde Gen: 3. cap: dicitur: *Donec revertaris in terram, de qua ſumtus es.* Anima etiam redit ad ſuum principale, quia *Spiritus redijt ad Dominum, qui fecit illum.* Eccl. ult. cap. Utrumque in fine reſurrectionis ſimul jungetur. Unde Job 19. cap. *Et in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum.* Unde Magiſter Sentent: lib. 2. cap. 6. Quare homo ſit ita inſtitutus, ut anima ſit unita corpori, ſic dicit: *Sic ergo Deus condidit rationales ſpiritus variâ ſorte, pro arbitrio voluntatis ſuæ diſponere illis, quos in ſua puritate reliquerat, ſurſum in cœlo manſionem. Illis verò, quos corporibus terrenis ſociaverat, deorſum in terrâ habitationem conſtituit; utrisque gloriam proponens obedientiæ, quatenus & illi ab eo, ubi erant, non caderent, & iſti ab eo ubi erant, ad id, ubi non erant, aſcenderent.* Et hoc de animabus juſtorum. Unde ſciendum, quòd multis modis animæ juſtorum appellantur: aliqui *Virginali pudicitiâ* inſigniti, ut Chorus Virginum: Alij *Martyrio* diverſimode cruciati, ut Martyrum patet paſſio: Alij *Confeſſores* Domino famulando, ut quàm plures Epiſcopi, Monachi: Alij in *viduitate* & alias continentes: Alij in conjugio caſtè viventes: Alij in *eremo* pro Chriſto divagantes, multiplâque vitâ in hoc mundo ferventes, Domino ſervientes, meruerunt habere præmia ſempiterna: quia *juſti in perpetuum vivent, & apud DEUM eſt merces eorum.* Sap. 5. Quod ſi locus & tempus eſſet, de quolibet aliquid præfatus Dominus noſter habuiſſet, & quia in vita ſua multa paſſus eſt, & ideo non ſufficiens his, etiam æterna videre voluit, inquiens: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Dixi ſecundò, divinæ Majeſtatis grata earum apprehenſio, cùm dicitur: *in manu Domini.* Quare ſciendum, quod *manus Domini* multipliciter agit. Nam juſtus & injuſtus manu Domini tanguntur, & tamen diverſimodè tanguntur. Injuſti autem manu Domini tanguntur, ut moriantur. Unde Pſal: *Manus tua Domine, percuſſit inimicum:* Et alibi: *Evaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea.* Quare injuſti dejiciuntur, interficiuntur, percutiuntur manu Domini. Secundò, Juſtus etiam multipliciter tangitur. Primò. *ad correctionem & ad probationem.* Secundò. *per gratiæ DEI largitionem.* Tertiò. *ad coronæ æternæ ſumtionem,* & beatitudinis largitionem. Primò, tangit ad *correctionem & probationem.* Ad correctionem, ut *Mariam, ſororem Moyſi,* Num. 12. cap. quam demum ſanavit, & Paulum, vas Electionis. *Ad probationem,* ut de Job fideli factum eſt, de quo dictum eſt Job 2. cap: *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, niſi in faciem benedixerit tibi.* Secundò. *per gratiæ DEI largitionem,* prout Jerem. 1. cap. *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit*

Animæ Juſtorum diverſæ.

Manus Domini diverſimodè tangens.

Digitized by Google

dixit mihi: Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c. Quia enim tetigit, ecce gratia, cum quo loqui eum didicit per miraculi oſtenſionem. Unde tetigit mortuos, ut Lazarum & infirmos, & ſanati ſunt. Tetigit leproſos & mundati ſunt. Unde *Leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum JESUS dixit: Volo, mundare, & confeſtim mundatus eſt à Lepra ejus.* Tertiò. *ad coronæ æternæ ſumtionem*, & miraculi oſtenſionem, cùm dicitur: *Trahe me poſt te, curremus in odorem ungventorum tuorum.* Cant. 1. Manibus etiam quis trahitur, ut coronæ æternæ particeps efficiatur. De *beatitudinis largitione* dicitur: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Unde quos *manus Domini tetigit*, non niſì ad coronationis gratiam, & ad vitæ æternæ præmium habendum tetigit. Quapropter *Sereniſſimus Dominus noſter* quondam Imperator, manu Domini tactus eſt, ut juſtus ad correctionem & probationem. Secundò. per gratiæ DEI largitionem & miraculi oſtenſionem. Tertiò, & in fine ad coronæ æternæ ſumtionem & beatitudinis largitionem. Quare de ſe ipſo dicit: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmaverunt me totum.* Job 15. *Et jam manus tua, Domine, tetigit me*, videlicet ad mortem carnalem, ut eodem capitulo: quia ad te vado. Ideo *in manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum, & hoc dicens exſpiravit.* Lucæ 23. Dixi ad tertium, ubi dicitur, ſempiterni gaudij cum DEO ſine fine manſio, cùm dicitur: *DEI ſunt.* Unde dupliciter hoc fieri poteſt. Primò, ut ſint *juſti.* Secundò, ut ubi Deus inhabitat, ibi & inhabitent. Ad primum ut ſint *juſti:* Unde notandum, quòd multipliciter juſti nominantur. Unde *juſti* aliquando nominantur *ſervi.* Unde Eſa: 41. *Servus meus es tu, quoniam ego elegi te.* Aliquando vocat eos *Patrem, matrem, ſororem, fratrem.* Unde: *quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ille meus Pater, mater, & ſoror, & frater eſt.* Matth. 12. Aliquando eos vocat *amicos.* Unde: *jam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos.* Joan: 15. Aliquando eos vocat *parvulos.* Unde: *niſì efficiamini ſicut parvulus iſte.* Matth. 18. Aliquando eos vocat *filios.* Unde ad Hebr. 1. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Secundò, ut ubi DEUS inhabitat, & illi inhabitent. Unde *habitaculum* illud multipliciter dicitur, uno modo dicitur *cœlum.* Unde: *Cœlum ſedes mea.* Eſaiæ 46. aliter *tabernaculum.* Unde Apocal. ult. c. *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus.* Item dicitur *Jeruſalem.* unde ad Gal. 4. *Quæ ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt, quæ eſt Mater noſtra.* Aliquando dicitur *mons Sion.* unde mons Sion, in quo habitat, in eo aliquando ſimpliciter *mons* vel *civitas* dicitur. unde Apoc. 21. *Suſtulit me in montem magnum & altum, & oſtendit mihi Civitatem ſanctam Jeruſalem.* Alibi dicitur *templum.* unde Apoc. 4. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo DEI.* Aliquando dicitur *domus.* unde Gen. 28. *O quam terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hic aliud, niſi domus DEI, &c.* Aliquando dicitur

Ad Thema redit.

Juſti, ſervi.

fratres.

Amici.

Parvuli.

Filij.

Habitacula DEI.

Digitized by Google

tur *Paradiſus.* unde Apoc. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo DEI noſtri.* Quia *illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendum nomini Domini.* Et quidem *Sereniſſimus Princeps* & Dominus noſter ad prædicta loca translatus eſt, cui dicitur cum alijs juſtis: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum.* Matth. 25. Quod nobis præſtare dignetur, cujus Regnum & Imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum, Amen.

Finitus eſt ſermo, factus per Dominum Joannem, Archiepiſcopum Pragenſem, Apoſtolicæ ſedis Legatum ſecundum, poſt mortem Imperatoris Caroli IV. feria IV. poſt Epiphaniam.

TIT: XXXVI.

Joannes I. tum II. ac præcipuè III. Epiſc: Pragenſes, virtutibus clari.

In Ep. hiſt. JAm pridem obſervatum à me fuit: Antiſtites Pragenſes quicunq; *Joannis* nomen geſsêre, doctos eoſdem & pios, magnificos, glorioſos, univer-
De Joanne I. Epiſ. Pra. ſim Diœceſi ſuæ quàm utiliſſimos extitiſſe. *Joannem I.* ejus nominis *ex Wiſsehradenſi Præpoſito* An. 1135. *Pragenſem Antiſtitem* creatum, Virum
⊖ 1139. M.S. *M.S. Jaroſ:* fortè: *S.Viti.* naturæ & gratiæ dotibus inclytum, *Svaviſſimum Senem* Veteres appellant Memoriæ. Hic *S. Gothardi Epiſcopi Sacrarium* (ut habet *Jaroslaus* ex Canonico Pragenſi Præmonſtratenſis) *perforato pariete Eccleſiæ S. Wenceslai ad Aquilonem conſtrui fecit.* plurima in ſplendorē Eccleſiæ ſuæ parantem ſenectutis morbus abripuit. Illud de ſenio memoratu digniſſimum exiſtimo: *Decanum & Præpoſitum Wiſsehradenſem* Annis 40. fuiſſe, *Sacerdotem, & Canonicum* annis 55. tandem propè nonagenarium ſenem An. 1139. obijſſe, quinto Epiſcopatûs anno ineunte.

De Joanne II. Ep. Pra: 1236. *Joannes II. Epiſcopus Pragenſis ex Scholaſtico* ejuſdem *Eccleſiæ* electus, multum repugnans more *Sanctorum*, & renitens An. 1227. ordinatus, *Bohemiam* omnem ſanctimoniæ exemplis illuſtravit. Eo ad clavum ſedente, nihil propè aliud quàm *Sanctitatem* ſpirabat *Bohemia!* tanti eſt prudentem, fortem, & virtutibus clarum *Ducem* habere! qui incitet, curſum vitæ regat, virtutes cuique ſtatui accommodatas commendet, & Viros divinæ gloriæ ſtudioſos ad manum habeat, qui operam quandam vicariam *Antiſtiti* præſtent, in Regno Chriſti ampliſſimè dilatando; talem habebat Epiſcopus *Vitum Decanum* (de quo paulò antè dixi) qui regnabat in animis hominum, qui hortante & adjuvante *Epiſcopo Joanne*, nunquam maxima agendo fatigabatur. Hujus *Epiſcopi* tempore *S. Agnes Regis filia*, centum ex Procerum ferè ſtirpibus nobiliſſimas *Bohemas Virgines in S. Salvatoris Cœnobium* (quod *Pauperum Domicellarum* appellabatur) Chriſto Sponſo Virginum attraxit. Sub

hoc

hoc *Antiſtite Joanne*, nihil novum erat in *Bohemia*, plurimos ex Proceribus Regni honoribus & Munijs valedicere, & clauſtris ac tenebris tectos, *Chriſti* amore oblectare ſeſe; alios *in terram Sanctam* proficiſci pedibus, & omnia *Chriſti* veſtigia, ac præſertim *Sepulchrum Domini* mille oſculis adorare, & lacrymis perfundere; alios *Valetudinarijs* & Pauperum Domibus erectis, & dotatis, quotidie ægris & pauperibus miniſtrare, peregrinos paſcere, cibum in os ingerere, lavare pedes, oſculari, aliáque pietatis opera præſtare; quæ omnia *Sancto huic Antiſtiti*, ejúſque ardentiſſimis cohortationibus, & exemplis imputant *Scriptores Antiqui*. Obijt Antiſtes optimus An. C. 1236. XVI. Calend. Septemb.

Joannes III. in *Draziciorum* Illuſtriſſima familia natus, nuper *Eccleſiæ Pragenſis Scholaſticus*, An. 1258. 1. Februarij omnium *Canonicorum* votis electus eſt: explicari ſatis non poteſt, quantum *Sponſam ſuam Eccleſiam Pragenſem* dilexerit! enumerant & accumulant exempla vetuſti Scriptores; inter alia: *Baſilicam S. Viti* totam miro opere tegulis lapideis contexiſſe foris, intus duas feneſtras prægrandes, aperuiſſe latitudinis & longitudinis ingentis, ut gratiſſima, lætiſſimáque lux in Eccleſiam infunderetur; eaſdem feneſtras Vitro perſpicuo prætendiſſe, (quæ res id temporis ſummi erat pretij) neque id modò, ſed vitra encauſtico artificio, Imaginibus & Exemplis, Sanctorum, antiquæ & Veteris Legis Virorum coloraviſſe; Turrim quoque *S. Viti*, ventis An. 1264. dejectam, ſecto lapide ab imo uſquè ad ſummum eduxiſſe. Hęc omnia *Joannes Epiſcopus* de ſuo. Interfuit etiam *Generali Concilio Lugdunenſi* An. 1270. magnámque illic ſapientiæ & virtutis famam collegit; rexit *Eccleſiam Pragenſem* annis viginti & duobus. Optimi Præſulis virtutes breviſſimâ laudatione complexus eſt Coævus Scriptor *Canonicus Eccleſiæ Pragenſis*, ex quo illud etiam intelligimus *Joanni* ut alijs *Sanctis Viris*, oblocutores non defuiſſe. *Joannes Epiſcopus* ait, An. 1278. 12. Kalend. Novembris. *Erat formâ ſpectabilis; incognitis formidabilis; domeſticis affabilis; veritatis amator, Juſtitiæ ſectator; indefeſſus in judicio, providus in conſilio, in univerſa morum honeſtate præclarus, & qualitate incomparabilis; mœrentium pius conſolator; hoſpitum & Peregrinorum benignus ſuſceptor & viſitator; facundiſſimus in eloquentia utriusque idiomatis bohemici, & latini; lucerna lucens in mundo & ardens, non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, illuminabat corda hominum verbo veritatis, factis & exemplis. De cujus & alijs claris actibus, licet plura digna relatu eniteant, tamen ea intacta reliquimus: quia quidam ipſi nihil boni operantes, aliorum benefactis invidere non deſiſtunt. Uſus ſibi maximus erat, quærere & amplecti conſortia peritorum, per quorum eloquentiam lætificabat animam ſuam, & hauriebat colores ſententiarum dulcius nectare liquido.* hæc ille. Scriptores alij affirmant, *Joannem*, cùm videret Exercitum hoſtilem in *Bohemia* dominari, *Eccleſias* incendi, *Cœnobia* ſpoliari,

De Joanne III. Ep: Pra:

M.S. Anonymi Canonici in hiſt. ſuor. temp.

Nota.

Joannes III. ex zelo Religionis cōtabeſcit.

ri, & everti, *Sacerdotes* indignis modis tractari *poſt Ottogari Regis cædem* (quę tempora *Bohemiæ* calamitoſiſſima in *Epitome hiſtorica* deſcripſimus) commiſeratione Patriæ pereuntis, & conculcatæ Religionis & ſacrorum, mœrore nimio contabuiſſe, adeóque non tantùm *vitam Sancti Præſulis*, ſed etiam *mortem*, Martyrio ſimilem, *pretioſam in conſpectu Domini fuiſſe.*

Porrò, ut ad Caput redeam, & quod de *Præſulibus Joannis* nomine inſignitis dixeram, *Joannis IV.* Epiſcopi, Tit. XXXII. tum cæterorum *Archiepiſcoporum Pragenſium Joannis* nomina ferentium laudationem, in ſequentibus, ordine temporum adducemus.

Tit: XXXVII.

Joannes Oczko de Wlaſſim Ordine II. Archiepiſc: Pragenſis.

1380. 1. Janu: Genus Joannis. POſt *Erneſtum*, primum ſibi jure ſucceſſionis, & virtutis vendicat locum natus in Procerum familia *Joannes Wlaſſimius*, Canonicus primùm Pragenſis, deinde primus omnino *Præpoſitus Capellæ Regiæ Omnium Sanctorum*, poſtea *Epiſcopus Olomucenſis*, demum *Archiepiſcopus Pragenſis An. 1365.* tandem *Primus Apoſtolicæ Sedis Legatus*, ac denique *Cardinalis Baſilicæ XII. Apoſtolorum*: ad Archiepiſcopalem dignitatem anathemate *Urbani Papæ V.* adactus. Fuit à prima ætate in *Aula Caroli IV.* omnium ejus itinerum comes, eidem à ſecretis, & intimus ejus conſilijs. *Joannis* hujus liberaliſſimas Fundationes vetera MM.SS. recenſent: *ad Omnes Sanctos Miſſam* quotidie cantandam de *B. Virgine* ante Primam fundavit; Ecclesiam eandem de novo ſuis ſumtibus conſtruxit; *Hoſpitale* ſub Wiſſehrado in honorem *S. Mariæ de humilitate* pro utriuſque ſexûs perſonis ex divite fortuna ad inopiam devolutis condidit, & dotavit; Aliud Hoſpitale in *Hradczano* in honorem *S. Antonij* pro Sacerdotibus Pragenſis Diœceſeos emeritis, vel ſenibus ægrotis; cùm *S. Wenceslao* deditiſſimus eſſet, in *Diœceſi Wratiſlavienſi* (ubi erat Canonicus) & in *Collegio Budiſſinenſi* ejus feſtum ſolenniter coli procuravit, emtis certis redditibus. *Capellaniam in Eccleſia Pragenſi* inſtituit; *Sacella* duo Regiâ magnificentiâ exſtruxit *Pragæ* in Domo Archiepiſcopali ad Pontem, titulo *Paſſionis Chriſti*, alterum in *Arce Raudnicenſi*, *Patronis Regni Bohemiæ* ſacrum; ditiones menſæ Archiepiſcopali multas adjecit, ædificationes plurimæ enumerantur ex *Beneſſio*. Præcipuum illud caput eſt, & ad viri Sanctimoniam maximè declarandam (quod in *Vita Erneſti* pridem narravi) apparuiſſe *Ioanni Beatiſſimam DEI Matrem MARIAM* in *Sacello Arcis Raudnicenſis* oranti, & amabiliſſimo, & renidenti vultu dixiſſe: placere ſibi, & filio ſuo, quæ hactenus egiſſet, pergeret proinde, parari grande præmium in cœlis. Obijt Sanctiſſimus Præſul An. 1380. die 14. Januarij

Ædificationes & Fundationes.

Beneſſ. in Chronico.

Offert ſe ei aſpectabilis Dei Mater. *Vita Arneſti l. 2. C. 14.*

Digitized by Google

nuarij (malè alij 1. Januarij ponunt) omnibus Sacramentis comparatus ad mortem, anno ætatis ſuæ 77. Archiepiſcopatûs anno ſextodecimo. Sepultus in *Eccleſia Pragenſi* in Tumulo marmoreo alabaſtrinâ ejus effigie ſupernè incumbente in Sacrario *S. Gerhardi, & Ottiliæ*, quod ipſemet erexerat, & dotarat. Extat nobilis ingenij unicum (quod ſciamus) monimentum, *funebris laudatio Caroli IV.* Romanorum Imperatoris, quam habuit in *Eccleſia Pragenſi* edita à *Marquardo Frehero*, & à nobis. Mors & Tumulus.

Multa de *Ioanne* habet Beneſsius in Chronico, *Hagek* in Annalibus Bohemiæ. *Pontanus* in Archiepiſcopis Pragenſibus. *Crugerius, & Peſſina* antè laudati.

Tit: XXXVIII.

Joannes (vulgò Doctor Joannecius) Suffraganeus Archiepiſcopi Pragenſis, & Vicarius, Wenceslai Cæſaris imperio præcipitatus in flumen.

ANno 1393. 10. Aprilis (Manuſcripti quidam Codices Eccleſiæ Pragenſis viceſimam diem ponunt) *Wenceslaus Cæſar, & Bohemiæ Rex Vicarium Archiepiſcopi*, nullâ ſatis probabili cauſsâ, id unum obtendens: quòd *Albertum Cladrubienſem Abbatem* legitimè, & ſinè controverſia à Fratribus electum confirmâſſet, in *Muldavam* abjici, & mergi juſsit; *Fabricius* id facinus ſacrilegum, Puchnici inſtinctu perpetratum à Rege comemorat, cùm *Ioannes* Rege increpito adjeciſſet: *indignum eſſe Regis nomine, qui neſciret imperare.* Doctiſsimum hunc Virum *Ioannem* fuiſſe, & ævi ſui in *Bohemia* Oraculum, veteres adſtruunt libri, Sanctimoniam verò, & innocentiam, miracula (quibus ejus mortem illuſtravit Deus) tum *Canonicorum* ad Regem teſtimonium apertè declarat. Tanta certè (quoad inſepultus in flumine delituit) ſiccitas, & ardor elementorum per *Bohemiam* fuit, ut *Muldavam Pragæ* ſinè ponte, vado tranſirent viatores; *Aqua* deinde ipſa non alium, quàm virentis herbæ colorem, & quoddam quaſi virus præferret. De ſanctitatis teſtimonio, mirabile eſt, quod narrat *Hagecius*: cùm enim Archiepiſcopus Pragenſis *Ioannes de Genſtein* duos è *Canonicis Pragenſibus* ad Regem de læſis Eccleſiæ juribus expoſtulaturos miſiſſet, atque illi admiſsi ad Regem quærerent: quid ità Regi placuiſſet Præſulem *Sanctum* morte afficere? Reſpondiſſe *Regem*: cùm vos mortuum *Sanctum* appelletis, non invidebo vobis ego quoque hanc gloriam, *Sancti* poſt mortem appellabimini; ſimul utrumque conjecit in carcerem, atque ægre, multis Procerum precibus, flecti potuit, ut dimitteret. Sequenti die, ad terrorem, ante carcerem *Carnificem* collocavit cum omni tormentorum, & mortis apparatu, nihilque magìs, quàm mortem vicinam cogitantes, & propè ſentientes, è conſpectu ſuo faceſſere juſsit,

1393. *Epit l. 4. C. & Fabr. in Miſnic. l. 2. Weslesl. 19. Apr.* Libera vox Joannis. *Dubr. l. 23. hiſt. Boh.* Quædam miracula.

Digitized by Google

& incolumes abire: Ibi *Jaroslaus* Canonicorum alter, ex Illuſtriſſima, & Bercis agnata ſtirpe *Clinſteinia*, Vir à Sanctimonia vitæ multùm laudatus, præmiſsâ honoris ſignificatione, ſic Regem alloquitur: *Auguſtiſſime Imperator! nos tui Sacerdotes, & Capellani, à te, innocentes, in carcerem conjecti, gratias de hoc beneficio agimus! quia verò duo nos violati ſumus, Tu te bis captivum fore memineris! & quia nos quadragenis horis in carcere tenuiſti, Tu quoque in carceribus hebdomadis quadraginta miſere deliteſces.* Rex cachinno ſublato, *Vade*, inquit, *Jaroslaë, & DEO gratias age, quòd flumen non guſtâris!* *Jaroslai* vaticinium dies oſtendit. Igitur & miracula, & ſenſum ejus ætatis hominum pro innocentia *Joannicij* habemus.

Tit: XXXIX.
Joannes III. Archiepiſcopus Pragenſis.

1400. 26. Apr. Joannes de Genſtein, ſeu Genczenſtein, Pauli de *Genſtein* filius, *Joannis II. Ocelli* Baronis de *Wlaſſim*, *& Genſtein Archi-Epiſcopi Pragenſis* ex Fratre nepos, Vir fuit vitæ Sanctimoniâ & eruditione conſpicuus, & verè dicam,

Genus. ſui ſæculi decus; ex *Miſnenſi Epiſcopo* (mortuo *Ocello*) An. 1380. in *Archiepiſcopum* electus; rexit Eccleſiam ſumma cum laude ſanctitatis; *Religioſiſ-*

Pietas. *ſimum, ac precationibus intentiſſimum Virum* appellat *Stransky*; *Fabricius virum munificum, & magnæ gravitatis*; *Crugerius* ait ſacris meditationibus, & familiaritate cum DEO imergi quodamodo ſolitum, tenerrimâ in DEUM, Beatiſſimam Virginem, ac Cœlites pietate. Fundavit in Miſnenſi Eccleſia *Sacerdotium S. Wenceslai* honori; alterum *Sedlecij* ad *Sepulchrum Domini*, ut quot hebdomadis ter Miſſa perageretur, in honorem *Reſurrectionis Chriſti, SS. Euchariſtiæ, & Paſſionis* ejusdem. Idem Præſul An. 1379. *Chemnicen-*

Fundationes. *ſibus* ſubſidia maxima miſit, cùm ea Urbs 7. Auguſti conflagrâſſet. A. 1396. ipſo die Paſchæ ceſſit Archiepiſcopatu, eúmq; cum *Capituli* conſenſu *Wolf-*

Fabric. l. 2. Miſnæ An: *ramo* Sororio ſuo dedit in manus; Viſo quodam terrifico in Domo ſua ad *pontem Pragenſem* oranti oblato, ad abjectionem ejus honoris impulſum Scri-

Viſio Cœleſtis. ptores ſignificant; videbatur ſibi videre: illinc vulgus profanum, hinc Clerum, & DEO ſacratos homines; deinde ſubitò facto impetu videbat cruento ſpectaculo diſſipari clerum, fugari, occidi, rapi è manibus Prælatorum claves Eccleſiarum, ardere Templa, Cœnobia, denique Religionis univerſæ Sanctitatem, & Eccleſiæ fundamenta convelli, ídque brevì futurum. Ergo, ùt dixi, *Pragenſi* Archiepiſcopatu relicto, *Romam* profectus eſt, A. 1396. privatam vitam acturus, ſed *Bonifacius IX.* Papa, rurſus Virum ſanctum admovit honoribus, & An. 1397. *Patriarcham Alexandrinum* creavit. Obijt *pius Pater Pauperum*, ait M. S. Codex: *Clericorum, Orphanorum, Viduarum, Romæ* An. 1400. 17. Junij in Monaſterio *S. Praxedis*, quò ſeſe receperat.

Digitized by Google

rat. Quidam eum cucullum *S. Benedicti* induiſſe ſcripſerunt, ſed eos *Patriarchatus* ipſe, ejúſque titulus, quem uſquè ad obitum tulit, ùt mox dicam, ſatìs refellit; deinde vel ex eo fabula ſe prodit, quòd conſtat: *Wolframum Romæ* illi ſuppeditare ſumtus, & menſæ neceſſaria ſubmittere debuiſſe, quod ſibi dum *Archiepiſcopatu* cederet, reliquerat unum (ùt affirmant Scriptores) quod ſinè dubio *Monacho* in Cœnobio vitam profeſſo, opus non fuiſſet. Scripſit non pauca *Joannes III.* ùt Tractatum de *Laude Nominis JESU*, dulciſſimâ pietate, eúmque *Româ* miſit ſucceſſori, inſcriptio eſt: *Joannes DEI Gratiâ Patriarcha Alexandrinus, olim Archiepiſcopus Pragenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Wolfframo eâdem gratiâ Archiepiſcopo* Pragenſi. Extant paſſim in Bibliothecis Manuſcriptæ *Conſtitutiones Joannis III.* Archiepiſcopi, prudentiſſimæ, tum in *Libris Erectionum Decreta Sanctiſſima*, de *non abalienandis Eccleſiaſticis ditionibus, pœnæ in violatores Cleri &c.* quibus malis futuris prophetico Spiritu plenus *Antiſtes* obviam ire conabatur: quæ ſola ſi ſervata fuiſſent, nullum in *Bohemiam* aditum hæreſis habuiſſet. Huic *Joanni* dedicatus eſt Tractatus incerti, ſed Theologiæ, & Juris peritiſſimi Authoris: *An Samuel potuerit Saulem, quem ipſe elegerat, aſpernari, &c.* videtur hæc res ſpectare ad controverſiam *Urbani* Papæ VI. cùm Cardinales, qui eundem elegerant, à Pontifice receſſiſſent, quos hic Author, & meritò ſugillat. Scripſit etiam *Joannes*, ùt alius codex Manuſcriptus loquitur, *Hiſtoriam devotam de feſto Viſitationis B. MARIÆ*, & hoc feſtum celebrari primus inſtituit in *Bohemia* (qua in re ei ſeſe oppoſuêre quidam in *Capitulo Eccleſiæ* Pragenſis, ac nominatim *Adalbertus Raconis de Ericino Scholaſticus, & Canonicus* Præbendatus *Eccleſiæ* Pragenſis, *Sacræ Theologiæ, & Liberalium Artium* Profeſſor *ſtudij* Pariſienſis*, cujus ea de re extat Liber) at Joannes* (pergit Codex) *procuravit per totum mundum hoc Feſtum celebrari, & omnia beneficia ſua dicebat ſibi dari interceſſione Beatiſſimæ MARIÆ Virginis Viſitantis; iſte mortuus eſt in Curia Romana, & dicitur eſſe Beatus.* Hactenus Manuſcriptus Codex. Quâ etiam de cauſſa *Wolfframo*, Viſitationis DEI Matris ſacram diem in tractatu illo laudato cōmendat, aítque DEI Matris ope *Wolfframum* ad eam dignitatem evectum. De *Joannis* beneficentia in Urbem *Miſnam*, qua incendio conciderat, dixi in *Epitome Hiſtorica.* Laudes hujus Beati Præſulis habes apud *Peſſinam*, *Pontanum*, *Crugerium.*

M.S. Bibl. ad S.Clem. N.357.

Lucubrationes Joann. Archiep.

M.S. Bibl. Clemen. N. 45. & 352.

M.S. Bibl: Clemen. N. 164.

Tricæ de feſto Viſitat: B. V.

M.S. Bibl. Clemen. N. 222.

M.S. Bibl. Clemen. N. 352.

Mors Joan: *Peſſ. in Phoſph. Rad. V. Pont. in Epiſc. & Arch. Prag. Cruger. in Julio.*

Tit. XL.
Joannes Papauſſek Litomericenſis Eccleſiæ Collegialis Præpoſitus.

1455. 2. Febr. UT inter Viros, *Sanctimoniâ* apud nos illuſtres, *Joannes Papauſek* numeretur, vita ejus, & prophetiæ donum, ac denique *Æneæ Silvij*, ſeu *Pij II.* laudatio facit, qui eum *virum bonum*, *& Sanctum* vidiſſe ſe *Novædomi*, & exilium pro Chriſto toleraſſe teſtatur. In *Carolina Univerſitate*, dum ea floreret, poſt Academicos honores aditos, *Matheſin*, *Philoſophiam*, *& Theologiam* publicè docendo percurrit (de ejuſdem lucubrationibus diximus alio in loco) animum deinde ad *Sacerdotium* adjecit, totúmque ſe ad Catholicæ Religionis defenſionem tranſtulit, quo merito, cùm *Rokyczanus* Anteſignanus hæreticorum *Pragâ Philiberto Adminiſtratore Pragenſis Archiepiſcopatûs* agente pelleretur, Cæſaris authoritate ad *Teinenſem Eccleſiam B. V. Veteris Pragæ* regendam *Papauſek* admotus eſt, eámque provinciam annis omnino undecim, egregiâ cum laude obivit, donec eum *Podebradius* An. C. 1448. rerum potitus, in exilium miſit; tandem *Ladislaus Rex* adoleſcens, *Pragam* adveniens, Catholicorum Procerum, qui virtutem Viri noverant, commendatione, *Joannem Præpoſiti* titulo, & honoribus opimis *Litomericij ad S. Stephanum* honoravit. Vixit in eo munere ad An. 1455. 2. Februarij extinctus, pietatate, morum gravitate, prædictionibus, rerúmque futurarum prænotionibus conſpicuus, quibus eventus varij, ùt prędixerat, reſponderunt; una ejus vaticinatio, à *Cutheno* literis tradita, circumfertur: *Cùm oſſa S. Agnetis Virginis, quæ in Eccleſia Salvatoris, ſeu S. Franciſci olim condita & nunc ex oculis amiſſa ſunt, fæliciter reperirentur, finem bellorum fore & optatiſſimam Bohemiæ pacem redditum iri.* Humatus eſt in Eccleſia ſua *Sancti Stephani*, cujus, ſi quod erat, monimentum memoriæ, ignes aboleverunt. Agit de eo *Cochlæus*, & quicunque *Hiſtoriam Huſſitarum* attigerunt, fortitudinem animi in eo commendant; *pijſſimum* appellat Cochlæus.

In hiſt. Boh. C. 52.

In viris doctis Bohem:

Geſta Joannis hujus.

Vaticinia.

Tit. XLI.
Ladislaus Rex Bohemiæ & Ungariæ, Alberti II. Cæſaris & Bohemiæ Regis filius, Caroli IV. Pronepos.

1457. EXplicari non poteſt, quanto luctu, & lamentis ſanior Evropæ pars Mortem inopinatam luxerit *Ladislai*; conſulantur eorum temporum Scriptores; auxit dolorem mortis indignitas, quòd (ut plurimorum opinio fuit) veneno ſit ſublatus, juvenis innocentiſſimus, in ipſo ætatis flore, in

Luctuoſa Mors Ladislai Regis.

Digitized by Google

in apparatu nuptiarum, tot regnorum coronis caput cingentibus. Hæc atrox ſuſpicio *Georgium Podiebradium*, *& Joannam de Rozmital* ejus conjugem præcipuè aſperſit; quę *pomum aureum* diviſiſſe cultello ferebatur, quem ſecū domo attulerat, cujus cultelli acies, ſeu latus alterum, intoxicatum & veneno illitum, alterum innoxium eſſet, hoc ſibi retinuiſſe, alterum *Regi juveni* porrexiſſe; omnia hæc incerta, & fortè odijs compoſita, quidam Scriptores exiſtimant, nam illud de Amaſia (quod habet *Schikfuſius*) innocentiſſima Regis vita ſatìs refellit. Natus eſt *Ladislaus* poſt mortem Patris *Alberti II.* Cæſaris, *Bohemiæ, Ungariæq́; Regis* Comorini in Ungaria An. 1440. 22. Februarij, coronatus quadrimeſtris infans in tutelam *Friderico Cæſari* datur; piè ac Chriſtianè educatum fuiſſe *Ladislaum* Scriptores ejus ævi teſtantur; liberalitatis futuræ maximam ſignificationem dediſſe adhuc ſexennem puerulum *Ladislaum* narrat *Æneas Silvius*. Illuſtris valde locus eſt, quem facere non poſſum, quin exſcribam: *Venêre*, inquit Pius II. *plurimi ex Bohemis ad Fridericum viſendi Regis gratiâ, inter quos Georgius nomine* **Giſkra**, *armorum gloriâ clarus, qui partes Ladislai unus ferme defenderat in Ungaria cùm Rex Poloniæ Regnum invaſiſſet, prædones ſæpe acie fuderat, Joannem Hunniadem bis caſtris exerat, rebellantes Ungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conſpectum Regis intromiſſus eſt apud Novam Civitatem, quo in loco tum aderamus, aſtantibus plurimis illacrymans, Ladislai manum exoſculatus, in hunc modum verba fecit: Video te tandem, tencóque mi Rex, ſi ſcires, quæ pericula propter te adivi, quibus me laboribus implicui, quot adverſo corpore vulnera accepi! En cicatrices teſtimonio ſunt! Patri ego Tuo, Tibique vitam devovi. Nulla vis eſt, nulla fortuna, quæ alienare animum à Te meum poſſit; officia mea ſola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatem non intelligis, & ſubridens: quod, inquit, præmium fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo ſtipendium? ſextum tum agebat annum Ladislaus, qui poſtquam* **Giſkra** *finem dicendi fecit, oculos huc atque illuc circumvolvens, loculos Joannis Magiſtri Cameræ ſuſpiciens ex phylacteria pendentes, quâ ille nummos more Teutonico pauperibus erogandos aſſervabat, hanc tacitus arripit, æráque ſex tantùm, neque plura invenit illinc deprompta, Giſcræ dono dedit. Admirari omnes Pueri factum, & providum, & liberalem futurum judicavêre.* **Giſkra** *innexos poſtmodum auro nummos è collo ſuſpendit, Regiæ gratitudinis monimentum.* hactenus *Silvius*, qui ſe cùm res gereretur, interfuiſſe ſcribit. Manſit *Ladislaus* apud conſangvineum *Imperatorem Fridericum* propè ad annos pubertatis, *Bohemiam* in *Ladislai* fide eloquentiſſima *Silvij* (quam ipſémet recitat) oratio retinuit; duxit deinde *Romam Ladislaum* ad coronationem ſuam *Fridericus Imperator*, ubi adoleſcentulus ad *Pontificem* cum ſingulari ingenij & memoriæ commendatione peroravit, redditus tandem à Cæſare *Auſtriacis, Ungaris, & Bohemis.* Quę inter hæc contigerint, cùm ab alieno arbitrio Rex juvenis penderet, ex hiſtorijs

Schikfuſ. in An. Sileſ.

Prima Regis ætas.

Silvi: hiſt. Boh. C. 58.

Giskræ Bohemi Ducis fides in Ladislaū puerum.

Æneas Silv: adfuit, cùm hæc fierent

Ladislaus Romæ perorat.

Digitized by Google

Hag. in An: Boh. Theobal. in Huſſit. Dubrav. in hiſt. Boh. Bonfin. in hiſt. Ung. Schikf: in hiſt. Sileſ. Weleſl. in Cal. hiſt.

eorum temporum intelligere licet. An. 1453. 24. Octobris Pragam *Ladiſlaus* acceſsit 28. ejuſdem Menſis ab *Olomucenſi Præſule* coronatus: *Pragæ* tum *Ladislaus* mirum in tenera ætate Chriſtianæ fortitudinis edidit documentum: nunquam ullum ex *Rokyczani* grege Popam, ullo honore dignatus eſt, etſi prope univerſum Regnum *Rokyczanum* reſpiceret, & ſequiores politici *Ultraquiſtis*, ut dicebantur, concedendum aliquid eſſe, vel regnandi gratiâ ſvaderent; penetraverat in ædem S. Viti Sacerdos *Rokyczanæ gregalis* Miſſam audituro Rege, jámque aſcendebat ad arã, cùm *Rex* conſpicatus ſatellitum ſuorum Præfectum ire jubet, & nunciare: è veſtigio ab altari faceſſeret, nî deturbari ex arce in præceps velit. Quod ſequitur, prudentiæ plenum eſt: *Rege* ex feneſtris proſpectante, ſolennis, die *SS. Corporis Chriſti*, ſupplicatio

Ladislaus oſor hæreticorum maximus.

ducebatur *Rokyczanâ* ipſo *Euchariſtiæ ferculum* circumferente; *Rex* proſpiciens ſubter euntes, *Euchariſtiam* nullo honore, aut capitis annutu, nè pileo quidem moto ſalutavit; admonuêre Proceres *Venerabile Sacramentum* portari, quod adorare decens eſſet; reſpondit Adoleſcens Regius ſupra ætatem: *ſcire ſe DEUM omni veneratione mortali dignum nunquam à nobis pro eo ac meretur coli poſſe; at ſi id nunc faceret, rudem populum (qui centum oculis actiones Principum ſervat) fortaſſis exiſtimaturum Sacrilegi illius ſectam abs ſe probari.* Idem annis abhinc quatuor (1457.) *Ladislaus* oſtendit, cùm *Pragam* adveniens *Rokyczanam* obviam venientem cum ſuis torvùm intuitus, paulò pòſt *Prælatis Eccleſiæ Pragenſis* occurrentibus Equo propere deſcendens, ſalutatis amico vultu omnibus, *Lignum S. Crucis* quod ab ijs ferebatur, exoſculatus eſt. Sed mors præpropera, quantus ille *Rex* fuerit, ac futurus eſſet oſtendit: Noviſsima verba *Æneæ Silvij*, qui hæc omnia optimè callebat, fide, referemus: omiſsâ igitur ægritudine & oratione quam ad *Podiebradium* habuit: *tum Rex*, ait, *apprehensâ Podiebradij manu; age inquit, promitte quod cupio* (poſtulârat, ut pupillis, viduis, & egenis in regnando faventiſsimus eſſet) *nam me mori certum eſt. Si feceris quæ jubeo, DEUM propitium tibi reddam! neque enim ita vixi, ut cœlum mihi negari putem, pro cœleſtibus terram relinquo, tu cave poſtulatis adverſari. non potuit tenere lacrymas Podiebradius, dedítque fidem facturum, quod Rex imperaſſet. Finito ſermone, intromiſſis Sacerdotibus de curatione animæ actum* Chriſtiano more *Sacramenta exhibita, Rex ornamenta ſua (veſtes, Aulæa &c.) Pragenſi Eccleſiæ legavit, juſsítque Crines in auri modum fulgentes, ne qua ſupereſſet vanitas amputari, id miniſtri cauſſas moræ ne[ct]entes neglexêre; ubi anima ægra ampliùs demorari non potuit, ſacram candelam petijt, eámque manu prehendit, & intuens Salvatoris imaginem Crucifixi orationem Dominicam dicere orſus ad finem uſquè perduxit, pronunciatíſque ultimis verbis: ſed libera nos à malo, nihil ampliùs locutus, non extrema pati, ſed quietem arripere viſus, mortalis vitæ lumen reliquit.* Sequitur humanæ vitæ apud *Silvium* deploratio, quod commune Scriptoribus om-

Extrema Ladislai Oratio.

Narratio de morte Ladislai.

omnibus argumentum lubens prætereo. Manu ſcripta quędam ejus ævi aſſerunt *Ladislaum* Cæſariem ſuam ante ſignum *Crucifixi Domini* juſsiſſe ſuſpendi; *Theobaldus* longam ex Scriptoribus diſputationem adducit, & in utramque partem diſputat, utrúmne *Georgio Podiebradio, & Rokyczanæ*, an verò *Peſtilentiæ*, quæ tum *Pragæ* regnabat, mors *Ladislai Regis* veriſimiliter imputetur; depingit idem *Ladislai* effigiem & affirmat 17. ætatis (non decimo octavo ut ſcripſerunt alij) obijſſe An. 1457. die S. Clementis, 23. Novembris. Quàm pretioſa in conſpectu Domini Innocentis Juvenis Mors fuerit, incorruptione corporis Regij Cœlum oſtendit: certè *Bertholdus Pontanus Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis Decanus*, poſtea *Præpoſitus*, cùm *Regum* corpora in Novum Mauſolæum *Rudolfus II. Imperator* transferri juſſiſſet, cíque translationi, *Pontanum* exacto priùs jure jurando de non commiſcendis, & reverenter collocandis corporibus præfeciſſet, teſtatur: *Ladislaum* hunc noſtrum, & *Carolum IV.* incorruptos, & nihil à ſitu tot annorum paſſos ſe deprehendiſſe, ídque etiam *Weleslavinus* Scriptor egregius à ſe viſum in Calendario ſuo affirmat.

Theob. in Huſſiticis.

Pont. in Bohem. Pia.

Ladisl. Rex incorrupt°.

TIT: XLII.
Benedictus de Waldſtein, Epiſcopus Caminenſis in Pomerania.

DOcta, & erudita *Benedicti Waldſteinij* virtus, nè ſilentio nomen Viri tanti tranſeam, cogit: Ex *Illuſtriſſima* Procerum *Waldſteiniorum* ſtirpe (quam equeſtrem aliquando fuiſſe, tanta eſt generis antiquitas! ex nulla *Bohemiæ hiſtoria* probare poſſis, utpote à *Dominis de Ralsko* deſcendentem, ùt alibi probamus) ex ea, inquam, vetuſtiſſima ſtirpe editus *Benedictus*, totum ſe literis, ut ſic dicam, involvit: *Philoſophiam* in Univerſitate Carolina percepit, unde in Actis lego: An. 1458. *Benedictus de Waldſtein Baro, Magiſter creatur, & Cathedram Magiſtralem conſcendit, ſub M. Nicolao Barone de Ledecz;* aderant Regis *Georgij* Filij, & *Bavariæ Duces.* Theologiam *Cracoviæ* in Univerſitate Catholica cum Inſignibus *Baccalaurei* defendit, cum teſtimonio, neminem *Benedicto* parem ex Condiſcipulis extitiſſe. Honores doctiſſimum, & (quod in rem meam facit) innocentiſſimum Juvenem ſecuti ſunt, ac *Litomericenſis Præpoſitus, Olomucenſis Canonicus*, ac poſt triennium etiam *Præpoſitus* evaſit; deſtinabatur ad *Pragenſes Infulas*, ſi ditiones Archiepiſcopales reſtitui ab iniquis poſſeſſoribus potuiſſent; interea *Pontificum Romanorum* favore *Caminenſis* creatus *Epiſcopus*, bonâ eorundem gratiâ, cùm in *Bohemia* nullus eſſet Antiſtes, Antiſtitis vices obibat; conſtat altaria plurima, campanas, *Eccleſias* conſecrâſſe; præcipuâ in miſeros pietate, ut nemo facilè pauperum indonatus diſcederet; undecim annos minimum

A. 1505. 18. Martij.

Genus Benedicti.

Acta Philoſ. Facult. in Carolin. Univer. MS.

Doctrina.

Honores.

Digitized by Google

mùm *Eccleſiæ Caminenſi* præfuit, ſolicitè cavens, nè qua ex ovibus ſuæ curæ commiſſis periret. Amavit *Canonicos Regulares S. Auguſtini Trebonæ*, cujus rei plurima in eo Cœnobio ante vicenos pluréſque annos ſupererant documenta. Vidi *Sacerdotale Officium* Divinum elegantiſſimâ manu deſcriptum, aureis literis initio *Pſalmorum & Capitum* fulgentibus, quod ſe donare illi *Canonicorum Collegio Trebonenſi Illuſtriſſimus Præſul* manu ſuâ teſtatur.
Obitus. Obijt in *Moravia* in paterna ditione **Zábřehy**, cùm eò ex *Pomerania* excurriſſet An. C. 1505. 18. Martij, annis, & ætate confectus; hæretici ditionis illius Domini, Sepulchrum marmoreum in *Arcis Eccleſia* altè eductum ejecerunt, cujus marmor hodiéque ſupereſſe dicunt.

Tit: XLIII.

Jodocus & Fælicianus Laici, tum Barnabas Sacerdos Ordinis Minorum S. Franciſci Strict. Obſervant: in Conventu Conceptionis B. Virginis Olomucij.

1506. Legi nuper Excerpta quædam ex Manuſcriptis Commentarijs, *Olomucenſis Cœnobij ad S. Bernardinum*, in quibus manu Superioris loci, quē *Gvardianum* appellant, annotabantur ſequentia: An. C. 1506. *Fr: Jodocum Laicum* eximiâ vitæ Sanctitate conſpicuum in eo *Conventu* vixiſſe,
Jodocus cœleſti luce circumfuſus. cujus cæleſtes virtutes, cæleſti etiam teſtimonio divinitas comprobârit: quippe quod *Sanctis* in cælo, hoc *F. Jodoco* ſanctè viventi divinitus in terris collatum, ut cœleſti luce circumfuſus, amictus lumine ſicut veſtimento, die, noctúque appareret; unde ab Olomucenſibus nominabatur **Das Engliſche licht / welches erleicht unſere Wohnung mit der Gnaden Gottes.** Id eſt: *Angelica lux, quæ gratiâ DEI domos noſtras illuſtrat.* aliud de hoc Sancto Viro nihil additur, quàm in Eccleſia Cœnobij fuiſſe ſepultum.

1505. Alium *F. Laicum Fælicianum* nomine, patriâ Olomucenſem idem Codex
Vitæ Sanctitas Fæliciani. ſuppeditat, *Sanctiſſimæ vitæ Fælicianum* appellans, qui poſt mortem claruerit miraculis; ſepultum eſſe ſub Altari XI. millium Virginum, ejúſque ſacrum Tumulum hodiéque honorari.

1550. Adjicitur ibidem ad An. 1550. obijſſe in eodem Cœnobio *Barnabam* ejuſdem Ordinis Sacerdotem, *qui & in vita & poſt mortem laudabile virtutis teſtimonium ab omnibus ſit conſecutus*; *ſepultum eſſe extra Chorum ſub lampade prope gradum;* doleo profectò plura non eſſe addita ſanctitatis argumen-
Sanctimonia Cœnobij Olomu: FF. Minor: ta! hæc tamen, nè meritò negligentiæ alicujus argui poſſem, omittenda non eſſe exiſtimavi. *Floruerunt in hoc Cœnobio Olomucenſi* (ſubjicit idem Scriptor) *plurimi Beati Fratres tam vitæ Sanctitate, quàm miraculis; quo-*

rum

Digitized by Google

rum aliqui in Eccleſia ſepulturam nacti ſunt, de quibus Annales Ordinis mentionem faciunt, & Martyrologium Franciſcanum: hæc ibi.

TIT: XLIV.

Beneſs ſeu Benedictus de Bliziva, Natalibus illuſtris, ſolitudinis amator, vitæ innocentiâ conſpicuus.

NOn poſſum, præter paucula quædam, de illuſtri hoc viro commemorare. Natus eſt in Equeſtri familia *de Bliziva*, ex qua ætate noſtrâ prodijt, & quam, quod ſciamus, tumulo intulit, ſtirpis ſuę ultimus Eques de Blizivva *Wenceslaus Heraclius de Kunburg* in DEO ditiſſimus, qui propè omnium ſuarum facultatum *Eccleſiam* ſcripſit hæredem. Fundatione adauctâ *Plſnæ* ante DEI Matris effigiem Puerorum innocentium cantandis Litanijs, & ſacris; *Collegio Clatovienſi* ferè ex tertiâ parte fundato; Nobilibus in *Contubernio S. Wenceslai Pragæ* alendis in ſtudijs literarum perpetuo cenſu conſtituto; in morte denique tam liberalis, ut nulla *Pragæ Eccleſia* nominari potuerit, quam aliquo legato moriens non aſperſerit, huic denis, alijs vicenis, tricenis, & pluribus florenis apud *Teſtamenti Executores* aſſignatis. Sed hæc alibi. *Benedictus* noſter, cùm ſtatuiſſet rebus humanis nuncium remittere, nullâ hæreditatis parte aditâ, procul in *Baſtinenſes* altiſſimas ſilvas uno *Brzeznicio* milliari ſub arce vetuſta, & pridem deſerta *Trzemſſin* ſtationem fixit, tugurióque excitato ponè etiam hortulum paravit, inſtruxitque, ex quo æſtate, & hieme alebatur, & in cujus cultura neceſſariā haberet avocationem, cùm alioqui perdius, & pernox in precibus ad DEUM fundendis, & rebus Divinis meditandis duraret, præſertim poſtquam etiam eodem in loco *Sacellum* exſtruxit. Quadraginta ſex annis in illa beata ſolitudine vixit *Benedictus*, DEO uni, & ſoli honorando, & amando intentus; ad extremum vitam ſanctiſſimo fine concluſit, ſepultúsque eſt in *Hvvozdian* in Eccleſia *S. Procopij*, ubi illi propter ſummam Sanctimoniæ famam *Epitaphium* cum effigie, qualis erat vivens, & inſcriptione, quæ talem, tantúmque virum deceret, & Sanctitudinem declararet, Incolæ poſuerunt, quam Sancti Viri memoriam ſupervacaneo munditiæ ſtudio, cùm templum An. 1637. inalbatur, calce inductâ blenni, & bruti opifices deleverunt. Quæ facta novorum hominum ſæpe alibi, ac præſertim in *Boleslavienſium Templorum* hiſtoria damnavi; quaſi verò calx meliùs, quàm aut *S. Wenceslai* cruor, aut *Sancti* alicujus Viri effigies, & vitæ Elogium parietem exornaret! Hinc etiam factum, ut nec vitæ, & mortis annum deſtituti memorijs omnibus habeamus. Conjectura tamen eſt, *Beneſſium* ad initium prioris ſæculi vixiſſe: nam, cùm *Vener: Pater Albertus Chanovvsky*, ex cujus chartulis hæc deſcribo, dicat ſupereſſe

Circa 1540

Liberalitas in Sacra Domini de Kũburg.

Beneſs in Eremo.

In eos, qui veteres Memorias aboleut.

In Veſt. Boh Piæ C. 5.

circa An. C. 1640. qui iſta de *Beneſſio* à Majoribus ſuis audierint, ſatíſque innuat, illâ ætate cum *Beneſſio* Majores illos vixiſſe, non poteſt *Beneſſij* ætas annis centum (quod immemorabile tempus eſſe dicitur) antiquior cenſeri. Sed hæc omnia infirma, neque ſatis certa; ſceleratior ille *BrZeznicenſium bonorum Præfectus*, homo hæreticus, qui circa An. 1620. *Sacellum, & tugurium Beneſsij*, nè qua vetuſtæ Pietatis ſupereſſet memoria, ut prata Domino extenderet, ſolo æquavit.

Innocentia Beneſſij.

Hoc pœnè prætericram, quod de *Beneſſio P. Albertus* adjecit, fuiſſe virum tantæ innocentiæ, ut ad eum animalia, præſertim lepuſculi vocati concurrerent; ij, ſi quando fame ſuperante victi in ſenis hortulo caules, aliáque hujusmodi oluſcula, quibus libenter veſcuntur, depaſti eſſent; vocabat reos *Beneſſius*, & ſinu exceptos virgis accipiebat pro merito, tum dimittebat plorantes cum monitis, nè quid inpoſterum tale aliquid attentarent.

Tit: XLV.

Adalbertus S. Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis Scholaſticus, & Prælatus.

1550. Antiquitatis negligentia.

NOn facilè ego *Antiquitatem* negligentiæ accuſare ſoleo, qui ſciam, quàm diligenter pleraque omnia *Majores* annotârint, ſicut noſtra omnis diligentia collata cum illis, negligentia dici poſſit: ſanè ità cenſeo, juſtam de temporibus noſtris querelam apud poſteros aliquando futuram; nam *Majores* noſtros calamitates bellorum, & incendia excuſant; at nos, ut excuſemur, obſecro, quid adferemus? unum hoc Antiquitati noſtrę vitio dare poſſumus, quod in nominibus explicandis negligentiſſimè vertetur: multi ubique (etiam in hiſtorijs Collegiorum noſtrorum) ſunt *Petri*, multi *Henrici*, multi *Georgij*: *P. Michaël An. 1586. primarium è* Proceribus *Bohemis Dominum Kolovvrat cum tota familia Buſstiebradi ad* Catholicam *fidem convertit*: hìc nomen, ibi cognomen deeſt. Vix tandem innumeris chartis ſurſum deorſum pervolutatis cognitum eſt, P. *Michaëlem Tolmeiner Slavum* natione, hunc verò *D. Joachimum* Buſstiebradsky *de Kolovvrat* fuiſſe. Eadem, eóque etiam major in *Adalberto* negligentia admiſſa eſt, cùm nec in Epitaphio quidem, quod adferemus poſtea, cognomen legatur, nec aliud omni diligentiâ inveſtigare potuerim, quàm *Canonicum* P*ralatum*, *& Scholaſticum Adalbertum* appellatum. *Ven*: P. *Albertus Chanovvsky in Veſtigio* Bohemi*æ* Pi*æ*: *Eſt*, inquit, *tenuis quædam adhuc memoria cujuspiam Sanctæ Vitæ Canonici Eccleſiæ* Pragen*ſis Metropolitanæ*: *qui Monialium* Bene*dictinarum ad S. Georgium in Arce* Prag*enſi in rebus ſpiritualibus Director, magnâ eis dicitur Sanctitate præluxiſſe, apud quas etiam ſepeliri voluit, cùm priùs ante mortem Epiſtolam ſpiritu plenam ad eas conſcripſiſſet, quæ epiſtola nuper admodum*

In Auct. ad Veſtig. Boh. Piæ C. 5.

Digitized by Google

modum adhuc extabat. Ad ſepulchrum ejus dicuntur etiam quædam cœlitus accidiſſe. hactenus Ven. P. Albertus. Omnia hæc apertiùs *Sacræ* ipſæ *Virgines* in Memorijs Parthenonis ſui, quas mecum benigniſſimè tertia abhinc *Abbatiſſa & Princeps* communicavit, leguntur; narrationem ex Bohemico, in Latinum idioma transferam: In Ambitu Cœnobij noſtri prope januam ad Eccleſiam ducentem, conditum eſt Corpus Sancti Adalberti Canonici Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ, qui vivens bene longam, & pulcram ad Virgines noſtras dedit Epiſtolam, quæ ſingulari ſolatio, & profectu ſpirituali ſæpius in Conventu prælegitur. Petiit Adalbertus apud nos tumulari; ad cujus tumulum, antequam cratibus ferreis muniretur, accidit, ut ſubditi noſtri vaſa in cellarium demitterent, altérque alterum admoneret, nè ſepulchrum pede calcaret, conditum ibi eſſe *Sanctum Virum*; ibi cum riſu monitum excepit alter, & ſi, inquit, Sanctus eſt, talis maneat, ego per ejus tumulum nihiloſeciùs ambulabo. Non multum abierat temporis, cùm Divino judicio, infami admiſſo ſcelere carnifici traditur, & cùm duceretur ad mortem, ſocium illum monitorem videt, & ad ſe vocat: en, ait, quò deveni miſer! tum alter: atqui ego monueram, nè Sancti Viri *Tumulum* calcares. Pergit narratio Antiſtitis Principiſſæ: Cùm quodam alio tempore Familia Cœnobij nocte in Cellario neceſſarium haberet laborem, lumen illud extinctum eſt; illi trepidi, cùm neſcirent, unde lumen peterent, emerſerunt, & ecce ſuper eum tumulum lumina vident ardentia; accenſis luminibus protinus redeunt ad laborem, & reſpicientes vident omnia, quæ ſuper tumulum antè lucebant lumina evanuiſſe. Hucuſque *Virginum* M. S. Memoriæ. Placet ad extremum ipſam ſepulchri Inſcriptionem recitare: *Hic jacet Reverendiſſimus D. D. Adalbertus ad S. Viti Prælatus infulatus, & Scholaſticus, quondam Confeſſarius in hoc Monaſterio Sacrarum Virginum. Qui circa An. 1550. vixit, & piè in Domino obijt, ac ad petitionem ſuam Zelo pietatis hic ſepultus, & ob præclara Sanctitatis viſa hic ſigna ab omnibus hactenus in magna veneratione cultus fuit. cujus ſepulchrum renovatum eſt A. 1675.*

Miri event. ad Tumulū Adalberti Canonici.

Locus Sepulchri.

TIT: XLVI.

Venerabilis Pater Adalbertus Bauſek Pragenſis, è Societate JESU Sacerdos.

INter Viros illuſtres Societatis ſive doctrinam, ſive Sanctimoniam ſpectes *Adalbertus* Bauſek meritò cenſetur, cujus mira encomia in *Hiſtoria* Ordinis noſtri leguntur. Vocatus eſt ad Societatem Pr*agæ* miraculo apparentis in Hoſtia Sacra *Cæleſtis* P*ueri*, extremo Anni 1556. in *Eccleſia Sancti Clementis*, & obſtupefactus viſo, quid à ſe P*uer* J*ESUS* poſtularet, quæſivit

1575. alij 1571 3. Maij.

In Euchariſtia Chriſtū infantem videt.

Digitized by Google

Hiſt. Prov. Boh. ad A. 1556.

vit? *volo*, reſpondit Puer, *ut ibi ſis, ubi es.* vide quæ latiùs narravi pridem in *Hiſtoria Provinciæ Bohemiæ Societatis JESU.* His vitæ Sanctæ initijs reliqua *Adalberti* in Religione vita reſpondit. Sed literæ quoque interiores celebrem *Adalbertum* reddiderunt: *Philoſophiam & Theologiam* audiebat Diſcipulus, tamen *Magiſter à Condiſcipulis* audiebat, admotúsque eſt paulò pòſt divinis illis Scientijs docendis; qua ex re (in *Theologia* præcipuè) tantum Nomen obtinuit, ut authoritate doctrinæ inter omnes Socios emineret.

Intereſt Synodo in Moravia:

Anno 1568. cùm *Epiſcopus Olomucenſis* Synodum Diœceſanam haberet 49. annis intermiſſam, *Adalbertus* Bauſek ad eam vocatus nominatim cum *Laurentio Magio Provinciali*, & *Henrico* Blyſſemio, ducentis Sacerdotibus, qui Synodo interfuêre, Concionibus, Cœleſti Spiritu plenis, & colloquijs in Conventu habitis, egregiam operam navavit. *Viennam* deinde revocatus primus poſt tot annorum intervallum in illa celebri *Academia Theologiæ* ſtudium revocavit, & *Facultatis Decanus* creatus eſt, quem eſſe omiſſum in *Univerſitatis Viennenſis Gloria*, qui editus liber legitur, mirari ſatis non poſſum.

Hiſt. S. J. P. 3. Lib. 7. N. 58. & 59.

Ibidem *Viennæ* obijt An. C. 1571. 3. Maij. Maximum virtutis ejus teſtimonium eſt, quod habent *Annales Ordinis* noſtri: *Adalbertus* Bauſekius Vir mitis, innocens, candidiſſimâ animâ, humilitatis amabiliſſimæ, paratiſſimæ ad omnia obedientiæ, &c. cujus in ore ac vultu innocentiam animi, charitatémque erga DEUM, & quoscunque hominum legeres.

Teſtimonia de Virtutib⁹ Adalberti.

Quibus virtutibus, ità domeſticorum amores Civiúmque rapuerat, ut ægro nullum omiſſum ſit, certatim omnibus omnia conferentibus, divinum, humanúmque remediū, & fuerint, qui vota facerent, atque enixè DEUM Dominum precarentur, vicarios ſe offerentes, ut detractos ſibi, illi annos adjiceret, nè munimentum id Religioni alieniſſimo tempore demeretur. Quæ ſpes ubi fefellit, quod reliquum erat frequentiâ, dolore, lacrymis, ac lamentatione inſigni juſta funebria perſolverunt. De eo Laurentius Magius, (tum *Provincialis*, qui poſtea & *Aſſiſtens*, & *Viſitator*) hæc *Romam* ita nunciavit: *Migravit ad Dominum Sanctulus ille*, ac Benedictus *Pater Adalbertus, dimidium animæ meæ, propter multas ejus virtutes: cujus mors, ut communi bono perincommoda accidit, & Academiæ, & Collegio noſtro, & Theologorum noſtro Seminario; cùm eſſet ille vas omnium bonorum, & ad labores infractus, ita vulnus cordi meo tale inflixit, ut etiamnum perdoleam.* Hæc poſtrema ex *Hiſtoria Societatis* noſtræ deſcripta recitavi.

TIT: XLVII.

Digitized by Google

Tit: XLVII.

R. D. Martinus Strakoniczky Straſſinienſis in Prachenſi Diſtrictu Parochus, Vir Apoſtolicus.

EXplicari non poteſt ſatìs, quantam de hoc Viro Sanctimoniæ opinionem habuerit Vir ipſe Sanctimoniæ famâ inclytus *Albertus* Chanovsky *Soc. JESU*, qui *Martinum* familiariter nôrat à puero. Arabum eſſe proverbium dicunt, quod à Clariſſimo *Medico Marco Marci* didici: *indoctus non novit doctum, quia nunquam fuit doctus; doctus novit indoctum, quia fuit olim indoctus;* hìc valere poteſt parœmia, cùm Viri Sancti, & expertæ, ac perſpectæ virtutis ab æqualibus virtute laudantur. Sed ad *Martinum* veniamus, cujus omnis vita in obſcuro jaceret, niſì noſter *Chanovvskius* prodidiſſet. Fuit Martinus in eo Prachenſi Bohemiæ regione notiſſimus, neq; alio magìs, quàm *Prophetæ & Sancti* nomine clarus apud omnes; *Straſſinij* ad Eccleſiam celebrem Divinę Matris in quadam cellula habitabat ſolus, Parochiales ędes elocabat Inquilino unâ illâ conditione, ut ſemel in die cibum adferret oranti; ſemel in die panem, & viliſſimum aliquod obſonium deguſtabat; cubabat dura in humo, & ſi malè eſſet corpori, aut fatigatio poſceret, in nuda tabula molliter ſe quieſcere exiſtimabat, ſaxum tamen ſemper cervicalis vicem implebat, quod hodiéque *Straſſinij* ad venerationem monſtratur. Vita denique *Martini* alia non fuit, quàm orare diu, noctúque, omnes vitæ commoditates averſari, jejunare, cœleſtibus colloquijs ad timorem, & amorem DEI omnes incitare, ac denique ex corporibus obſeſſorum Dæmones malos Tyrannos expellere. Ad extremum eò proceſſit, ut *Parœciâ Straſſinienſi Sacerdoti Catholico* commendatâ, ipſe DEI amore, omnium rerum incertus, villas, & pagos obiret, & cùm *Huſſi* hæreſis occuparet omnia, *Catholicos*, qui ſupererant, pauculos confirmaret, novóſque quâ poſſet ope, acquireret. Pedes, & ſinè commeatu omni procedebat, & ſi poſtularet neceſſitas, albo Equello vehebatur, Divina per iter meditans, aut Pſalmos recitans, nemine, cùm Sacroſanctus omnibus eſſet, interpellante, ipſo etiam *Equo* per intervalla ſeſe Sancti Viri deſiderijs, ac precibus accomodante. Quamcunque domum ex itinere acceſſerat, quidquid erat Catholicum, confitebantur peccata, tanto in domibus ſilentio (verba recito Vener: P. Alberti) *acſi DEUS ipſe acceſſiſſet. Spectavi non ſemel* (pergit Albertus) *ubi in Convivia publica Nobilium intervenerat, neminem eo præſente loqui præſumſiſſe, niſì eodem jubente, & hortante. Neque aliud nomen tota vicinia imponebat, aut ſciebat, quàm Prophetam venire, Prophetam adeſſe. Tumultus* Bohemicos, *& maximam inde Pauperis vulgi vexationem ſecuturam audientibus multis diu antè prædixit, & de ijs malis quædam vaticinando ſcripſit; Joanni* Chanovvsky (*Patris Alber-*

Circa 1600.

Perelegans Arabum Proverbiū.

Aſpera Martini Vita.

Apoſtolicā Vitam inchoat.

Vaticinationes ejuſdē.

Digitized by Google

Alberti Patri) identidem repetens hæc verba: O *quàm enormia imminent bella! ô quanta erit hominum afflictio! filij noſtri quærent latebras in ſilvis, & montibus, & antris.* Cùm Dominus quæreret: utrúmne ſuperſtites ea mala eſſent viſuri? reſpondebat: *nos neutiquam, ſed hi filij noſtri hæc experientur.* Pergit *P. Albertus: me præſente, & pluribus alijs, quorum quidam adhuc vivunt, Dozicij pro Concione famem poſt triennium futuram, & mortem ſuam prædixit, quæ omnia evenerunt.* Plura cùm ſemel cœperim ex Vener: P. Alberti vita deſcribam: *Moris ei erat, ut caſas ruricolarum ingreſſus, mox ſeſe in quopiam angulo abijceret in genua DEO collocuturus, dum Ruſtici ſua interim agerent, cœnarent, domum componerent, atque è vicinis etiam domibus plures convenirent, quæ omnia venerabundi illi, & ſacro pleni horrore ſummo peragebant in ſilentio, finem precum illius expectantes, nonnullis à cœna ſua reliquijs ei in obſonium reſervatis, quas ille, cùm ab oratione ſurrexiſſet, verbáque de DEO, ac rebus æternis Spiritu Sancto pleniſſima aliquamdiu feciſſet, parcè & ſanctè ſumebat.*

Vivendi ratio.

Cùm aliquando viſitâſſet oppidum Katovvitz, ibíque Matresfamilias felicem ei more ſuo gratularentur adventum, & ova, ac placentas offerrent in munus, ſimúlque cum lacrymis quererentur, adactos ſe à *Toparcha* ſuo *Petro Baubynsky* ad ſectam Huſſiticam, desertâ Catholicâ fide amplectendam; benignè eas primùm corripuit, ac reprehendit; tum dolenter adjecit multa his ſimilia per ſummum nefas eo tempore perpetrari; ſed tempus brevì affore, quo *Catholici*, jam verè in Bohemia puſillus grex, victoriam de inimicis omnibus eſſent reportaturi. Ex cujus vaticinij fama ortum eſt, ut nonnulli circa *Katovicium* patresfamilias, præſertim in pago *Chlupin*, ab eo tempore neutri Religioni adhærere, nec unquam Sacræ Confeſsionis Sacramentum apud Catholicos, neque alia ſacra apud hæreticos obire voluerint, *Prophetiæ* illius eventum expectantes, illi videlicet Fidei, tanquam veræ, & ſinceræ adhæſuri, quæ alteram debellâſſet. Cúmque deinde victoriæ in *Albo monte* à Catholicis obtentæ, ac *Pragæ* captæ famâ accepiſſent, *Catholicis* acceſſerunt ſinè mora, & ſua crimina ritu Catholico per ſacræ Exomologeſeos lavacrum primò omnium apud *P. Albertum Chanovvsky* abluerunt. *Multa DEUS per hunc Virum fecit miracula, quorum* (verba ſunt P. Chanovvsky) *quia non rectè memini, lubens ea prætereo. Fuit autem pius habitu, & cultu corporis, uti quidam Religioſus Societ: JESU.* Sepultus eſt pius, DEOq; plenus Sacerdos in Parochiali Eccleſia Blizivvenſi; cujus etiam Tumulum vidiſſe me quondam in parte aliquâ fælicitatis repono. Obijt ad initium hujus ſæculi, aut circa finem ſuperioris.

Mors.

TIT. LXVIII.

Digitized by Google

Tit: XLVIII.

Venerabilis Pater Laurentius à Brunduſio, Sancti Franciſci Seraphici Ordinis Capucinorum Generalis.

Laurentij munia.

Multa, & mira de hoc Sancto Viro audiſſe memini, ſed famam authorem facere nolui. Ijs ergo tantùm contentus ſim oportet paucis, quæ mihi quærenti ante annos ampliùs triginta, Amici ex illo Sacro Ordine, & Religioſi Viri retulêre, quæque ego in *Diva Turzanenſi* Cap. 23. narravi. *R. P. Laurentius à Brunduſio Generalis Commiſſarius* ex Provincia Veneta, primis ſtatim annis, quibus ſacra Familia RR. PP. *Capucinorum Pragam* advênit, ad initia hujus ſæculi appulſus eſt.

RR. PP. Capucini Pragam intrarunt 1600. 22. Maij.

Virum hunc Sanctimoniæ famâ inclytum fuiſſe, ſenes *Patres noſtros* ſæpius audiebam narrantes; eundem Societati Noſtræ peramicum, & perbenevolum, *Rectorum diaria* oſtendunt, in quibus ſæpiſſime lego: *R. P. Laurentius Capucinus apud nos fuit. R. P. Laurentius prandit nobiſcum. R. P. Laurentius interfuit Conſultationi noſtræ de literis Majeſtatis, quas hæretici* Ordines *petunt à Cæſare, aliáque hujusmodi. R. P. Laurentius nos monuit de offenſa Domini N.*

Vir Societati peramic⁹.

Non poſſum hoc loco præterire obſervationem mirabilem, quam in Spirituali, & cæleſti quodam Opuſculo ſuo de *præſtantia Inſtituti Societatis*, item in altero, cui titulus: *Gloria S. Ignatij*, utroque Antverpiæ Typis edito adducit *Vener: Pater Nicolaus Lancicius S. J.* videlicet: omnes omnium Ordinum Viros Sanctimoniâ illuſtres, qui conditâ jam Societate vixerunt, potiſſimùm eos, qui in *Album Divorum*, Eccleſiæ authoritate publicâ relati ſunt, eoſdem *Ordini Societatis JESU* perbenevolos ſemper, & commodos, noſtríque honoris augendi ſtudioſiſsimos ſe præbuiſſe, idque *S. Nerij, S. Tereſiæ, S. Magdalenæ de Pazzis, S. Petri de Alcantara, S. Thomæ de Villanova*, præcipuè *S. Caroli Borromæi*, aliíſque innumeris oſtendit exemplis, ſed hæc nè odioſa ſint, mittamus: igitur *Vener. P. Laurentius* ad Divæ Virginis effigiem non tantùm illam *Lauretanam*, ſed quæ in ipſa RR. PP. *Capucinorum Eccleſia* venerationi proſtat, quæque *Rotenburgi ad Neccarum* ab hæreticis in flammas injecta per ſpatium 12. horarum in flammis illæſa perſtitit, ùt olim narravi, & quam ijs Patribus *D. Joannes Barvitius* donavit; ad hanc, inquam, effigiem totus liqueſcebat in lacrymas, præſertim cùm *Miſſam* ante ejus aram diceret, extra ſe rapi videbatur;

Imago miraculoſa apud RR. Capuc: Pragæ.

& revera *Patrem Laurentium* in Ecſtaſi, ùt dicimus, raptum coram eadem imagine, reperit, vidítque *R. D. Erneſtus Ordinis Præmonſtratenſis*, cùm aliquando *Capucinorum Cœnobium* inviſeret; ex eadem imagine *Puer JESUS* blandè *Laurentium* allocutus eſſe traditur; cúmque aliás *Sanctus ille Pater* pro Hebræorum converſione ardenter oraret, *Hebrai-*

Laurentius raptus in Ecſtaſi.

cæ

Digitized by Google

cæ lingvæ peritiam momentò accepiſſe, parato, & promto ad pertinaciſsimæ gentis converſionem auxilio. *P. Mathæus Raderus* in ſua Bavaria Pia teſtatur *Vener.* Patrē *Laurentium Pragæ* magnâ *Catholicorum procerum*, qui *Italicam lingvam* callebant, utilitate concionantem auditum; adeóque Vir iſte *Sanctus*, *Bohemiam* noſtram non indignam ope ſuâ cœleſti putavit. Tantum eſt, quod de hoc *Viro Sancto* reſcire licuit.

Ecce autem geminata, è cœlo, ut gratus agnoſco, fælicitas me reſpexit: nam dum ſuperiora Typographus excuderet, advolat repentè ad *Collegium R. P. primus* ex ordine illo ſanctiſsimo *Capucinorum*, cum quo ego pridem multis precibus egeram, ut *Vitam* mihi *Vener: Patris Laurentij* ad aliquot dies pauculos legendam communicaret; ſed bonum Patrem, *Capitulum Provinciale*, tum occupationes domeſticæ, nè quod petebatur, effectum daret, impedivêre; at hoc ipſo die *Iglaviam* ad Conciones habendas proficiſcens, mihíque amicè valedicens, *Vitam V. P. Laurentij* â ſe compendio deſcriptam dedit in manus. Hanc primam fælicitatem, mox ſecuta eſt altera: hærebam anceps, utrumne ſine damno expectantis Typographi *Vita Sancti iſtius Viri* in his temporum anguſtijs breviter ſcribi & Typographo citò porrigi poſſet, ſpe bonâ plenus ad *R. P. Gvardianum Capucinorum* mitto, qui ſtatim quod ab alio impetrare nunquam poteram, *Annalium* ſui Ordinis mihi copiam fecit, in quibus P. 3. ad An. 1619. latiſsimè, ac diffuſiſsimè res geſtæ *Vener: P. Laurentij* narratæ leguntur.

Vita Ven: P. Laurentij tandē communicata.

Propoſitū Authori non fuit Vitas Sanctorū hominū ad verbum deſcribere.

Propoſitum mihi non eſt in hoc quodāmmodo ſubventaneo opere, omnes per longum, ut vocant, Vitas Sanctimonia præſtantium Virorum adducere (ut ſæpius Lectores monui) id alicui, qui majore otio & tempore affluat faciendum relinquo; poterit ex hoc unico libro meo, facilè juſta duo volumina veſtigijs meis, & ſolo firmo inhærendo, me facem præferente, implere, ſed præcipua tantùm ſummatim recenſere; quod conſilium in hac *Vener: P. Laurentij* vita ſequar, & capita quædam referam, quæ in prædicta hiſtoria claris, & indubitatis exemplis probantur, & ex *proceſſu Canonizationis* inſtructo leguntur. Natus eſt *P. Laurentius Brunduſij in Italia* pijs honeſtíſque parentibus, qui ablactatum Infantem habitum *S. Franciſci Conventualium* induerunt. Sexennis adhuc puer in *Cathedrali Eccleſia* Patriæ ſuæ conſcendit ſuggeſtum, & prævio campanæ ſonitu totâ ad miraculum confluente civitate, in peccata graviſsimis invectivis detonabat. Adoleſcentiam ingreſſus vino & carnibus in perpetuum ſibi interdixit, cilicio aſperrimo præcinctus, omnibus feſtis diebus *Euchariſtiâ* refici ſolitus, in oratione aſsiduus, in qua & ſudore, & lacrymis dulciſsimis perpluebat, nihil niſi DEUM, & divina Condiſcipulis ingerens, idémque humilis, & ſui contemtor, apud omnes *Sancti Adoleſcentis* nomen eſt conſecutus: *Capucinorum* deinde inſtitutum amplexus, omnes virtutes priores ſuas ad perfectionem adduxit, ſtudiíſque

Vita Laurentij ante Religionis ingreſſum.

Digitized by Google

que Philoſophicis, ac Theologicis cæleſti potiùs auxilio, quàm humanâ diligentiâ perceptis, *concionandi munus* exorſus eſt; linguarum donum divinitus acceperat, & cùm latinam, hiſpanicam, germanicam lingvam uſu didiciſſet, poſtea ſinè omni Magiſtro *Græcam, Hebræam, & Chaldæam* peritè admodum loquebatur, adeò ut à *Clemente VIII. Romam* evocatus triennio *Judæis Evangelium* prædicârit, plurimóſque lucrifecerit *Chriſto*: Expetitus ab urbibus *Italiæ, Venetijs, Neapoli, Genuæ, Mantuæ, Papiæ*, & apud nos in *Bohemia Rudolfo II.* imperante, tum *Viennæ* & in *Ungaria, Bavaria*, cæteráque *Germania* concionando ex cœno peccatorum extraxit plurimos, & hæreticos ad Eccleſiæ gremium revocavit. Tantâ authoritate florentem *Laurentium* ſuæ Religionis *Præfecturæ* exceperunt: *Provincialis Miniſter*, tum *Coloniæ & Bohemiæ Viſitator Generalis*, tandem in Comitijs Generalibus *Generalis Miniſter* quantumcunque reniteretur, creatus eſt. Toto illo triennio omnes ſuæ curæ Provincias pedibus emenſus, quanta itinerum incommoda, & quàm invicto animo ſuperârit, Annalibus traditur; magno tamen hæc illi via ſtetit: nam & *podagra*, & frigus artubus, & nervis inimicum omnem poſtea corporis compagem labefecit. In regendo ſummus ejus amor in ſubjectos, invicta fortitudo, diſciplinæ religioſæ obſervantia, ſed prudentiæ conjuncta apparuit; augebatur *Vir ſanctus* honoribus, & Procerum in ſe ſtudia lacrymis diluebat. Quàm prudenter, & fortiter DEI ſpiritu agente negotia ſibi commiſſa tractârit, legationes *Laurentio* impoſitæ, à *Clemente VIII.* à *Paulo V.* ab Imperatore *Rudolfo*, à *Philippo III. Hiſpaniarum Rege*, aliæque momenti maximi, ſatis oſtendunt. *Pragæ* in Conventu *Electorum Polycarpum Leiſerium Prædicantem*, quem velut ſectæ ſuæ Antiſtitem maximum, *Sereniſſimus Elector Saxo Pragam* ſecum adduxerat, ad diſputationis ſingulare certamen provocavit; præſtitutâ die *Polycarpus* non comparuit, brevíque poſt ingloriâ fugâ evaſit ad ſuos; eo facto irritati hæretici, præſertim *Saxonicæ Legionis Præfectus, necem P. Laurentio* machinatus eſt, & confeciſſet negotium, niſi ipſemet ſeſe obtuliſſet, & mirâ humanitate verborum ſceleratam Præfecti mentem compoſuiſſet. A *Rudolfo Imperatore* ad auxilia à Principibus adverſus *Turcam* impetranda miſſus, re ex ſententia geſtâ cum *Mathia Rudolfi* fratre Exercitûs Chriſtiani Duce in *Ungariam* deſcendit, & ante prælium ardenti cohortatione ad Milites præmiſsâ, Equo inſidens, & Crucem præferens ante Acies conſpicuus ſtetit, & victoriam precando adjuvit, certè & *Mathias*, & alij Duces, Victoriam hanc inſignem *Laurentio* non dubitârunt adſcribere. *Charitatis* divinæ æſtus, ejúſque exempla tanta, & tam rara *Laurentij* vita ſuppeditat, ut ſi ea vel deſcribere vellem, dies deficeret, *ſumma ſequar veſtigia rerum*: teneritudine divini amoris cruciatum calculi, & podagræ ſuperante, non nunquam *duodecim horas ſacrificans*, & Chriſto dulciſſimè perfruens tranſigebat; elevatum in aëra *Laurentium* ſæpius ante

Conciones Laurentij quàm utiles

Ubi locorū concionat⁹ ſit.

Munia ejus in Religione

Morbi ejus

Regendi ſuos dotes.

Legationes Laurentio impoſitæ.

Pragæ provocat hæreticū & pellit

Periculum ſe offerendo vitat.

In Ungariā profectus Victoriam adjuvat.

Mirus DEI amor in Laurentio.

Pietas ſacrificantis.

Elevatur in aëra.

Digitized by Google

ante *Canonem Miſſæ*, in eóque ſitu plures horas pendere vidit *Bavari Ducis Præfectus*; tum & lacrymæ profluebant ubertim, & ſudor toto erumpebat corpore, & ſacrum caput in *modum Camini* cujuſpiam fumabat. Ecſtaſes, ut Spirituales Magiſtri appellant, erant frequentes; *DEI Matri* colendæ deditiſſimus, obtentâ a ſummo Pontifice facultate, *quotidie de B. Virgine Miſſam*, præcipuis per Annum feſtis diebus exceptis, legebat; *Chriſti* de Cruce pendentis cœleſte ſignum appenſum collo geſtabat aſſiduè, *Caſtimoniæ, Paupertatis, obedientiæ, auſteritatis, & patientiæ* innumera ab eo edita documenta referuntur; *Pragâ* ab hæreticis velut perduellis ejectus, compertâ innocentiâ, ſummo bonorum omnium gaudio revocatus eſt. *Spiritu Prophetico* claruiſſe virum multa demonſtrant: *Victoriam* adverſus *Turcas Mathiæ Archiduci*, *Philippo III.* Hiſpaniæ Regi mortem, *Annæ* Imperatrici *Mathiæ Conjugi* prolem, quam editura erat, mortuam fore; *Vincentio Mantuæ Duci* pœnam cœleſtem (quæ non abſuit) locum ſuæ mortis *Ulyſſipone* tanto antè prædixit. *Sanationes* ritè teſtimonijs firmatę & nominibus locorum, & hominum conſignatæ magno numero recitantur. Memoratu digniſſimum eſt quod ſequitur: dum *Generalis Magiſter Provincias* ſuæ Religionis viſitaret, acceſſit ad *Conventum* quendam, cujus Cœnobium ampliſſimum, & contra morem Religionis illius ſanctæ, ſublimi ſtructurâ elevabatur, *Laurentius* diſciplinæ ſtudio accenſus, quærit: quis ædificij hujus architectus fuiſſet? & cognito fratrem illum jam ſuo fato defunctum, *Conventui* illi (ut Scriptor loquitur) *dirâ maledictione imprecatus eſt.* res mira! *Conventus* ille quamvis ad annos æternos exſtructus videretur, firmiſſimâ compage, hac maledictione velut ariete cœleſti percuſſus, ac penitùs concuſſus protinus corruit, ipſo DEO latam à *Laurentio* ſententiam in Lapides exequente: ſed jam tandem aliquando ad *Viri DEI mortem*, quam procul â nobis in *Luſitania* oppetijt, veniamus: *Neapolitani Regni Proceres* à Prorege ſuo miſeris affecti modis, *Cardinalis Capucinorum Protectoris* imperio accedente, Legationem illi ad *Regem Philippum III.* impoſuerant; coactus *Laurentius*, vitatis mirabiliter in itinere Proregis inſidijs, ad *Regem*, qui tum *Ulyſſipone* morabatur, pervênit; confecto fæliciter negotio, venerabilis Pater ſenio confectus, dyſenteriâ periculosè laborans, cùm ſe ad exitum vitæ properare ſciret, *Miſſâ quotidie* quinque primis morbi diebus devotiſſimè lectâ, Fratribus ſuis qui unà venerant, mandata ſua ad diverſos exponens, cæleſti viatico communitus, & infirmorum oleo inunctus, in *Crucifixi DEI* amore, quem ſatis nutibus declarabat, placidiſſimè vitam abſolvit Anno 1619. die *S. Mariæ Magdalenæ* circa Solis occaſum. corpus in oppidum *Villæ Franchæ* ad *S. Claræ* parthenonem devectum; Miracula plurima conſecuta ſunt mortem, præſertim in *Italia*, quibus adductus ſummus Pontifex *Urbanus VIII.* in hujus Sancti Viri virtutes, & res geſtas, cum poteſtate juſſit inquiri; quæ omnia ſumma-

Veneratio Dei Matris

Donũ prophetandi.

Conventũ ſuperbiùs ædificatũ im precando protinus in terrâ dejicit

Mors Sancta Ven. P. Laurentij.

Miracula poſt morte

matim annotata in *Hiſtoriam Ordinis* inſerta, & ex ea adhuc contractiore ſtylo à me deſcripta fuêre *in laudem & gloriam DEI & ſervorum ejus*, qui in *Vinea Domini Sabaoth in Regno Bohemiæ* fæliciter laborârunt.

Tit: XLIX.
Wenceslaus Sswihowsky è Societate JESU.

NAtus eſt Illuſtriſſimo Procerum Bohemorum ſangvine, quos à *Regibus PrZemyslæis* deſcendere, omnes omnino Scriptores noſtri veteres, novíque conſentiunt. Pater ei fuit *Ferdinandus BrZetislaus Sſvvihovvsky Dominus in DobrZiß*; mater *Anna Novohradska de Kolovrat*. Anno ætatis ſuæ viceſimo ſecundo *Societatem* ingreſſus, totum ſe virtuti, totum ſtudijs literarum tantâ contentione addixit, ut in utroque par maximis Provinciæ viris haberetur; ejus rei argumento & *Viennæ*, & *Pragæ* altiores ſcientias tradidit, & legitimo tempore quatuor ſolennia vota profeſſus ſtudijs Noſtrorum primùm *Pragæ* præfuit, deinde etiam munus *Univerſitatis Ferdinandææ Cancellarij*, magnâ cum dignitate ſuſtinuit. Sed virtuti, & Sanctimoniæ plus datum à *Wenceslao*, quantò nimirum veriora ſunt bona, quæ nos DEO gratos efficiunt, quàm ea, quæ vel ſuis hoſtibus ſæpe DEUS concedit. *Mitiſſimi Patris* nomen apud Socios *Wenceslaus* obtinuit, idem cupiditatum omnium victor, nihil deſiderabat magìs, quàm contemni, id, ſi contingeret, gaudebat, id triumphabat; nunquam auditus eſt de Natalibus ſuis gloriari, aut *Illuſtriſſimos Parentes* nominare, nec eam laudationem ab alijs profectam, nisì impatienter, audiebat; morbos, qui eum pluribus extremis annis exercebant, patientiâ, & ſilentio ſuperabat, patientiam verò frequenti oratione ad DEUM roborabat; quoties procedebat in publicum, id magnâ cum modeſtia, & gravitate faciebat; ſed præcipua viro authoritas in ardenti ad populum dictione fuit, quâ plurimas hominum centurias Chriſto, & ejus Eccleſiæ conciliavit; nec minùs colloquijs profectum, quibus illuſtres fæminas plurimas (qui ſexus cùm ob mobilitatem animi vim argumentorum percipere non poſſit, obſtinatior in erroribus tuendis eſſe ſolet) ad *Eccleſiæ* partes traduxit; immortalia odia plurimorum, maximè cognatorum extinxit. Ob eam maximè cauſſam, cùm *HoraZdiovicium* Majorum ſuorum ditionem *Pragâ* excurriſſet, in morbum gravem incidit, quo ſuperatus, anno ætatis ſuæ 42. Societatis 20. Domini anno 1610. 8. Januarij evolavit in Cœlum *Viri Apoſtolici* nomine ab ejus ævi ſenibus honoratus, præcipuè à *Ven: Patre Alberto Chanovvsky*, illius *Bohemiæ* partis *Apoſtolo*, qui ſi optio ſepulchri daretur, ſæpe dicebat, optare ſe ad pedes *Patris Wenceslai* oſſa deponere. Sepultus eſt *HoraZdovicij* in Eccleſia Civitatis ante Aram ſum̃am, marmore altè à ſolo elato, ùt abſentibus noſtris, Amici juſſerunt.

[Margin notes: 1610. 8. Januarij. — Natales. — Munia & Officia. — Virtutes. — Fælicitas in Converſione hæretic: — Mors & Tumulus.]

In hiſt. Provin. Boh. — *In Inſtitut. Orat.*

Porrò ab hoc initio egregiæ Nobilitatis Juvenes Societati nomen conſequentibus annis dederunt in *Bohemia*, *Moravia*, *Sileſia*, ſed in *Bohemia* præcipuè, ut mihi, qui eorum nomina alibi percenſui, duâs paginas impleverint; præcipui fuêre: *Kolovvratai Libſteinskij* duo; *Wratislavij*, *Wrtbai*, & *Wrbnai* duo; *Spinolæ*, *Dietrichſteinij*, *Breüneri*, *Berčæ*, *Waldſteinij*, *Sſvabenskij*, *Grodecij*, *Preckvicij*, pluréſque alij ſuperſtites, qui (ut in re ſimili dixit *Quintilianus*) *olim nominabuntur*, *nunc intelliguntur*. Quæ de *P. Wenceslao* attulimus, ex *Theophili Criſtecci* Collegij Pragenſis *Rectoris* memorijs ad An. 1610. ſunt excerpta.

Tit. L.

Sabina Wratislaviana tredecim annorum Puella. Wenceslaus Sternberg ſexennis, miræ in tenera hac ætatula pietatis puer. Urſula de Lobkowicz Matrona Chriſto Crucifixo devotiſſima.

1597. De Sabina.

APeriam ſimul hoc loco ſcenam, quod ajunt, manu alterâ, ſimúlque alterâ claudam: *Sabina*, quam primo loco nominavi, incorrupta hodiéque, ac viventi ſimilior in *Gerzicz* in *Provincia Reginohradecenſi* ſpectatur; innocentiam, pietatem, ipſius miſericordiæ præcordia, cæteráſq; virtutes jam libro tertio C.18. §. 1. habes à nobis commemoratas; hîc ſatis eſt innuiſſe, nè eadem otiosè repetendo faſtidium pariamus legentibus.

1615. De Wenc. à Sternberg.

Ex eadem cauſſa prætermitto *Wenceslaum de Sternberg Adami Burgravij* Pragenſis filiolum, de quo mirâ traduntur; *manus boni pueri* (ità appellant) hodiéque incorrupta perſeverat. Vide, quæ jam de eo ſcripſimus Lib. *Miſcellaneorum* III. C.18. §. 2. quæ repetere ſupervacaneum eſt.

In Auct. Veſtigij Boh. Piæ ad C.8. — Urſulæ Lobkovicianæ pietas in Crucifixũ Dominum.

Jam quæ ſequuntur fide, & verbis *Joannis Tanneri* noſtri ex *Veſtigio Bohemiæ Piæ*, ejúſque Auctario deſcribo: *Urſula ex Illuſtriſſimo Lobkoviciorum ſtemmate, Parentum noſtrorum memoriâ, magnæ virtutis, & Sanctitatis fœmina, nupta cuidam Domino Plesky Baroni in Moravia ſolita ſe quotidie in certum quodpiam Chriſti Domini vulnus commendare, multa à Dæmone paſſa fuit adverſa. Quadam nocte cùm ei mortem minaretur, illa verò minas ejus flocci faceret, negarétque eum ejus rei habere facultatem adversùs eam, quæ ſe DEO eâ die in vulnus manûs dextræ Chriſti Domini commendâſſet, arrepto Dæmon cervicali, eam ſuffocare conabatur. Cúmque illa nihilominus ſpem ſuam totam in DEUM collocaret, victus Dæmon aufugit, ità tamen, ut priùs peſtilenti aliquo halitu faciem ejus afflaret, ex quo vultus ejus poſtea graviter intumuit. Eo autem ipſo, quo eam Dæmon deſeruit, momento, cùm illa levâſſet*

oculos

Digitized by Google

oculos, magnâ vidit luce ſplendidam ſuper ſe dexteram protegentis inſtar extenſam. Aliàs cùm in prædio ſuo deambularet, contigit, ut locum accederet, in quo effuſum quidpiam humoris fuiſſe advertebatur, quam effuſionem quotquot gallinæ tranſibant, aut anſeres, mox in veſtigio exſtingvebantur; monita igitur illa ab ancillis, ut locum caveret, cùm nihilominus facto ſigno ſanctę Crucis tranſiviſſet, mox, non quidem exanimis, corruit tamen, atque in lectum eſt relata, membris, nervíſque omnibus contractis, atque hoc in morbo tribus annis, ac menſibus ſex ad obitum uſquè mirâ patientiâ decubuit, mamillâ dextrâ ſanie, ac tabo ità corroſa, ut interiora pectoris apparerent. Cúmque ei per magica quædam valetudinem promitterent, adduci non potuit, ut nefaria ejuſmodi medicamenta admitteret. Extrahebantur autem ex illo vulnere varij capilli, & pili, ac carbones, cortices, aliaq́ ejuſmodi quisquiliæ, ut facilè appareret, morbum illum magicis incantationibus ei fuiſſe procuratum. Sed quod in hac re fuit admirabile: lignea, quam Domina illa habebat, Crucifixi effigies, quaſi doloribus ejus condoleret, quoties ipſa acerbiùs cruciaretur, agebat & ipſa in vulnere lateris pus, & ſaniem oſtendebat, atque ex ſacratiſſimo illo vulnere, etiam ſimilia capillamenta, aliáſque quisquilias emittebat. Sacrum Miſſæ Sacrificium coram ea moribunda celebravit P. Andreas Neubaur Societatis JESU Pragæ ad S. Clementem Germanicus Concionator, Vir ab opinione Sanctitatis celebris, ubi illa, poſtquam Sacratiſſimam Hoſtiam elevari aſpexiſset, mox exclamavit: Jam D. DEUM meum vidi, nec ampliùs quidquam video. Et ſic cæca eâdem die obijt. Crucifixum illum eidem Patri donavit, qui nunc aſſervatur apud Illuſtriſſimam Comitiſſam Mariam Eleonoram de Noſtitz, natam de Lobkovvicz, cui eum ad vitam commodavit Virginum Monaſterium Regium Viennæ Auſtriæ, in quod Monaſterium illatus eſt à dictæ Dominæ privigna Domini Plesky ex priore Conjuge Filia, dum Monaſterium illud, & Religionem eſt ingreſſa.

Magicè procurata ægritudo.

Obitus ejus.

TIT. LI.

Venerabilis Pater Petrus Torrentinus Societatis JESU.

VIxit in *Provincia Bohemiæ* Societatis JESU annis plurimis, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ſæculi 1613. 5. Januarij extinctus *Petrus Torrentinus* natione *Brabantus*; de quo mira, & à ſenibus noſtris audivi, & in Annalibus & ſcriptis memorijs annotata invenio. Vir erat, nunquam in ſuo ſenſu abundans, & quamvìs & Collegia Rector, & Juvenum contubernia, & Tirones rexiſſet, & alia quæ prima nobis ſunt, munia geſſiſſet, magnam eſſe partem prudentiæ exiſtimabat, imperia ſua ſubjectorum ingenijs accomodare, ut ſemper & omnia volentibus, & promtè juſſa recipientibus imperaret. Hanc prudentiſſimam animi, morúmque, & imperiorum mo-

1613. 5. Januarij.

Mira ejus in regendo ſvavitas.

Digitized by Google

deſtiam comitabatur jugis DEI, ac cœleſtium rerum memoria; *Divæ Virginis Roſarium*, ùt vocamus, manu tenens, velut Marianæ pietatis inſigne, aut illud, aut tale aliquid cœleſte revolvebat animo, tantâ plerumque dulcedine pietatis, ut *JESUM, & MARIAM*, velut præſentes ante ſe alloquens, & reſponſa eorum quodam̃odo audiens, cùm neminem adeſſe crederet, in ſvaviſſimum, & cœleſtem quendam riſum ſolveretur. Sæviebat in ſe miſeris modis, (quod ſanctis, & innocentiſſimis hominibus uſitatum fuiſſe geſta eorum oſtendunt) virtutem hominis ad noſtra uſquè tempora incorruptione corporis divinitas approbavit. Vidi hiſce oculis in *Tumulo Brunæ*, ubi deceſſerat, præter quòd nigredinem ſitu contraheret, cætera incorruptum; quotannis abſtergere lurorem illum madidis linteolis, & cùm circa eum omnia computreſcerent, illæſâ ſemper carne & cute, novis veſtibus *Torrentinum* induere *Socij Brunenſes* ſolebant, cujus ego laboris A. 1637. adjutorem me fuiſſe gaudeo: venter boni *Patris* tum adhuc integer, tumebat, in dextro pede vulnuſculum, quà viventi pedum ſtillabat humor, ùt Senibus contingit, hiabat adhuc; ſui corporis cruciatus *P. Petrus* Animabus è Purgatorio ad ſe turmatim, ídque, ùt conſtat, ſæpenumero venientibus, & poſcentibus opem, donabat. Divinitus *P. Petrum* multa prædixiſſe conſtat, celebris eſt prædictio de *P. Wenceslao Pillar*, quam in hujus encomio attuli. Narravit mihi annis abhinc tribus, & quadraginta Vir Apoſtolicus è Societate noſtra *P. Joannes Drachovius*, *Patri Petro* coævus, quàm plurima miraculo proxima, inter quæ illud, cùm in piſtrino *Brunenſis* noſtræ *Domûs* exortus ignis magnum malum daturus eſſet, accurrentibus alijs poſt alios properè Tironibus ad *Magiſtrum*, *& Rectorem*, qui tum alio labore diſtrictus, orabat, aut neſcio quid legebat in cubiculo, & ardere clamantibus, *Torrentinum* ſe nihil moviſſe, ſed ridenti vultu reſpondiſſe: *Si ardet, extingvite!* tandem finito labore, quaſi per otium ſurrexiſſe, & gradu nihil concitato in rem præſentem ad incendium veniſſe, & ſublatis in cœlum oculis, manu *Crucis ſigno* formato, imperâſſe flam̃is, & momentò flam̃am omnem extinxiſſe. Plura ejuſmodi Senes narrabant. Vide *Annales Brunenſes* ad An. 1613.

Perpetua DEI præſentia.

Incorruptio corporis

Vaticinia.

Tit: LII.

Joannes Lohelius Archiepiſcopus Pragenſis ex Ordine Præmonſtratenſi.

1622.

Lohelij Patria & educatio Teplç

J*Oannem Lohelium Archiepiſcopum Pragenſem* nondum quidem Eccleſiæ authoritate, bonorum tamen & doctorum Virorum pietate, & com̃uni omnium ſenſu, Beatum, & Sanctum nominari ſæpius audimus & legimus. Natus erat ſuperiore ſæculo in *Regia Urbe Egrenſi* honeſtis parentibus, primis ſtudiorum puerilium Elementis avidè perceptis, altiorum diſciplina-

plinarum excitata in Juvene ſitis eſt, adeoque *Teplam*, ubi latinitas docebatur, nobile illic viciniæ *Prȩmonſtratenſium Cœnobium* ſe contulit; cereus erat ad omnem pietatem animus L*ohelio*, flam̃eus, & acer in literis, itaque legitimam aſſecutus ætatem admitti inter Religioſos petijt, impetravítque. Abbas loci *Murregius* vocabatur, qui ingenij acrimoniâ & fælicitate in Juvene ſatis exploratâ P*ragam* ad Academicos & *Contubernium Convictorum* ad reliquas ſcientias percipiendas *Joannem* ablegavit; frequentabant *Scholas Societatis* tam altiores, quàm etiam Humaniores, ex diverſis Ordinibus Religioſorum quàm plurimi Juvenes egregij (qui mos uſquè ad noſtra tempora nondum excitato ad altiores Scientias Archiepiſcopali Seminario, pervênit) tamen nullus erat in quo *Magiſtri* acquieſcerent magis (quorum eſt noſſe, & tractare ingenia) quàm in L*ohelio*. *Edmundum Campianum* in Rhetoricis, deinde in Philoſophicis quoque *Magiſtrum* audivit, tum alios Viros doctiſſimos; Theologiâ perceptâ domum revocatus, paulò pòſt *Prioris* apud ſuos munus delatum invitus & renîtens accepit. prudentia, doctrina, morum ſvavitas, ac præcipuè vitæ Sanctimonia breve ad honores iter L*ohelio* fecêre: à *Strahovienſibus* primùm *Pragam ad Infulas Abbatiales* poſtulatus aſcendit, ſtatímque diſciplinæ Religioſȩ ad leges ordinis conformandæ totus incubuit, cùm id fæliciſſimè proceſſiſſet, ſupremi totius Ordinis Generalis authoritate, ad viſitanda *Bohemiæ*, *Moraviæ*, *Sileſiæ*, *Poloniæ*, *Ungariæ* Cœnobia cum poteſtate miſſus eſt, eóque munere defunctus in *Bohemiam* redijt fæliciſſimo ubique ad votum omnium negotiorum ſucceſſu. Mirabatur jam tum Viri Sanctimoniâ captus indefeſſos L*ohelij* labores Auguſtiſſimus Imperator *Rudolfus*, honoribúsque Virum augere conſtituerat: itaque cùm *Sbignæus* laudatiſſimus P*ræſul Clero* B*ohemiæ* reformando intentus *Synodi* celebratione diſtineretur, L*ohelium* ei pro *Suffraganeo Epiſcopo* com̃endavit: gratum id *Sbignæo*, nec mora *Sebaſtenſis Epiſcopus* nominatus eſt, præcipuámque *Sbignæo* egregio Præſuli in omnibus Eccleſiarum curis operam navavit. A. 1605. *Sbignæo* Præſule è vivis ſublato, & *Carolo* L*ambergio* ſucceſſore nominato, & à *Paulo V*. confirmato, prioris Archiepiſcopi *Joannes* preſſit veſtigia, & quia L*ambergius* morbo domi detinebatur aſiduè, unus omnia Archiepiſcopalia munia ſuſtinebat, quæ, ut cum majori dignitate obiret, Divis ac hominibus volentibus, *Rudolfo* C*æſare* potiſsimùm, C*oadjutoris* oblatum titulum coactus admiſit, brevíque (Anno videlicet 1612. L*ambergio* in O*ſſecenſi* C*œnobio* extincto) rurſus Pontifici com̃endatus, confirmatus, denique *Archiepiſcopus* P*ragenſis* conſecratur. Omnes tum illorum temporum calamitates ſub *Mathia*, *& Ferdinando II*. poſtea *Friderico* P*alatino* Regnum turbante, in ſe contortas fortiſsimè tulit; exilium trienniò pertulit, poſtmodum à *Ferdinando II*. Hæreticis in Albomonte proſtratis, ſum̃o honore P*ragam* ad gregem ſuum Paſtor optimus revolavit. ætas decrepita ſegnem Archiepiſcopum

Scholas Societ: frequẽtat, Philoſophiã & Theologiam.

Fit Prior Teplæ.

Abbas Strahov: deinde Viſitator Ordinis cõſtituitur.

Nominatur Suffraganeꝰ Epiſcopus.

VirtutesLohelij maximæ.

pum fecerat, niſi divinæ gloriæ inflammatus ardor, & curæ Eccleſiarum, & tempus agendi ſtimulos addidiſſent. ante omnia toto *Bohemiæ Regno Myſtas hæreticos* pelli procuravit, tum ad Regni Comitia advocari Eccleſiaſticum ſtatum, & primam in ſententijs, & ſeſſionibus dignitatem, ducentis propè annis pòſt, quàm hæretici eos depulerant loco, obtinuit; aliquam partem ditionum Eccleſiæ ſuæ recuperavit, neque dubium erat, ſi longiùs vivere contigiſſet, effecturum fuiſſe, ut (cùm in manu Cæſaris Victoris eſſent omnia) & Archiepiſcopales, & Eccleſiarum, & Cœnobiorum pleræque ditiones (quod erat facillimum) ſine iminutione ad veteres Dominos rediturae fuiſſent. Obijt Sanctiſſimus Præſul in his ſtudijs, & in Juribus Eccleſiarum repetendis An. C. 1622. 2. Novembris. Fuit Vir Orationis, & abſtinentiæ maximæ, divini honoris, & religionis proferendæ ſtudioſiſſimus, legum Eccleſiaſticarum, Jurium, & Imunitatum defenſor acerrimus, moribus inter hæc ſvaviſſimis, lenis ſemper ac placidus, Sanctorum Præſulum ſumus imitator, adeóque *Pater Pauperum* vulgò dictus, denique ad ſanctimoniæ leges totus factus & fictus. Nec miracula, ac miraculis ſimillima eventa (quibus Servi ſui merita comprobabat DEUS) deſuiſſe narrant teſtes omni exceptione Majores: cœleſtem Muſicam audiviſſe orantem; pecuniam quam egenis daret, divinitus ſuppeditatam; aviculam, quam ægrotus optaverat, alieno tempore in conclave involaſſe; cùm *Pragâ* ab hæreticis proſcriptus *Viennæ* in exilio degeret, ac *Pragæ* interim in Metropolitana Eccleſia nocte apparerent lumina, & cantus Sanctorum audirentur (ut poſt alios in *Phoſphoro* ſuo comemorat *Peſſina*) & curioſi quidam è Catholicis per Januarum rimas obſervarent, viſos eſſe *SS. Patronos Bohemiæ* ab Altari ſumo procedere, intérq; eos agnitum *Joannem Lohelium*, qui *Te DEUM laudamus* intonaret. plura ejuſmodi miracula, aut miraculo vicina in M.S. Elogio, quod *Abbati* ſuo *Præmonſtratenſes* ſcripſerunt invenio; quædam in Oratione funebri leguntur; citatur etiam *Calendarium Germanicum B.V. in Bavaria* impreſſum, & Bibliotheca Præmonſtratenſium, quæ poſtrema non vidi. Sed *Lohelij Epitaphium*, quod ad ejus *ſacrum Tumulum* legitur, digniſsimum eſt exſcriptu, ídque ſic habet:

Quædã Miraculis ſimillima.

D. O. M.

MEMORIÆ

ILLUSTRISS: & REVERENDISS: SACRORUM PRINCIPIS D. JOANNIS LOHELII.

Epitaphiũ Lohelij Archiep: Prag:

Quem Egra Civem, Ordo Præmonſtratenſis Teplæ Profeſſum, hoc Cœnobium Præſulem & Reſtauratorem, Diſciplinæ Aſſertorem, Monaſteria hujus Regni & Pannonici & Sarmatici titulo Vicarij Generalis Inſpicem, Sebaſte Armeniorum Epiſcopum, Praga deniq; è Suffraganeo & Coadjutore habuit Archiepiſcopum, quem ob mores & pietatem etiam perduelles Hæretici admirari debuerant & colere

Digitized by Google

lere, Virum antiquæ fidei, meri Candoris, ardentis Zeli; effuſæ Charitatis, Sanctæ modeſtiæ, curæ pervigilis, laboris in vinea Domini inexhauſti. Qui graſſante impiâ factione triennium ob Chriſtum exul, ſedi cum gloria redditus, ab invictiſſimo Cæſare Ferdinando II. Luporum ab ovili ſuo expulſionem, Eccleſiarum omnium in manum Archiepiſcopi reſtitutionem impetravit, & effecit ut bona quæ dudum hæreticò tenebantur invaſore, Archiepiſcopũ Dominum ſuum reſalutarent. Tandem dierum, operúmque plenus, ſenſuum adhuc ut animi integer, JESUM ingeminans, JESU meritis ipſo animarum die Anno Chriſti CIↃ. IↃ. C. XXII. *ſuo* LXXIII. *Cathedræ X. in paratam ſibi requiem translatus eſt, magno ſui deſiderio, & eximiæ ſanctitatis opinione apud omnes relictâ.*

Hic ſepultus.

Succeſſor in Abbatia Caſparus â Queſtemberg, & Religioſi Conventûs Strahovienſis Filij Domino Archiepiſcopo Patri ſuo, nunc Interceſſori digniſſimo.

P.P.

An. M. DC. XXVI.

TIT: LIII.

Wenceſlaus Pillar è Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Societatis JESU Tiro, deinde magni nominis Concionator Pragæ ad Salvatorem.

EQueſtris apud Moravos ortus loco *Wenceſlaus Societati JESU* juvenis nomen dedit, in qua ſtudijs omnibus egregiè excultus, & Sacerdotio initiatus, accedente naturâ, ad ſummam dicendi gloriam brevì pervenit; ſed ea res in perniciem vertit: nam cùm *Proceres Moravos* haberet in poteſtate, & ad ſumos honores ſterni ſibi, & muniri viam videret, cupiditati ſuccubuit, & ex *Societate*, quamvìs ab ea benigniſsimè haberetur, varijs inventis coloribus, miſsionem bonam extorſit. Nec eum ſua poſt diſceſſum ſpes fefellit: certatim in eum omnes congerebantur honores: *Canonicus* primùm *Eccleſiæ Olomucenſis*, tum *ditionum Capitularium Præfectus*, quo in munere integritatem ſuam omnibus probavit, OEconomię ſingulari peritiâ, duabus *Canonicorum Reſidentijs* exſtructis; neque ità terrenis ſe rebus immerſit *Wenceſlaus*, ut doctrinæ, & virtutis curam omitteret: certè *Franciſcus à Dietrichſtein Cardinalis, & Epiſcopus Olomucenſis*, maximus ingeniorum, & vitæ explorator, *Vicarium* pro ſe in *Spiritualibus Generalem*, ac totius *Epiſcopatûs Officialem* conſtituit, cùm paulò antè *Præpoſiti Cathedralis* dignitatem omnium votis, & plauſibus adijſſet. Nihil huic Viro aliud propoſitum eſſe videbatur, quàm Religionis ſplendor, & dignitas, Juſtitiæ defenſio, & bene

[Margin: *1619. 5. Januarij.* — Genus. — Ingreſſus in Societatem & exitus. — Zelus & Juſtitiæ rigor.]

Digitized by Google

bene de omnibus merendi voluntas; certatim ultimis voluntatibus, ùt ſubſcriptor, & defenſor adhibebatur, quo nomine *fundationem pro Sacerdotibus Moravis in Convictu Olomucenſi Martini à Greifenthal* periclitantem ſuſtinuit, erexítque. *Societati JESU* deditiſſimus in Collegij inopia complures ſum̃as mutui nomine dedit per partes, poſtea donavit omnino, quæ ſum̃æ aliquot florenorum millia confecerunt. In *Eccleſia Collegij Olomucenſis* pretioſum *Altare S. Ignatio* ſtatuit cum imagine venuſtiſsimæ artis. Eidem Eccleſiæ ſex majora *ex argento Candelabra*, tum *Imaginem DEI Matris* ex ære, pretioſis exuvijs Induſij Virginei impoſitis venerandam donavit. In *Cathedrali Eccleſia S. Ignatij Lojolæ* feſtum diem ſolenniter quotannis celebrandum inſtituit, grandiorum campanarum ſonitu, Sacro cantato, portionibus Canonicis præſentibus liberaliter diſtribuendis. Frequentiſsimè, etiam *Præpoſitus* dicebat ad populum, tantâ contentione, & vi argumentorum, ut in nullo ſophiſmate hæretici poſſent conſiſtere; quæ res odium maximum Viro concivit, fuítque inter primos, quem hæretici An. 1619. *Olomucij* adorti, in cuſtodiam darent, & verbis compoſitis, in partes *Friderici Zephyrij Regis* trahere conarentur; quæ *Præpoſiti* conſtantia (brevì ſecutâ in *Albo monte* clariſſimâ victoriâ) plurimùm contuliſſe dicitur, ut gratiſsimus *Cæſar* glorioſo, & perennaturo titulo *Capitulum Olomucenſe Fidele* juſſerit appellari. At *Wenceslaus* noſter veterum ſuorum votorum in Religione non immemor, monitore interno nunquam quieſcente, quacunque ope poſſet, ad *Societatem JESU* reverti conſtituit, tantóque (ùt de *S. Hermenegildo Martyre magnus Gregorius* loquitur) *ſublimiùs gloriam tranſeuntis mundi cœpit deſpicere, quantò & religatus* (excubijs nuper, & cuſtodijs vallatus) *agnoverat nihil fuiſſe, quod potuerit auferri.* Diu, multíſque annis continuatis precibus, tandem interventu maximorum Eccleſiæ capitum receptus, *Brunam*, ac deinde *Leobium* (quo *Brunâ* Tironum deducta primùm Colonia fuit) ire juſsus, tantum ibi certamen cum teneris illis, & vel ob ætatem innocentibus animulis Vir tantus ſuſcepit, ut in animi modeſtia, ac ſubmiſsione, in ſtudio amoris proprij edomandi, in obediendi, & parendi facilitate, in viliſsimis, & mediaſtinorum proprijs in culina laboribus, præſertim ollis nigerrimis æreis graviſsimis ferè quotidie fricandis, lavandis, tergendis, omnes omnino ſuperaret, & peritiſsimus, & ejus operis princeps, judicio *Cocorum* haberetur. Biennio Tyrocinij expleto, votis ſolennibus DEO, & Religioni adſtrictus, *Pragam* ad *Conciones Bohemicas in Eccleſia Salvatoris* habendas mittitur. Nutabat tum *Praga*, & paulò antè *Prædicantibus*, ùt vocant, Urbe ejectis, multi Civium aut ſequi ſuos parabant, aut hæreſin fovere in pectore nunquam deponendam apud ſe ſtatuerant; utriſque ſaluti fuit diſertiſsimi hominis oratio, & qui fortunarum omnium exulando, & animæ inſuper naufragium feciſſent, utrumque ſervârunt navigantes in portu; quorum ingens numerus fuiſſe dicitur. Me-

Fundatio.

S. Greg. l. 3. Dial. C. 31.

Reditus ad Societatem

Digitized by Google

Memini narrantes Senes, cùm *jejunia Eccleſiaſtica Populo* ſvaderet, protenſo aqualiculo rogâſſe ventrem: quibus olim *Canonicus*, ac *Præpoſitus* cupedijs paſci, & nutriri ſolitus eſſet? cúmque quotidianas delicias eloquentiſſimè deſcripſiſſet, tum quæſiſſe, quid jam ſecum fieret? cœpiſſe deinde ventrem ſuum ſolari, explicare, quæ præmia eum manerent, quàm anguſta ad cœlum via foret; aliáque ex interioribus, ac Divinis literis petita; tum auditores ad imitationem ſui invitare. omnium ſenſus fuit, plus illâ dictione ad jejunium & abſtinentiam à carnibus profectum, quàm omnibus *Conſulum* minis, & pœnis profici potuiſſet. In eo concionandi munere cùm occupatur *P. Wenceslaus*, ad componendas neſcio quas lites, quæ ejus præſentiam poſcebant, *Olomucium* (cui *Collegio* tum egentiſſimo ſummam aliquot millium Societatem repetens aſſignârat) ad aliquot tempus *Pragâ* miſſus, contracto ibi graviſsimo morbo, Sacramentis omnibus ſummâ ſuâ voluptate communitus, vitâ exceſsit An. 1629. 5. Januarij, ætatis 60. poſtquam ultimos octo annos, ut priores non memorem, Sanctiſsimis exemplis traduxiſſet. Hæc ex *Annuis Olomucenſis Collegij* deſcripſi. Narravit mihi Senex è noſtris, quidquid à labore parandi Conciones vacuum haberet *P. Wenceslaus*, orationi, & colendo diligenter horto Collegij impendiſſe; eóque *Olomucij* mortuo, *Pragæ* unam, quàm maximè diligebat arborem, intempeſtivè effloruiſſe. Vidi A. 1635. in *Collegij Olomucenſis* funerali crypta *Senis optimi corpus*, capillis, & barbâ ex ruſo jam caneſcentibus, plenâ, & rotundâ facie, quod integrum eſſe exiſtimabam, cùm neſcio quo, (qui mecum aderat) ſatìs leniter ſpirante, propè totum corpus in albos cineres mutatum, & momentò difflatum avolavit in auras, oſsibus ſolis remanentibus.

Jejunium quomodo Auditorib. ſvaſerit.

Obitus.

Tit: LIV.

Ven. Pater Dominicus Ruzola, Ordinis Carmelitanorum, quos Diſcalceatos appellant.

1630. 16. Febr.

B*illbilis* Urbs Hiſpaniæ Patria *Dominico* fuit, Viro, hac ætate ſanctimoniâ & rebus geſtis clariſsimo; quem quisquis ignorat, ignorat *Victoriam Pragenſem* in *Albo Monte* de hæreticis partam, quæ una *Bohemiam*, *Moraviam*, *Sileſiam*, *Auſtriam*, *Ungariam*, cæteráſque omnes Provincias, DEO, Religioni, ac legitimo Regi *Ferdinando II.* reſtituit. Utar compendio; atque ut hactenus feci *ſumma ſequar faſtigia rerum*: nam mihi in hoc opere propoſitum non fuit vitas & geſta omnia *Divorum* Noſtrorum pertexere ac percenſere; erunt qui majore otio, & tempore abundantes hæc ſibi facienda ſument, mihi reſtat adhuc *magnum maris æquor arandum;* multa ſciens omitto: *ut ſi quis eadem forte conari velit,*
Habere poſſit aliquid operis reſidui

Phædrus Augu. Cæſ. libertus. in fabulis.

Natales Dominici.

ut canit Poëta; jam ad rem: Natus igitur *Dominicus* eſt, ùt modo dicebam, in Hiſpania, *Bilbili apud Celtiberos*; duo Matri cùm uterum ferret, *Dominico* gravida, viſa cœleſtia ſunt oblata; prius: videbat habere ſe *Puerum* ardentem faculam ore ferentem, mox toto orbe retia expandentem; alterum, non dormienti ſed vigilanti ſæpius contigit, cœleſtem Muſicam audire perſonantem, & ſuaviſſimos ultra humanum modum odores perſentiſcere. Nullâ

Viſiones gravidæ Matris.

interpretatione res eget, ſi vitam *Dominici* inſpicias; nec illud miraculo vacat: ſine ullo Matris dolore editum in lucem eſſe; hæc materna ſunt. At *Dominicus infans* Sabbathinis diebus ſemel tantùm in die Lac maternum ſugebat;

Cum Angelo familiaritas.

Puer Angelum Magiſtrum habuit, qui orare *Dominicum* docuit, à quo etiam poſtea toto vitæ curſu excitabatur è ſomno. Decimo quarto ætatis anno

Ingreſſus in Religionē.

adoleſcens Carmelitanum ingreſſus eſt *Ordinem*, in quo duodeviginti annos exegit ſanctiſſimè, tum primùm arctioris vitæ deſiderio ad *Diſcalceatos Carmelitas* tranſivit; his initijs & vitæ arduæ progreſſionibus reliquæ omnes Viri hujus ſancti actiones uſquè ad ſenectam ultimam reſponderunt. Poſthæc (ut virtus ſeipſam ſemper auget & perficit) cupîdo inceſſit *Dominicum* ſubeundæ pro Chriſto mortis: impetrârat à Majoribus *ad Barbaras Gentes* profectionem, ac priùs *Romam* adire, & à *Summo Pontifice* facultates ad hoc Apoſtolicum munus neceſſarias obtinere ſtatuerat; res tota *Romæ* cōmutata eſt: nam cùm per id tempus Comitia de *Summo Ordinis Ma-*

Fit Generalis ſui Ord:

giſtratu ſeu *Generali* haberentur, omnium concordibus Votis electus eſt *Dominicus*, quod onus, & ſi conaretur excutere, victus omnium precibus tandem accepit, & laudatiſsimè geſsit. Inter hæc acerrimum hæreticorum adverſus *Religionem Catholicam* in *Bohemia bellum* exarſit; *Dominicus* protinus in

Mittitur Legatus in Germaniā.

Germaniam à *Gregorio XV. Pontifice* miſſus, ad *Maximilianum Bavariæ Ducem* accurrit, cui Sanctimonia vitæ & cœleſti Sapientiâ conciliatus, divinâ providentiâ ſvaviter omnia diſponente, in *Bohemiam* adverſus hæreticos Ex-

Imago B. Mariæ de Victoria.

ercitum ducenti, *Comitem* ſe addidit. *Strakonicij Bohemiæ Civitate*, Chriſti & Matris DEI imaginem nactus (in qua *Chriſto & Matri* oculos hæretici Milites eruerant) eo ſpectaculo intimè cōmotus, jam tum ſpiritu divino intus agente ad cladem, & mortem hæreticos damnabat; hanc *Imaginem* in omnibus bellorum periculis ſociam adſciſcebat ſibi, hanc ſublimem velut cœleſte *Palladium* Catholicis oſtentabat, ſimul efflagitans, ut *DEI Mater*, cujus Majeſtatem in imagine læſiſſent hoſtes, debitas pœnas repeteret, & injuriam vindicaret; hæc illa eſt ſacra Effigies, *Maria de Victoria Albomontana*, in qua *DEI Matrē Dux Bavariæ* primùm, deinde etiam *Roma* honoravit, feſtóque ac celebri quotannis in *Eccleſiis RR. PP. Carmelitanum* cultu quotannis conſecrat, recolítque. In decretorio illo ad *Pragam* prælio, quo omnes hæreticorum vires fractæ conciderunt, *Dominicus Catholicorum aciem* obequitans, alterâ *Cruci affixi Domini ſignum*, alterâ hanc *Divæ Matris effigiem*, quæ ſcintillare

tillare

Digitized by Google

tillare & cœleſtes quoſdam radios effundere videbatur manu præferens, alternis modò *filium*, modò *Matrem* pro Catholicis precabatur, modò ipſos Milites alloquens, ut res poſcebat, ut fortiter pro *DEO*, *&* *Religione* pugnarent, verbis flammeis, & ut ita loquar, amentatis hortabatur; quæ res Catholicis incredibiles animos addebat, hæreticos mirum in modum percellebat, ſic, ut optimi Scriptores, ac nominatim *Brachelius* exiſtiment: hanc piam Beati Viri *Dominici* audaciam maximum ad *Victoriam* attuliſſe momentum; ſúntque ob rem proſpere geſtam ab *Electore*, cæteríſque *Ducibus* actæ *Dominico* gratiæ. At *Cæſar Ferdinandus II. Viennam* venientem ſummo excepit honore, & in intimam amicitiam admiſſum, coluit ut Patrem; ſed jam tum *Dominicus* ſanctam ſuam quietem reſpectabat, rediítque ad ſuos in *Hiſpaniam Turriaſone* totius Urbis occurſu ſalutatus; neque tamen diu cœleſti illo otio frui licuit. quippe *Ferdinandus Imperator* accuratis precibus ab *Urbano VIII.* impetravit *Dominicum*, cujus imperio *Viennam* reverſus ex *Hiſpania* A. 1629. Aulam univerſam ſanctimoniæ ſuæ priùs famâ, poſtea etiam veris virtutibus implevit, ſed ætas ingraveſcens paulatim humana illi omnia ſubtrahere cœpit; præſertim cùm *Dominicum* poſt tot labores ad capienda præmia ad ſe divinitas evocaret; paulò pòſt adſuit Morbus, in quo ſeſe ad mortem ſolitis Sacramentis, aliíſque Sanctorum modis *Dominicus* comparavit: dum *Sacrum Viaticum* ſumeret *Imperator* flexis genibus linteum, ut mos eſt, ſuppoſitum tenuit, præſentibus Aulæ Proceribus (nam in ipſa Viennenſi Aula Senex moriebatur) poſt ecſtaſes, & cœleſtes raptus duos (quorum alter biduum, alter octiduum tenuit, in quo à *DEI Matre* aſpectabili viſitatus & recreatus eſt) poſt prænunciatum Mortis diem, poſtquam *Imperatorem* præſentem ut pacem Italiæ daret, exoraſſet, An. 1630. 16. Februarij Menſis, evolavit in cœlum, vultu poſt obitum mirâ venuſtate, & gratiâ renidente. Plura de Geſtis & Virtutibus Viri Sancti adferri potuiſſent, ſi integrum volumen, quod de *Dominici vita Caramuel de Lobkovvicz* ſcripſit, habuiſſem ad manum, quæ verò attuli, magnâ parte ex *Paradiſo Carmelitici Decoris* Authore M. *Antonio Alegre* deſcripſi.

In acie geſtatur à Dominico.

Brach. in hiſt. eor. temp.

Ferdinãdo II. gratiſſimus fit Dominicus.

Morbus & mors Dominici.

Tit: LV.
R. P. Jacobus Geranus Societ: JESU.

Dici non poteſt, quam Sanctimoniæ opinionem ex veris, & non adumbratis virtutibus, hujus ſæculi initio apud *Pragenſes*, præſertim Proceres, & Nobilitatem Bohemam collegerit *P. Jacobus Geranus* Soc. JESU. Natus erat in Sileſia (quidam in *Bohemia* natum affirmant) A. 1558. in Julio, Societatem An. 1575. 2. Julij ingreſſus, in qua pleraque honorata munia *Pragæ* in publica Regni luce geſſit, Regens Convictûs Nobilium 1630.

Patria.

Digitized by Google

propè quinquennio, *Vicerector*, Concionator, Præfectus Spiritûs Collegiorum, ac denique ſeptemdecim ampliùs annos Rector, eodem ſemper vitæ ſanctæ tenore, niſi quòd aliæ quædam ſunt, quibus diverſæ hominum ætates

vita juvenis comendari ſolent virtutes; in *Juvenili* vita *Jacobus* modeſtiâ, puritate prorſus Angelicâ, parendi ſtudio, & dulci pietate inter condiſcipulos eminebat; *virilem ætatem* fortia quæque agendo, & patiendo, & omnia ad DEI gloriam conſilia, & conatus referendo traduxit; *ſenex*, contra ejus ætatis morem, minimè rigidus cenſor, ſemper cum ſumma comitate hilaris, nihil ſibi unquam indulgens, & ſingularia omnia, quæ Magiſtri vitæ cæleſtis cavenda præcipiunt, procul à ſenecta ſua removens, quamvìs bene dictum ſit à

Virtutes. Poëta: *Multa ſenem circumveniunt incommoda.* Mirè ejus ſvavitas, & in gubernando charitas comendabatur, quibus virtutibus fretus à ſubjectis nihil non impetrabat. Idem in negotijs gerendis fortis, & imperterritus, ſi quando præſentiam res poſceret, arrepto pileo, baculo, Breviario, Roſario B. V. (quod continenter domi & foris ſiniſtrâ geſtabat orando) iter etiam longum pedes ſuſcipiebat, DEOque negotij exitum commendabat; quod ſi ùt optarat, non procederet, de animi tranquillitate amittebat nihil, perinde, acſi nunquam quidquam ea de re cogitâſſet. *Lobkovicijs Proceribus* univerſim (quorum authoritate, & potentiâ, imò etiam opibus, velut columnis *Eccleſia Catholica in Bohemia* eo tempore ſuſtinebatur) deditiſſimus fuit *P. Geranus*, ideóque parum abfuit, quin ijsdem turbis, quibus *Georgius de Lobkovicz*

Perſecutio. oppreſſus eſt, involveretur, *Rudolfo Cæſare* à malevolis concitato. Itaque judicialiter ab *Archiepiſcopo Lambergio* examinatus, & miris quæſtionibus fatigatus (quas memini me legiſſe) penè everſus eſt, nec *Cæſaris* decreto licuit ei *Pragâ* pedem efferre, etſi tum ex *Officio Rectoris* Congregationi Provinciali, quæ in *Moravia* habebatur, intereſſe oporteret. Totam hanc procellam, & atrociſſimam de ſe *Cæſaris* ſuſpicionem patientiſſimo animo tulit *P. Jacobus*; nec unquam auditus eſt queri, donec tandem dies ipſa innocentiam Patris aperuit, præſertim jam vitâ functo *Cæſare*, cùm *Eva Georgij Lobkovicij* filia, Matrona literis omnibus, etiam latinis excultiſſima, publicè profeſſa eſſet, *Apologiam pro Parentis ſui Georgij defenſione* abs ſe eſſe ſcriptam, adjuvante nemine, ob quam tamen complures alij, quaſi ejus authores, morte puniti ſunt, & *P. Geranus* falſò in ſuſpicionem venerat; quâ re ſatìs compertâ, cum maxima Societatis, & ſui etiam nominis, & patientiæ commendatione calu-

Nunquam otioſus. mniam profligavit. Vixit poſt hæc tempora *P. Jacobus* annis propè viginti in extremo ſenio orando, & laborando, aliud prætcrea nihil; munuſcula, quæ *catechetica* vocamus, *Roſariola*, *Agnos cereos*, *imagunculas* exornans, & concinnans, ſempérque tale aliquid quotidie factitans. 29. Julij An. 1630. cùm *Miſſam* in domeſtico *Collegij Sacello* devotiſſimè, & ſingulari pietate faceret, jámque penè pertendiſſet ad finem, calicem ſacrum tergendo, ſideratione

tione (quam *Apoplexiam* Græcâ voce dicimus) tactus, auferri debuit, & ritè abſolutus, atque etiam Sacramento Unctionis munitus, intra horas quindecim mortalem vitam cum æterna fælicitate mutavit, ætatis anno 72. initæ Societatis 55. Mors.

Tit: LVI.

Catharina Comes de Montfort, Adami de Novadomo Conjux, Vidua annis triginta & octo.

MOntfortiorum Illuſtriſſimæ Stirpis decora tot ſunt, ut fatigare ſcribentium manus poſſint; mihi unica *Montfortina* heroina utramque paginam faceret, niſì propoſita brevitas vetaret. In Conjugio vixit *Adami de Novadomo ſupremi in Regno Bohemiæ Burgravij*, ſemper cum opinione maximæ Sanctimoniæ, & virtutis, genuítque ei *Filium Joachimum & Luciam*, per quam *Wilhelmus Slavata* gentem ſuam Illuſtriſſimam in *Roſenſem Arborem* jam fatiſcentem, ut ità dicam, inoculavit. At ubi Conjux elatus eſt, tum ſibi Catharina ad ſummam vitæ perfectionem nihil reliqui fecit; comemorabo, quæ mihi *Catharina Schvveriana*, *Civis* poſtea *Novodomenſis*, quæ multo tempore in obſequio *Montfortiæ Cameraria Virgo* fuit, jam anus narravit, quorum aliqua à me perſcripta R. P. *Crugerius S. J.* in *Calendarium* ſuum pridem inſeruit: Miſericordia in pauperes, & *Pietas* erga DEUM, præcipuæ *Catharinæ* virtutes fuêre; etſi moderatiſſima eſſet in omnibus, neque unquam quidquam nimium vellet, aut nollet, tamen ſi *pauperes* adeſſe ſentiret, rapiebatur extra ſe, & in quandam cœleſtem rabiem, ut ita loquar, agebatur *Catharina*, ſic ut nimia in hoc genere pluribus videretur. Accidebat aliquando, ut prandente, vel cœnante *Catharinâ* ſub feneſtris canerent *pauperes*, & ſtipem orarent; exiliebat continuò *Montfortia*, & quidquid in manus veniebat, capones, aves, carnéſque cæteras ex menſa per feneſtram jactabat, ſæpe ipſas etiam lances, dum properat, ejeciſſe compertum eſt. Mirabile eſt quod ſequitur (ex quo hujus ſanctæ, charitatis originem profundiſſimam humilitatem fuiſſe ſatis apparet) nam cùm aliquando eo pacto (velut bona fortuna apud *Senecam* deſcribitur) impatientiâ charitatis in ſubjectam pauperum turbam miſſilia ciborum jactaret, & una quædam ex Virginibus pediſequis Dominam moneret, quid ageret? *Catharina*, ut ſenſum animi ſui panderet, altiſſimâ & contentiſſimâ voce: *Me*, inquit, *peccatricem, me, oporteret eſſe inferiùs, hos autem pauperes loco meo ſedere ſuperiùs!* Si curru eunti pauperes obviam veniſſent, expalleſcere continuò ipſa, inquietiſſimè huc atque illuc jactari, quaſi veſtes ipſa ſuas laceratura, nec poſſe conquieſcere, donec *pauperes* ſtipe acceptâ gratias agentes audiret. Ex hac miſericordia ortum habuit *Contubernij Novodomenſis* fundatio, quâ triginta

1631. 31. Martij.

Conjugiū.

ad ult. Mar.

Virtutes, prçcipuè in egenos miſericordia.

ginta pauperioribus juvenibus alendis liberaliter æterno beneficio providit. Orationis ſtudium. Oratione autem ſic tenebatur, ut, quod monſtri eſt ſimile, ſeptem & pluribus horis aliquando immota, & nullo innixa fulcro genibus flexis duraret, aut extento in formam Crucis corpore, toto vultu terræ affixo jaceret, neque ullo ſtrepitu turbari ſe pateretur; aulicis Virginibus omnibus poſt Dominam flectentibus ad deſperationem adductis, & curioſitate muliebri imitari quantumcunque vellent, non valentibus; illa interim tota madeſcens lacrymis, quaſi de pluvia veniret, ſurgebat. Hanc orandi domeſticam comoditatem ei præbebat Eccleſia *S. Catharinæ RR. PP. Minorum Strict. Obſervantiæ*, Domui ſuæ viduali vicina, ad quam, cùm priùs *Eccleſiam* illam ob cognominem ſuam *Divam Catharinam* magnificè ornâſſet, & auxiſſet, viam ſibi ſuſpenſam fornicibus lateritijs exſtruxit, ut ad orandum diu, noctúque nemine conſcio adiret, & nè in *Templo* quidem, conſpici ab ullo poſſet, qui ſecretum ejus arbitraretur, ſempérque laudibus Divinis, diurnis, & nocturnis, quoties liberet, intereſſet; Euchariſtiam bis, aut ſæpius in hebdomade ſumebat. Ex illo orandi ſtudio naſcebatur in *Catharina* ſumus ardor vincendi ſui, & corporis caſtigandi ſtudium, ſic ut frenis, non calcaribus egeret, cilicia, & flagella idcirco frequentiſſimo erant in uſu, & hæc omnia Conſcientiæ arbiter vel ſinebat, vel vetabat *R. P. Joannes Rotarius Collegij Novadomi Rector*, aliíque è Societate noſtra, qui ei à confeſſionibus ſacris ſuêre. *Collegium S. J. Novodomenſe*, quod cum marito *Adamo* ſundârat, eô mortuô, ipſa de ſuo ultimis vitæ annis ædificando abſolvit. Obitus. Tandem triginta octo annis in viduitate exactis, relictis pulcerrimis omnium virtutum exemplis, An. 1631. ultimâ Martij ætatis ſeptuageſimo ſexto, *Sanctam animam DEO* reddidit, in Eccleſia *B. Virginis* adſita illi Collegio, penes *Conjugem, & Joachimum Filium* ſepulta. Mirabile & illud omnibus ſemper viſum, quòd, cùm *Catharina*, & decrepitâ eſſet ætate, & corpori jucunda omnia pro arbitrio negaret, ſubtraheret etiam jejunando, caſtigando, tamen cœleſti gratiâ in corpus redeunte, formâ uſque ad mortem integrâ, comparata filiæ, & ſocrui puellis, omnibus illis junior, & pulchrior videretur, DEO ſcilicet corpori tam obſequenti gratiam conciliante.

TIT: LVII.

Ferdinandus II. Imperator Auguſtus, & Bohemiæ Rex.

1637. 25. Febr. NEmo à me in hac brevitate, & Sanctorum, ac piorum Virorum Indiculis, devictas gentes, captivam hæreſim, fractos rebelles, prælia, victorias, trophæa, triumphos expectet; hæc omnia alteri ſervantur loco, jam pridem tam pedeſtri, quàm equeſtri, ut ità dicam, oratione à pulcerri-

cerrimis ingenijs, & diſertiſſimis Oratoribus, auguſtè, & magnificè ſunt decantata; ego virtutum argumenta, ídque ipſum breviſſimè, in *Ferdinando* tractabo, cætera omniũ Regum imitatione digniſſima ad *Lamormainium* noſtrum remittam. Ab infantia Timorem Domini à Matre Sanctiſſima fæmina didicit cum Divinæ glorię, & Religionis Catholicæ proferendæ ardentiſſimo ſtudio conjunctum: *Sæpe dicere auditus eſt (ſi id è re divina foret) paratum ſe Regnis omnibus, & Coronis exutum cum Conjuge Auguſta, & Cæſareis liberis perâ cibali onuſtum, baculo armatum oſtiatim panem precibus emere.* Tantum aberat à cupiditate regnandi! regnabat ergo *Ferdinandus*, ut Religio, fides, juſtitiáque regnarent; adeóque velut *Vicarium Regni* ſui vel miraculis tuebatur Divinitas, cùm jam auxilia humana, & ſpes decollarent; potuítque de *Ferdinando* vetus illud occini: *Chriſtus imperat, Chriſtus pugnat, Chriſtus triumphat!* Tantâ in hoſtes juratos utebatur clementiâ, ut non modò vitam, & opes redderet, ſed multos ex ijs Titulis, & honoribus augeret, illúdque *Joabi ad Davidem* (quamvìs imeritò) uſurparent veteres Aulici: *diligentes te odiſti, & diligis odientes.* In quos ille, quæſo (ſi *Bohemos hæreticos* excipias, quibus tamen pepercerat, niſì omnium in conſilio ſententijs victus fuiſſet) in quos, inquam, ſupplicium decerni, & ſtringi ſecures juſſerit? è *Moravis Directoribus* unus de *Bitovva* caput amiſit; ex alijs nè quidem *Andreas Tonradl*, qui in Oratione, quam pro hæreticis ſuis habebat, ad *Ferdinandum* (ùt fide digniſſimi, & in *Aula Cæſaris* cum fide verſati Scriptores tradunt) in Cæſaris pectore manibus ludebat, nodóſque in thorace *Ferdinandi* intorquebat, nè ipſe quidem *Andreas* hanc Majeſtatis, & Principis apud ſe nati irreverentiam pœnâ luit. Vide, quæ recitat in *Actis publicis Landorpius*; Nullus ex tot conjuratis Provincijs (quas nominare nihil attinet) punitus eſt, niſì qui ſe ipſum exilio, aut ultroneo ad hoſtes acceſſu, miſeratione fecit indignum. Pietas adversùs *DEUM, DEI Matrem*, ac cæteros Cœlites innata, cum *Ferdinando* videbatur creviſſe, non poterat dulcedine illâ pietatis expleri; ab hac vires ſumebat in hoſtes, plenúſque cœleſti fiduciâ, in ſummis Regnorum periculis, quietus, & imperturbatus durabat, meruítque à Chriſto Crucifixo loquente è ſigno ſuo ſolatium percipere, & victoriam pollicentem audire. Adjuvit & *Mater DEI Ferdinandum*, cùm pro [illegible] ſolicita *Svicardum Moguntinum Antiſtitem* ſuffragium ad dignitatem Imperij *Ferdinando* dare juſſit, læta omnia Imperio, & tuta promittens. Quot ei hoſtes hæreſis, quot invidia, & livor, quot ſuſpicio, & infidelitas, quot odium *Stirpis Auſtriacæ*, & æmulatio excivit? omnes aut victi, aut conciliati ſunt. Lege *Acta publica*, & quæ in vita ejus antè laudatus Author proſequitur. Ego (quod ſinè prejudicio ullius dictum velim) ità ſentio: plurimo tempore pietate, & Chriſtianis virtutibus *Ferdinando* parem *Cæſarem* alterum ægre nominari

Religionis zelus.

Clementia.

Slavata Cãcell. in Apol. adv. C. Turnium.

Khevenhil. in Annal: Ferdinand:

Pietas Ferdinandi.

Digitized by Google

minari poſſe, eúmque Phœnicum, ut itâ dicam, de genere ortum, quam Regiam volucrem ſemel ætate unâ naſci, aut ſi malumus, ſæculis raram eſſe credebat Antiquitas.

Tit: LVIII.

Venerabilis Pater Albertus Chanowsky è Societate JESU.

1643. 16. Maij. NAtus eſt *Albertus* in vetere, & ſemper Catholica *Kotaucziorum* apud *Bohemos* familia, cujus Majores jam tum clari Equites ad *Mediolanum à Friderico Ahenobarbo* Cæſare circa An: 1160. Equites aurati in

Natales. hiſtorijs noſtris creati leguntur. Adoleſcens *Societati JESU* nomen dedit, eíque *quatuor ſolennibus votis* illigatus honoratiſſima munia geſſit, ſed DEUS illi animas (quarum multa millia in *Plsnenſi*, & *Prachenſi* Provincia ab hæreſi ad veram fidem, & aliquos ad vitæ Sanctimoniam adduxit) dare conſtituit. Egit in hac Regni luce *Vitam* verè *Apoſtolicam*, & qualem in media *India* exigere potuiſſet, pagatim, villatim pedes perreptans, opportunè, importunè (quamvìs iſtud ob viri cœleſtem prudentiam, & ſuaviſſimos mores vix unquam accideret) Regnum DEI prædicabat; panis, & caſeus cibum, aqua potum præbebat, lacernâ, & pileo in vultum pendente tegebatur. Non poſſum in hac propoſita brevitate Virtutum Apoſtolicarum exempla percenſere; extant res ejus geſtæ, editæ ab *Joanne Tannero* noſtro, éſtque

Humilitas. liber in manibus. Vidi amabiliſſimâ canitie *ſenem* paulò ante mortem An. 1641. cùm ad nos *Pragam* veniſſet. Mirum illud & humilitatis ſuæ, & amoris in *Societatem* ſui edidit per eos annos *P. Albertus documentum*: nam auditâ *Collegij Pragenſis* fame, (quam bellum & in *Bohemia ſedes belli* conſtituta fecerat) coëmtis, partim etiam dono piorum comparatis aliquot *anſerum* (quorum in *Prachenſi*, & *Plſnenſi* regione provéntus eſt maximus) centurijs, non dubitavit id ætatis, conditionis, invaletudinis *ſenex*, omnes eos anſeres in unum gregem coactos, *Pragam* pro nutriendis *Collegij Socijs* appellere; ſequebatur gregem virgâ per iter, & voce monendo, plerumque ipſe aut *Divini Officij Pſalmos*, aut *Roſarium*, ùt vocant, *Virgineum* precando decurrens, & in loco paſcens, donec *Pragam* per *mediam Urbem*, quò deſtinârat, cùm anſeribus perveniret; qua in re *Carolomanni*, & veterum illorum *Cænobitarum* renovavit Exemplum, gregem Monaſterij paſcentium; nulla erat *Alberto* honoris humani cura, ſe & majores, & cognatos prorſus oblitus, unam DEI gloriam per animarum ſalutem quærebat, maximè pauperibus, &

Mira quædam de eo. ruſticis DEO lucrandis intentus. DEO placuiſſe *Apoſtolicos* hoſce *labores* Cœlum ſæpe miris eventis oſtendit: fuêre, qui eum cœleſti lumine circumfuſum, & qui igneos quoſdam globos ſuper ejus cubiculum effulgere non ſemel

mel

Digitized by Google

mel ſpectârint; fuêre, qui collatis temporibus, in duobus ſimul locis, maximè cùm morientibus adeſſet, eóſque ad mortem compararet, clarè perſpexerint; ipſius *P. Alberti* confeſſione conſtat, non ſemel nocte intempeſtâ ad ſe veniſſe *adoleſcentulos* cum facibus, & ad ignotos ægros, & jamjam morituros deduxiſſe, ut Sacramenta perciperent; qui peracto pietatis officio, & *Patre* reducto, ſubitò videri deſinerent, quos ob id, & ob illam formæ gratiam humanâ majorem, & modeſtiam prorſus cœleſtem *P. Albertus*, & cum eo *Nos* quoq; Cœleſtes genios fuiſſe ſuſpicamur. Celeritas quædam mirabilis, cùm opus eſſet viro addebatur Divinitus: *Aurigæ*, qui eum ad ægrotum herum vehebant, paulò antecedentem *Patrem*, omni conatu ut currum conſcenderet, properabant conſequi toto itinere ægerrimum pedibus, & tardum ſenem, non poterant, cúmque ad terminum viæ perveniſſent, jam multò antè *P. Albertum* eò adveniſſe comperiebant, videbántque apud ægrotum ſtare, & ad mortem diſponere, neque unquam peritiſsimi viarum, quâ id ratione contingere potuerit, ſcire ſe ſtupentes fatebantur; plura admiranda, & in virtutibus, & in geſtis, habet *Liber laudatus*, ut ſupervacaneum ſit, notiſsima omnibus comemorare. Obijt Anno 1643. 16. Maij Apoſtolicus Senex *Clatovviæ*, velut quondam *SS. Patriachæ Noſter Ignatius* nullo honore mortis, in Cellula ſua DEO ſoli vacans, nec niſi jam exſpirantem Socij invenêre; ſepultus in extemporali Sacello Collegij Clatovienſis, éſtque ejus memoria apud Senes omnes in benedictione, corpus diu incorruptum in tumulo perſtitit, ut ab illis, qui viderant, accepi. Obitus.

TIT: LIX.
Venerabilis Pater Fridericus Hunecken è Societate JESU.

ORtus eſt *P. Fridericus* in *Marchia Brandeburgica* nobilibus parentibus, conſtátque *Königsmarchium* magnum apud *Svecos Ducem* ſangvine propè contigiſſe, quo nomine *Sveci* aliquam aliquando rationem *P. Friderici*, dum in vicinia *Commotovienſi* cætera diriperent, habuêre. *Societati JESU in Provincia Bohemiæ* nomen dedit, ſtatímque ſeſe animabus adjuvandis addixit; in illo hæreticorum Regno An. 1618. cum Socijs ejectus, non ùt alij in *Auſtriam*, ſed cum *P. Daniele Stigelio* Commotovienſis Collegij Rectore, in *Saxoniam*, *& Patriam* ſuam exulatum abivit, magno Divinæ gloriæ pretio, ùt in *Provinciæ Annalibus* ejus temporis latè, & lætè comemoratur; Religioſorum, ac præcipuè Religioſarum Virginum Cœnobia (in Diœceſi Halberſtadienſi, & Magdeburgenſi, tum Hamburgi & Lubecæ) obibant hi duo, ad animas regendas nati viri, omnéſque qui adhuc ſupererant, *Catholicos* in vetere Religione firmabant. Extat apud me de his

1640. 28. Maij.

Genus.

Digitized by Google

Apoſtolicis laboribus, & nominatim de expulſione Dæmonis Magdeburgi manu R. P. Danielis Stigelij ſcripta narratio.

Poſtquam victricibus *Ferdinandi II.* armis reditus *Noſtris Patribus in Bohemiam* impetratus eſt, *P. Fridericus Commotovij* conſedit, totámque illam viciniam ab hæreſi purgavit tantâ rationum vi, tot virtutum exemplis, ut nunquam poſtea ullis *Saxonum, ac Svecorum* armis, aut è *vicina Saxonia, & Miſnia* ſubrepentium *Miniſtellorum* calliditatibus à cognita ſemel veritate abduci potuerint. *Catherberga* oppidum eſt velut nidus montibus ijs, qui *Bohemiam à Miſnia* diſpeſcunt affixus, hunc ſibi potiſsimùm locum excolendum ſumſit, & viginti ampliùs annis excoluit; adibat illos montes ſacris, & feſtis diebus pedes, etiam in extrema ſenectute, ac primis quidem annis cum vitæ periculo: vivebant adhuc non ante multos annos, qui ſe olim conſilium interficiendi *Patris* demandatum à cæteris in ſe ſuſcepiſſe ultrò fatebantur, ùt ex ipſiſmet audivi. at nihil poſtea illis hominibus mitius, poſtquam videlicet *Patris* operâ fidem noſtram amplexi fuiſſent, hodiéque in ea conſtantiſsimè perſeverant. At *P. Fridericus* (quo ego *Magiſtro Spiritûs* uſum me indignum glorior) *Commotovij* An. 1648. plenus dierum, 28. Maij deceſsit in Domino, aliquot hominum millibus Eccleſiæ adjunctis, *Apoſtolum* tota vocabat vicinia; mitiſsimi Vir ingenij fuit in alios, rigidiſsimus in ſeſe exactor; vino plerumque abſtinebat, cibi parciſsimus, in vigilijs, & oratione multus, mortificationis, (ùt appellamus) ſtudioſiſsimus, veſtibus cilicinis, & flagellis in ſe animadvertebat ſum̃o rigore; vidi eum non ſemel (piâ fraude, quaſi unicæ eſſent illæ *Saxonum, & Marchiacorum* deliciæ) *halece crudâ*, pro carne veſcentem: *exhortationes*, quas ab eo in cœtu Sociorum dictas audivi, tanto ſpiritu, tantâque doctrinâ plenæ erant, ut paucos meminerim ſolidiùs, & fortiùs, quod propoſuerint, probantes; multas ei prærogativas divinitus conceſſas aliqui narrant, éſtque ejus vita compendio, *vitæ Ven. P. Alberti Chanovvsky* ſubnexa à *P. Joanne Tannero* noſtro, qui aliquot ejus *Epiſtolas* Spiritu Divino plenas Typis vulgavit. Fuiſſe P. *Friderico fratrem Germanum Nicolaum* nomine *Stigelius* affirmat, virtute ſimillimum, qui illis *Exilij* annis (An. 1618.) *Collegium Hildeſienſe Rectoris* nomine gubernavit.

Vita Apoſtolica.

Obitus.

In M. S.

Tit: LX.

Venerabilis P. Martinus Stredonius è Societate JESU.

1649. 26. Auguſti.

Prima ætas P. Martini.

HUnc Virum famâ Sanctitatis, & cœleſtibus gratijs præſtantem *Glivicium* Sileſiæ Civitas genuit Anno prioris ſæculi 1589. non ut quidam ſcripſêre 1587. nam quæ nos de ætate Noſtrorum Patrum adferimus, ipſis ſingulorum autographis Brunenſibus & Libris *Examinum*, ut vocamus, nitun-

Digitized by Google

nituntur. Juvenis vixit annis aliquot in *Contubernio S. Wenceslai Pragæ*, & Humaniora, quæ vocamus ſtudia decurrit, dein *Pragâ* ad Societatem acceſſit Anno 1608. 25. Septembris: jam tum lingvas callens, præter *Latinam*, *Bohemicam*, *Polonicam*, *Germanicam*; Scholas propè omnes docuit in Societate, *Grammaticam* à Rudimentis inchoando, *Poëſim*, *Rhetoricam* Annis duobus, *Philoſophiam*, *&* *Theologiam* explicuit; Hinc regendis noſtris admotus *Brunenſe* bis, bis *Pragenſe Sancti Clementis Collegium* rexit, ſemel *Præpoſiti* nomine *Domum Profeſſam Pragenſem*, bis *Provinciam Bohemiæ* univerſam gubernavit; Denique vitâ ſummâ virtutis laudè peractâ *Brunæ* obijt 26. Auguſti, 1649. Erat *P. Martinus* Vir maximæ Orationis, ex ipſo ejus vultu res divinas eum cogitare ſemper, apparebat, neque ullus eum contrà intueri poterat, quin continuò animadverteret cœleſtibus ejus mentem negotijs occupari. Annis compluribus in varijs Provinciæ munijs *P. Martinum* videbam, vultum nunquam mutaſſe, multóque minùs animi prudentiſſimam quandam conſtantiam & gravitatem amiſiſſe. Preces ad DEUM genibus flexis peragebat omnes, nisì per morbos (nam plurimis conflictabatur) non poſſet, tum enim in Oratorij ſui gradu compoſitis manibus ſedebat, aut legebat; in quo ſitu ſæpius illum deprehendi, cùm mihi in Tirocinio meo *Janitoris* officium & Provincia demandata fuiſſet, atque is ad januam Collegij vocaretur. Abſtinentiâ ciborum fuit prorſus mirabili, & artificiosâ: ita enim prandebat, & cœnabat nobiſcum, ut omnium oculos falleret, ſemper occupatus in cibo, cultris, fuſcinulis, cochleari, cùm ad extremum nihil tamen guſtaſſet, nisì fortè intritum in cereviſiam, quam in ſcutellam infundebat, panem; quo cibi genere libentiſſimè veſcebatur. Miris, & multis eventis viri Sanctimoniam illuſtravit DEUS: conſtat eum, cùm *Miſſam* legeret, & ardore divino raperetur, ſublimem evectum, & elatum à terra ſic ſtetiſſe; ſæpiùs flammarum cœleſtis lux circa Patrem viſa; in obſidione *Brunenſi Svecorum*, viſus eſt aliquibus ſublimis ſuper ipſius Eccleſiæ noſtræ tectum flexis genibus divinam miſericordiam implorare pro populo; mirúmque illud fuit excuſſum è machina murali *globum ferreum* cùm innoxiè ante P. *Martini* pedes cecidiſſet, hunc ultimum fuiſſe, quem *Sveci* in Urbem emiſerint; exinde inclinari res Svecorum cœpêre, & denique ſoluta obſidio eſt, quaſi vires amiſiſſent machinæ, & periculo tanti viri offenſi SS. Angeli, Urbis Præſtites, & Tutelares, hoſtiles conatus, & conſilia ſubnervaſſent. Neque modò homines, ſed etiam animæ ex flammis piacularibus auxilia Patris petiêre & lætiſſimè impetravere. Erat P. *Martino* chariſſimus & in Tyrocinio *Societatis* quondam contubernalis P. *Georgius Sigiſmundi Litomyſſlenſis Bohemus*, Vir in magnis rebus, & munijs verſatus; is cùm obijſset, ſolicitúmque ejus obitus P. *Martinum* haberet, utrúmne adhuc teneretur in pœnis, an jam Cœlo receptus DEO frueretur? apparuit veteri Amico *Georgius* in Cœlum proficiſcens,

Munia & res geſtæ.

Exempla Virtutum.

Viſio ei oblata.

ciſcens, atque illum Pſalmi verſiculum dixit: *Dextera Domini exaltavit me*, & cum dicto ex oculis amiſſus eſt. Plura ejusmodi lectu digniſsima continet *vita venerabilis hujus Patris*, quę hîc otioſè repetere ſupervacaneum reor. Facere tamen non poſſum, quin de præcipuis quibusdam in Gubernatione virtutibus teſtimoniũ adferam viri cujusdam è Societate Eximij, qui P. *Martino* familiariſsimè uſus, hæc ſuâ manu conſignata in Provinciæ noſtræ Archivo reliquit:

R.P. Ludovicus Craſi•

Teſtimonium de ejus Virtutibus.

Fuit R. P. Martinus Vir verè Spiritualis, alieniſſimus ab omni humano, & mundano affectu, Spiritu Chriſti principali à DEO confirmatus, & virtutum ac vitæ ejus magnus admirator ſimul, & imitator; Hinc quidquid mundus inſipiens imprudenter amat, & ſolicitè quærit, id ille ſemper contemſit, & modeſtè declinavit; nec raro dixit Socio ſuo, *ſe omnem humanum honorem, & pompam, ac plauſum inanem ferre non poſſe, & quidquid aliquam affectatam elegantiam redoleret, odiſſe; idque non minùs factis oſtendit, quàm verbis expreſſit. Non facilè etiam externos viſitabat, niſi graviora momenta, aut privata cujusque Collegij commoda, bonúmve aliquod Spirituale eum ad id faciendum compellerent. In Confeſſionibus ordinariè locum poſtremum, licèt* Superior *eſſet, affectabat.* Pallium, *cùm non haberet proprium, illud à* Janitore, *vel* coquo *non raro mutuum accepit, eóque, licèt breviore, indutus in publicum prodijt, ſui contemtûs gratiâ. Cum defunctus* Rectoratu Brunenſi Pragam *vocaretur, non erubuit per aliquot milliaria vehi curru ruſticano, quem trahebant, duo boſculi, eo uſurus uſquè* Pragam, *niſi ejusmodi* poſta boaria, *ùt ipſe loquebatur, nimis lenta fuiſſet. Nota etiam eſt ejus in victu parcitas, in veſtitu ſimplicitas, in uſu rerum ordinariarum moderatio. Potus ejus potiſſimùm cereviſia fuit, & vini modicum; tempore menſæ ità ſe occupabat, & in ſcindendis, & vertendis dapibus, acſi plurimum comederet, cùm interim parciſſimè veſceretur, & pane magis, quàm carnibus, eóque ſolo diebus Veneris ùt plurimum, nemine ferè advertente. Veſtes ejus interiores fuêre ſimplices, & longo uſu attritæ; Libri precatorij tales erant, quibus nemo alius uti voluiſſet. In cæteris omnibus ſemper deteriora, & viliora quærebat. Nihil elegans habuit ad ſuos uſus, nihil pretioſum, nihil ſuperfluum; & non ſemel quibusdam rebus ad uſum oblatis, vel ad confortandam valetudinem præſcriptis uti noluit, quia nimis pretioſas exiſtimabat pro paupere Religioſo.*

Denique ſibi parcus, in alios erat Religioſè liberalis. *Quam profundè humilis eſſet, vel ex eo cognoſci poteſt, quòd cùm eximijs tum à natura, tum & à gratia divina dotibus eſſet ornatus, nunquam tamen auditus ſit de ſe, aut rebus ſuis magnificè loqui, aut per jactantiam dicere, ſeu facere, ad ſui commendationem. Vixit inter nos ſemper quaſi minimus ex nobis, nihil eximium præ ſe ferens; in miniſterijs culinæ non infrequens. Cùm vitam privatam ageret, nemo illo continentior, nemo humilior erat; Regularum, ſi quis, obſervantiſſimus, cubi-*

Digitized by Google

cubiculi, & ſolitudinis cultor penè aſſiduus, nulli moleſtus. Extraordinarias verò gratias, quibus à DEO præditum fuiſſe ſuſpicamur, ità ſtudiosè ſemper occultavit, ut non niſi quaſi per rimulas earum radiolos permitteret, non volens foras erumpere, quæ nobis ſuſpicionem moverent, latêre ampliùs aliquid in arcano pectoris ejus, quàm foris appareret. Inter alias ejus virtutes maximi ſemper fecimus admirandam eius in tolerandis, & excuſandis aliorum defectibus prudentiam, & longanimitatem, & in corrigendis ſubditorum erratis ſolertiam; Quidquid coram illo minùs diſcretè, aut non ſatis moderatè fieret, aut diceretur, id ille, ſuaviter erubeſcens, tacitus diſſimulabat. Si quis abſentem incuſaret, argueretve de dictis, aut factis imprudentibus, ipſe mirâ dexteritate eum excuſabat, & quandoque operosè etiam defendebat; neminem certè paſſus eſt unquam opprimi, aut gravius aliquid pati per calumniam. Subditorum errata per tres, quatuórve dies ſæpe diſſimulabat, nec facilè negligebat, ſi momenti alicujus eſſent, ſed tempora magis opportuna obſervabat, quibus non tam pœnam ùt Judex *delinquentibus infligebat, quàm ùt* Medicus *medelam adhibebat. Neminem turbatum, nec unquam turbatus ipſe corripuit; Sed cùm pacato eſſent animo, & correctionis capaces, delinquentes monebat ſuaviter, & ſalubriter corrigebat.*

Prudentia P. Martini mirabilis.

Fuit in eo etiam à nobis notata tam ſingularis in agendo moderatio, ut nunquam ſit viſus aliquid agere præcipitanter, nihil non quaſi præmeditatè loqui, nihil alicujus momenti decernere, niſi conſulto priùs per preces divino oraculo; præveniebat etiam plerumque, quæ mirâ ſagacitate prævidebat, negotia, ſibi proponenda; hinc, qui illa proponebant, ſemper parata reſponſa, & prudentiſſima Conſilia accipiebant. Ità etiam ordinatè proceſſit in omnibus, ut ſuas ſingulis actionibus præſcriptas haberet horas, quas ità ad amuſſim obſervabat, ùt non niſi ob gravia momenta præſcriptum ordinem interrumperet, aut transponeret. In familiaribus colloquijs cum domeſticis ità noverat miſcere utile dulci, ut omnes caperet humaniſſimâ quadam gravitate, & non minus prodeſſet, quàm declararet. Erat illi etiam familiare, de propoſito quopiam, ex re nata, argumento, aliorum ſenſa exquirere, & Religioſam recreationem jucundâ ſimul, & eruditâ collocutione temperare. In negotijs fuit ſerius, & indefeſſus; nullum aggrediebatur, quod non haberet funditus perſpectum; Rationes verò, quas dictabat ad negotij alicujus expeditionem, certæ erant, & ſolidæ, ac benè ponderatæ; quibus etiam per preces à DEO impetrabat robur, & firmamentum. Hinc magnâ pollebat in rebus agendis energiâ, & nihil penè inchoabat, quod non ad optatum finem perduceret.

Moderatio & cunctatio.

Charitatem ejus erga Subditos commendabant plurima; maximè verò erga infirmos tam corpore, quàm Spiritu paterna quædam cura, & ſollicitudo; Hos frequenter viſebat, & ſolabatur; & ut erat medicamentorum non ignarus, ſæpe ſuâ ipſe manu remedia parabat, & porrigebat. Scio illum longanimi

ſuâ

Digitized by Google

ſuâ patientiâ, & ſuavibus modis aliquot contra vocationem tentatos ſanaſſe, & in Societate *conſervaſſe, quos alius præcipitando, aut minùs diſcretè agendo perdidiſſet. Et memini ab eo mihi dictum de quodam, cujus dimiſſionem urgebant nonnulli:* quam, *inquiebat*, accepturus eſſem à DEO remunerationem in die judicij, ſi illum præcipitanter dimitterem? nunquid mihi exprobraret meam præcipitantiam? nunquid damnationem ſuam mihi adſcriberet? abſit ut perdam, quem ſanare, quem ſervare, & ſalvare poſsim!

Orationis ſtudium.

Devotio *ejus erga DEUM quotidianis experimentis probata ſatis oſtendit, illum plus cum DEO, ut plurimum, quàm cum hominibus egiſſe, & orationi plus temporis impendiſſe, quàm negotijs. In omnibus Divinis Officijs ipſe ſemper primus, & præſens aderat, in* Litanijs, Veſperis, ſacris cantatis, precibus publicis. *In periculis verò, ſuiſque difficultatibus, & morbis uni, & ſoli DEO fidebat magis, quàm omnibus humanis præſidijs; Hinc cùm eſſet* Superior *frequenter ſuos ad orandum excitabat, & ſtatas precum horas in privato Sacello eis præſcribebat.* Pragæ *cùm eſſet, in* Feſto Sanctiſsimi Corporis Chriſti, *magnam curam & ſolicitudinem habuit, ut* Proceſsio in Collegio Sancti Clementis *intra octavam haberi ſolita, cum aliquo ſplendore, & pompa eo anno perageretur, propter alienos à fide milites Svecicos, qui tum adhuc* Pragæ *morabantur, dicebátque eam futuram ultimam occaſionem, quam habiturus eſſet,* Sanctiſsimo *huic* Myſterio, & Chriſto *ſuo obſequium, aliquale exhibendi. Et verò ipſemet* modum Proceſsionis, & ordinem *ſuâmet manu conſcripſit, habuítque illa non minorem plauſum, quàm ſplendorem.*

Turbatiſſimo Patriæ *ſtatu cùm iter faceret per loca ab hoſtibus, & prædonibus infeſtiſſima, ſolus ipſe plerumque cum Socio, & Auriga, absque militari præſidio, ſolius DEI fretus aſſiſtentiâ, proficiſcebatur, & viæ ducem ſæpe non admittebat. Conſtat autem non ſemel in evidentia pericula incurriſſe, eáq; mirabiliter evaſiſſe.*

In ultimis annuis Exercitijs, *quæ fecit* Glacij, *enixè petijt à Socio, ut defectus à ſe commiſſos, ſive ab illo, ſive ab alijs obſervatos, ſibi indicaret, & id ut faceret, multis argumentis tandem perſvaſit, nec minus promtè exinde correxit quidpiam, quod audiverat alijs quibusdam diſplicere, etſi adiaphorum eſſet, & ab eo fieret optimo fine. Ad hæc in dandis conſilijs ſatis prodebat, quantam haberet noſtri* Inſtituti notitiam, *& experientiam in rebus agendis. In judicijs, & decretis ſuis erat conſideratus, & fortis, non pertinax; In ſecretis taciturnus, ponderabátque omnia* juxta rationes æternas. Non erat perſonarum acceptor, *ſed omnes æqualiter amabat. Quos autem advertebat plus habere ſolidæ virtutis, & majoribus ad res tractandas pollere præſidijs, eos præ cæteris æſtimabat, & ſæpiùs adhibebat ad negotia expedienda. Aliorum etiam conſilia audiebat, libentérque ſequebatur, ſi judicabat eſſe accommodata. Et hæc de ipſo breviter, ac paucis dicta, coronet fama communis tam* Noſtrorum *privata,* quàm

Digitized by Google

quàm publica Externorum, *qui illum tanquam* virum Sanctum *ſemper ſuſpexerunt, & prædicârunt, ſerium in omnibus, in ſpiritu ſolidum, prudentem in Conſilijs, in negotijs expertum, moderatum in agendo, in regendo ſedulum, & longanimem, in amore, & honore proprio mortificatum. Qui noverunt illum à viginti, triginta, & quadraginta annis, affirmativè laudant omnes ejus in ſtudio virtutum inconcuſſam conſtantiam, dicúntque illum ſibi ſemper ſimilem, & unum, eundémque fuiſſe, & ab inita via perfectionis nec latum ungvem deflexiſſe, ac ſemper fuiſſe gravem, & ſerium, ab humanis abſtractum, cum DEO conjunctum, mortificatum. Denique quocunque nos vertimus, ſive conſideramus dies, & annos, quibus in Societate vixit, ſive functiones, & munia, quæ in eâ obivit, ſive exempla, & documenta virtutum, quæ nobis dedit, ſive ea omnia, quæ & fortiter egit, & patienter toleravit, ubique quaſi importunè occurrit pulcherrimum illud Sanctæ Matris Eccleſiæ de SS. Confeſſoribus Elogium:* Ecce homo ſinè querela, verus DEI cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in Innocentia ſua!

Hactenus teſtimonium de virtute VEN: hujus Patris, quod qui virtutem norunt, & in quo vita Spiritualis, & Religioſa conſiſtat, ſciunt, ſinè dubio pluris æſtimabunt, quàm ſi de eo miracula neſcio quæ prædicari audirent.

Adjiciam noviſsimè *novem ſolatia*, quæ paulò ante obitum ſuum Amico dictarat P. Stredonius, quorum meditatione lætus moreretur:

I. Quòd centuplam Superiorum erga ſe infirmum charitatem experiretur. Solatia morientis.
II. Quòd ſi unquam, tum voluntatem haberet cum Deo conjunctam.
III. Quòd ſuorum Superiorum voluntatem feciſſet omni tempore.
IV. Quòd nullum mortalium ex propoſito offendiſſet.
V. Quòd fideliter adminiſtraſſet, quæ ſpectant ad cultum Divinum.
VI. Quòd ipſum DEUS morbis exercuiſſet.
VII. Quòd ab ipſa Infantia à Beatiſſima Virgine mirabiliter fuiſſet educatus.
VIII. Quòd florem virginitatis ſperaret ſe illaturum ſepulchro illibatum.
IX. Quòd moreretur Filius Sanctæ Rom: Eccleſiæ, & S. Matris Societatis.

Tit. LXI.

R. P. Andreas Metſch Societatis JESU, Vir Apoſtolicus.

FUit hic Vir maximis ad dicendum pro Concione ſacra præſidijs à DEO 1651. inſtructus: audivi ſæpe dicentem ad populum, cùm velut *Pericles* permiſceret omnia; ridebat cum eo, & flebat populus, & quidquid is in- Eloquentia ejus. cœptaret; Brunæ An. 1636. feſto Nativitatis, dum JESUM recens natum, & ex eo nato Cœli & terræ, Angelorum, Cœlitum, Patrum, & totius generis humani lætitiam deſcribit, inſanire videbatur affectu, ſed *dulce eſt*, ait ille, *de-*

Digitized by Google

ſipere in loco. Cantillabat & ipſe verſiculos Chriſto nato, & populus, quod antè non audierat, ſequebatur cantando, quisque modulabatur; ùt poterat, póſtque paululum dante illo ſignum, conticeſcebant univerſi, tum iterum ciebat ille lacrymas, & gemitus eliciebat ex cordibus; nihil ſimile in vita vidi, aut audivi: riſus, fletus, cantus, gemitus, genua ponere, ſurgere, rurſus flectere, abjicere ſeſe, repetere clarâ voce, quod repetendum Pater monebat, idem erat populo; imperabat in animis, ſed imperium moderatè, & prudenter exercebat, nihílque imperabat, niſi quod ab Auditoribus impetrare ſe poſſe ſciebat; ſed ad hiſtoriam vitæ veniamus, quam brevi indiculo pro tantis rebus geſtis complectemur; Natus eſt P. *Andreas Metſch Ridlingæ in Svevia* An. C. 1586. 12. Menſis Julij. in *Sileſiam* venit admodum puer, vocatus cum parentibus ab *Avunculo Jerino*, qui poſtea ſæculi hujus initio *Wratislavienſem Epiſcopatum* adeptus eſt. Ut primùm *Andreas* ex Ephebis exceſsit, ſtatim ad *Societatem* animum adjecit, ob id ſæpiſsime à Parentibus (qui in eo ſpem collocârant ſuam) tum ab Avunculo verbis, colaphis, & verberibus vapulans, denique conſtantiâ evicit, ut An. 1603. *Brunæ* bonâ omnium gratiâ in Societatem reciperetur. Tranſilio ſtudiorum annos omnes; mox ut adhiberi ad Conciones cœpit, placuit, eámque provinciam concionandi per annos continuos 40. in varijs *Auſtriæ*, *Moraviæ*, *Sileſiæq;* Collegijs ſemper cum dignitate & præſenti fructu ſuſtinuit; diligentiſsimè præparabat ſeſe, neque unquam ſatis aut ingenio, aut memoriæ ſuæ, imò neque judicio fidebat, quin ex alijs quæreret, quid aptum eſſet, quid minus; ſæpe etiam jam ſenior non dedignabatur Juvenes noſtros conſulere, ſummâ demiſſione animi, & comitate verborum ſciſcitans, quid in hanc, vel illam Evangelij ſententiam legiſſent. Sed jam ad *Apoſtolica*, quæ DEUS per eum operatus eſt, merita veniamus; reliquit enim P. Andreas poſt obitum *Indiculos*, tum ad exemplum, & imitationem ſociorum, tum ad gratias DEO agendas, & ſeſe erigendum, ſi quando fortè, ùt Sanctis Viris evenit, contraheretur animo, tum alijs pijs de cauſſis; reliquit, inquam, *Indiculos*, in quibus perpetuatâ in omnes vitæ annos diligentiâ de nomine annotârat, quos ad Religionem Catholicam Divinæ Gratiæ beneficio (id enim ſemper addebat) adduxiſſet, quos in peccatis malè hærentes ad pœnitentiam, quos ad vitam ſanctam excitâſſet, quos DEO ſervâſſet; ex illo igitur Indiculo quæ ſequuntur deſcribo: *Hæreticos* ſanctis, & doctis colloquijs *decem millia, & duodecicenos*, præter calculationes quasdam notis arcanis conſcriptas, quas intelligere non licuit. *Miniſtros ſeminiverbios*, ut ità dicam, *Prædicantes* paſſim vocant, *novem* de nomine recitabat, qui Fidei noſtræ lumen agnoverint, publicè revocatis erroribus; *Apoſtatas* reduxit ad religionem *novem ſupra centenos:* addit duas inſuper de grege altero inventas *oves*, *quæ perierunt Domûs Iſraël* (Judæos intelligi puto) Qui poſt Conciones dè gravitate peccati, de Confeſ-

Nativitas.

Vita Apoſtolica.

Fœlices ejus labores.

Digitized by Google

Confeſſionis integritate habitas, intus monente DEO Tribunal ſacrum acceſſerint, vitam omnem cum dolore intimo retexentes, numerat *trecentos octoginta quinque*; fuêre ex Auditoribus quodam in loco *viginti unus*, qui mox à Concione peccata omnia aperuerint. *Cœnobia quinque* tam Virorum, quàm Virginum in quibus collapſa penitùs erat Religioſa diſciplina, primævo flori reſtituit. Virgines, & Viduas, quæ ſeſe voto Caſtimoniæ edito, licèt velatæ non eſſent, DEO conſecrârant, diverſis in locis, ac temporibus in via ſpirituali direxit, numero *triginta novem*. Sodalitates Marianas Româ impetratis literis inſtituit, ac Romanæ Sodalitati, ùt mos eſt, conjunxit, primúsque promulgatis legibus, ſtatutis, conſvetudinibus eaſdem rexit, *octonas* numero. Peregrinationibus Populorum ad *Beatiſſimæ Virginis Templa* præfuit, duxítque agmina propè ſinè numero, gloriaríque in Domino ſolebat, primam ſe ad recèns exſtructum Divæ Virginis Sacellum ad *Brunam in Leſch* ſupplicationem adduxiſſe, & primum ſub dio ad populum de *Laudibus Virginis* ſermonem habuiſſe. Habebat etiam in numero Confœderatorum ſibi nomina ampliùs *quadraginta*, pro quibus quotidie nominatim ſupplicabat DEO, ſperans viciſſim eorum ſanctis Orationibus adjuvari. Jam verò pretia, quæ in pias cauſſas, & pauperes ab opulentioribus totâ vitæ religioſæ ætate emendicaverat ſumam conficiunt *novem millium*, & 171. florenorum. Pauperes, quos ex ſtatu meliore dejectos, pudor mendicare non patitur, ipſe licèt mendicus, *quatuordecim adjuvit* ex integro, & alia *quatuordecim paria Conjugum* ad incitas fortunæ iniquitate redactorum; viduas deſolatas ſtipe procuratâ ſolatus *ſex* ſupra *quinquaginta*, præter pupillos, alióſque egentes, quorum numerus iniri non potuit. Hæc ex illo, quem laudavi libello. in quo etiam Feſta ſua, quæ per annum celebrabat in cubiculo, & Ephemerides quædam cæleſtium beneficiorum, in quibus menſem, & diem annotârat, quid quâque menſis die gratus recoleret, ùt *Natalem ſuum*, *primam SS. Euchariſtiæ ſumtionem*, *vocationis beneficium*, *ingreſſum in Religionem*, *Votorum diem*, *Primitias Sacerdotales*, aliáque plurima. Nemo P. Andream unquam vidit cubiculo exeuntem, quin manu *Roſarium* teneret, & Virginem ſalutaret; multas ejusmodi coronas Divinæ Matri quotidie perſolvebat; nihil inchoabat, quod non priùs ſacris *JESU, & MARIÆ* nominibus initiaret. Ob has Apoſtolici Viri virtutes maxima in veneratione omnibus, præſertim Eccleſiæ Antiſtitibus fuit: *Franciſcus Cardinalis à Dietrichſtein* Patri *Andreæ* perſamiliaris dictitabat: *hunc eſſe fidum ſibi in propaganda fide Catholica adjutorem, verum Iſraëlitam, in quo dolus non eſſet.* Idem Cardinalis non ſemel cùm P. *Andreas* teneram ætatem Chriſtianæ Fidei elementis inſtitueret, inferebat ſeſe puerorum turmis, & velut collega adjuvabat, & præmia ſe digna inter diligentiores, quos *Pater* comendâſſet, manu ſuâ dividebat. Sereniſſimus *Carolus Archidux Auſtriæ*, Wratislavienſis

Cura Pauperum.

De eo Teſtimonium Card. Dietrichſteinij.

 Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus P. *Andream* (in converſione ſuorum Niſſenſium) *manum* ſuam *dextram* appellabat. P. *Guilielmus Lamormeini* Ferdinando II. Cæſari à ſacris Confeſſionibus Virum verè *Apoſtolicum* nominabat. R. P. Gregorius Rumer *Concionatorem exercitatiſſimum;* Eccleſiaſtes ex Ordine Capuccinorum S. Franciſci *Brunæ*, *Virum* eſſe dicebat *incomparabilis charitatis*. Tandem, cùm vitæ annum 65. compleſſet, & An: 1651. 21. Februarij ad populum in 40. horarum precibus, vegetus adhuc manè dixiſſet, feriâ ſequente, apoplexiâ nemine conſcio, contactus, cùm in prandio non compareret quæſitus, ſemianimis in cubiculo repertus eſt; ſed mox recreatus, & deinde omnibus Sacramentis piè munitus, alterâ die ad beatitudinem æternam exceſſit. *Obitus.*

Tit: LXII.
R. P. Bernardus Oppel Societatis JESU.

1651. *Genus.* Pater Bernardus Oppel Olomucij Moravorum illuſtri loco natus, cùm ob egregias animi, ac corporis dotes, in *Canonicorum Collegium* ibidem fuiſſet adſcitus, avunculi ſui *Wenceslai Pillar* Viri nobiliſſimi, qui Præpoſituræ dignitate depoſitâ, *Societatem* amplexus erat, exemplo provocatus, & ipſe *Societatem* noſtram adamavit, in quam receptus viginti novem annos univerſim, à quatuor verò votorum Profeſſione tredecim, & ſuo, & aliorum emolumento laudatiſſimè tranſegit. Erat in eo præter eximium humilitatis, pietatis, obedientiæ, & charitatis religioſæ ſtudium, animarum zelus plusquam ſingularis. Adhuc ſtudijs *Philoſophicis* intentus, illud à Superiore obnixè petijt, & impetravit, ut (quod antehac *Pragæ* erat inſolitum) liceret ſibi ſacro linteo (quod ſuperpelliceum vulgò dicimus) induto, per vicos, & compita pueros, ac rudes ad doctrinæ Chriſtianæ rudimenta capienda, in unum cogere, atque ad Templum aliquod deductos, de rebus ad ſalutem neceſſarijs edocere. *Zelus animarum.* Quod tanto fervore, ac fructu executus fuit, ut *Archiepiſcopus Erneſtus Cardinalis* dignum cenſuerit, in cujus gratiam aliquot millia libellorum, Catholicam doctrinam brevi compendio complectentium, ſuis impenſis, publicis Typis curaret evulgari, & inter rudem plebeculam ipſius operâ diſtribui. Ad Sacerdotium evectus, reliquam omnem vitam animarum ſaluti procurandæ addixit, atque in primis novemdecim propè continuos annos in præcipuis Exedris pro Concione ad populum dixit, eâ contentione, & animarum Chriſto lucrandarum ardore, ut morbum, quo im̃aturè, ùt videbatur, extinctus eſt, nimio concionantis ardori *Medici* judicaverint adſcribendum. Quod à concionibus temporis liberum nanciſcebatur, id totum viſitandis ægris, ſolandis afflictis, & incarceratis, procurandis in pauperes (ſed præcipuè eos, quos Nobilitatis ratio mendicare prohibebat) eleemoſynis, reis ad extrema ſupplicia æquo animo ferenda animandis

Digitized by Google

dis, hæreticis convertendis impendebat. Quo in labore ità fortunatus extitit, ut multas nobiles perſonas, præcipuè verò fæminei ſexûs, exilium, & fortunarum omnium jacturam, tuendæ hæreſi poſthabentes, magno Illuſtrium Familiarum ſolatio, ad orthodoxam Fidem reduxerit; in eorum ſalute procuranda ità pertinax, ut nec intentato ſcoparum plagiario ſeſe ab inculcanda cuidam *Nobili Matronæ* Orthodoxæ Fidei doctrina permiſerit abſterreri. Nec minora illi in domeſticos, quàm externos viſcera charitatis: Cùm *Rectorem Collegij Neo-Pragenſis* in magna rerum domeſticarum penuria ageret, non ſemel veſtimenta corpori ſuo detrahens, indigentibus accomodabat; cúmque eâdem tempeſtate contagioſo morbo domus infecta laboraret, nec ipſis *Templi calicibus* parcendum cenſuit, cùm aliter infirmorum, aut periclitantium Fratrum neceſſitatibus ſubvenire non poſſet. Eam in omnes charitatem videtur etiam quandoque DEUS eventibus prodigio non abſimilibus voluiſſe remunerari. ut enim inſperatas prorſus eleemoſynas, & opportuna paupertatis remedia ſupra expectationem obvenientia taceam, cùm aliquando decem numos argenteos, quos unos reliquos domeſtica paupertas habebat, éxterno cuidam valde egenti, heroicâ charitate ſubminiſtrâſſet, ad ſcriniolum reverſus, totidem numos aureos ejuſdem formæ, & figuræ, eodem loco, unde argenteos exemerat, reperit, authore præter DEUM fruſtra quæſito, nec invento. Quæ porrò ad cultum Divinum pertinere viſa ſunt, eò ſtudio procurabat, ut multorum Templorum (præcipuè *S. Salvatoris Pragæ*) ornatus, ejus induſtriæ, labori, ac ſollicitudini meritò debeat majori ex parte imputari; denique ad mortem uſquè ſibi ſimilis, necdum plenè octimeſtri in *Rectoratu Collegij Brzeznicenſis* exacto, hydrope pectorali obrutus, migravit è vita, 29. Decembris, Anno 1651. in *Collegio Pragenſi ad S. Clementem*, in quo dum valetudini curandæ intentus *Medicorum* conſulendorum gratiâ hoſpitatur, mortis inhoſpitalis ictu occubuit, multáſque ſecum ſurgentis Collegij ſpes incîdit. Hæc ex *vitæ* ejus *Elogio*, & *Annalibus Provinciæ Societatis JESU in Bohemia* deſcripſi.

Charitas ejus.

Obitus.

Tit: LXIII.
Maria Maximiliana ab Hohenzollern.

post 1650.

Genus.

Nihil de Illuſtriſsima, & *Electoribus Brandeburgicis* agnata Comitum *Hohenzollerianorũ* familia (ex qua *Maria Maximiliana* prodijt) à me commemorari poteſt hoc loco; ſed neque virtutem & ſanctimoniam ejus prædicare, & amplificare dicendo, in ſubventaneo hoc, & compendioſo opere neceſſarium eſſe duxi, cùm & *Vitam Mariæ* locupletiſsimam ab eo, qui à ſacris fuit, conſcriptam, & dubio procul aliquando Typis edendam, & Orationem funebrem cum ſumma totius Coronæ approbatione dictam

 habea-

Digitized by Google

habeamus in manibus; compendio igitur, ùt fecimus hactenus, utemur.

Conjugiū. *Maria Maximiliana Hohenzolleriana*, cùm ad maturitatem ætatis perveniſſet, à pluribus Dynaſtis præpotentibus ob formæ elegantiam (ob quam ferebatur in primis) ſed magis ob vitæ innocentiam, moréſque ſvaviſsimos expetita, tandem *Joachimo de Nova Domo*, *Adami de Novadomo ſupremi Regni Burggravij* filio vênit in manum; ſterile id conjugium fuit: *Joachimo* elato, *Mariam* ſibi in Conjugem optavit *Adamus de Sternberg*, Vir inter Catholicos Boëmiæ Proceres primæ authoritatis, qui ex ea complures liberos, intérque eos *Mathiam Franciſcum* trium illorum, quos noſtra ætas florentes videt (*Wenceslai*, *Norberti*, *Ignatij*) patrem ſuſcepit. Poſt ſecundi hujus Mariti, qui ſummum Regni Magiſtratum diu geſsit, obitum, annis continuis 25. in viduitate permanſit: neque tum primò ſtudia pietatis & virtutum aſſumſit, ſed cùm jam indè à pueritia omnem vitam ad rationes æternas retuliſſet, nacta vidualem ſolitudinem, omnia propoſita perduxit ad ſummum; quidquid ſuppetebat temporis, in DEO, & in Divinis conſumebat; *ſoliloquia & Meditationes D. Auguſtini* aſsiduè verſabat manibus, & propè jam tenebat memoriâ; *SS. Euchariſtiam* feſtis diebus omnibus ſumebat pietate ardentiſsimâ, ad ídque ſe toto priori die, & multâ noctis parte mille aſpirationibus comparabat & votis, gratijs verò agendis flexis ſemper genibus ultra meridiem occupabatur in Templo.

Præparatio ad S. Communionem

Octiduum illud, quo *Feſtum SS. Corporis Chriſti* ſupplicationibus celebrat Eccleſia, totum in lacrymis doloris & amoris traducebat; nihil erat domi aureum, nihil argenteum, aut gemmeum, nihil pretio, elegantiâ, vel arte præſtans, quod non libens ad ornatum dierum illorum conſerret. Imaginibus pijs, ſed maximè *S. Veronicæ* tabulis mirè afficiebatur, iíſque plurimùm, ut dolori ſuo pabulum daret, tenebatur; cubiculi partes omnes, imò & ipſe, quo vehebatur, currus ſacris Imaginibus collucebat; ſed major in *Divorum lipſanis* hònorandis pietas, quæ ſæpe ſingulari & invidendâ felicitate comparatas, cultui publico proponebat. Templo nonniſi Sacris omnibus peractis recedebat; qui currum redeuntis videbant, omnia jam finita eſſe habebant pro certiſsimo. *Sodalitati* pro defunctis in *Domo Profeſſa Societatis* (quæ poſtea *Illuſtriſſimæ Matronæ Kolovvratianæ Luciæ* legato divite maxima ſumſit incrementa) primum *Maximiliana* noſtra dedit initium, omnem illius pietatis OEconomiam, quæ cum approbatione ſumma omnium Ordinum peragitur, ordinavit, confirmationem ejus Sodalitij cum diplomate, & Imunitatibus multis à *Romano Pontifice* impetravit, fundamenta prima ſacelli illius ſanè auguſti poſuit, plaſtico opere fornicem incruſtari, picturis & tabulis artificum parietes exornari juſsit, cáque omnia, nè à quoquam opus impediri poſſet, mirabili celeritate perfecit, plerisque quid ageretur, ignorantibus, & denique nè pro authore haberetur, in rationum libris nomen ſuum vetuit appo-

Fundationes.

apponi, quaſi ex occulto ſubminiſtrarentur pecuniæ. Eâdem arte, & bono dolo fiebat, ut nemo ferè pauperum ab ea indonatus abiret, à quo tamen ſtips illa veniret, in vulgus ignoraretur. Abſtinentiâ in edendo admirabili cùm eſſet, eſcæq; pauciſſimæ, neque altilibus unquam, aliíſve gulæ cupedijs veſceretur, jubebat tamen opiparè menſas exſtrui, ut alijs edenda ſuppeterent quàm plurima, erátque multùm moleſta convivis, ſi ante cibos otioſi ſederent; at ſi bene pranſos videret, gaudebat, & plena ſolatio honoratam ſe vero & læto vultu teſtabatur. Familiariùs etiam cum grege pauperum anicularum agebat, ſuis ipſa manibus in ollas pauperum, cibos etiam pretioſiſsimos indens, vel infundens, per jocum dictitans: *ollas & ſcutellas diligenter delingerent, ut ſplenderent, ità fieri, ut nebulæ diſſiparentur, & ſerenus aër fieret;* quod in proverbium apud pauperes vertit, cùm dicerent: ſe ad *Illuſtriſſimam HohenZollerianam* pergere, ad cœlum ſerenandum; at illa joco illo ſignificabat, cœlo placere, ſi pauperes paſcerentur. Demiſsione animi, nulli præferebat ſeſe, animóque inſculptum habebat, ſe mortalium omnium deterrimam. Ut olim in conjugio, imperio *Catharinæ de Montfort* (Conjugis ſui Matris) regebatur in cultu, & formam monilibus, gemis, aliíſque muliebribus divitijs augere & accendere ſolita fuit, ſic poſtea in viduitate, *Catharinâ* mortuâ, abjecit omnia, palliolo lacero, capite linteato procedens in publicum, factúmque eſt ridiculè, ut humi flectenti in Templo ex tribu Sellulariorum quiſpiam, qui eam mendicabulum eſſe putaverat, teruncium daret in manum; accepit *Maria* cum gratijs, at filia *Illuſtriſſima* ex ſubſellijs factum conſpicata, clamorem ſuſtulit: *Domina Mater*, inquit, *mea hæc eſt, proinde abi furcifer! injuriam generi noſtro facis!* Continuò Mater pro imperio ſilere filiam juſsit, cum addito: *utinam digna forem inter Chriſti pauperes numerari!*

Miſericordia in egenos.

Abjectio ſui.

A nemine, præter pauperes, Natalem ſuum celebrari patiebatur *Maria:* offerebant pro die Natali pauperes aſſa poma, cruſtula butiro perlita, ſiccata pruna, vel pyra, placentulas carioſas & corruptas, & quæ moroſi divites non dignarentur aſpicere; at *Illuſtriſſima heroina*, quæ ſe infra omnes ponebat, hæc menſæ ſuæ jubebat inferri, deguſtabat per delicias, & quodammodo liguriebat; at pauperes læti, & majoribus pretijs redonati *pulchrè fœnerato beneficio*, ùt ait Comicus, diſcedebant. Sed quid opus minutias haſce perſequi, cùm *Illuſtriſſima* hæc *Matrona*, quidquid habuit, in pauperes Chriſti diviſerit? Contubernium Adoleſcentûm pauperum, qui literis darent operam, atque unà in *Eccleſia* ſymphoniacè canerent, cum glore ſua *Lucia*, & *Catharina Montfortia* Conjugis ſui Matre *Novædomi* An. 1608. fundavit liberaliſſimè; at *Collegium in Nova Civitate Pragenſi* ſola, & ex dote ſua itidem cum Seminario piorum adoleſcentûm. Tantâ verò & tam magnanimâ liberalitate Cœnobia & ſacros Parthenones hîc, & in alijs procul terris pro-

Digitized by Google

proſecuta eſt, ut ab ijs pro altera Fundatrice haberetur, quibus per intervalla 100. 200. 400. atque etiam 600. pluréſque aureos, ùt earum poſcebat paupertas, transmittebat.

Educatio liberorum.

In educatione liberorum difficile dictu eſt, quàm ſe heroicam, & quàm diligentem oſtenderet; primas voces liberorum *JESUM, & MARIAM* eſſe cogebat, duplices ad ſidera palmulas attollere, crucem in fronte formare, antè quàm loqui poſſent, docebat. Cùm minimus natu filiolus animam ageret, imperio Matris *Crucem* effingere connisus, in eo conatu expiravit; placuiſſe iſtud DEO eventus miraculo ſimilis oſtendit: quippe poſt tot luſtra, toto reliquo corpore (præter oſſa) in cineres abeunte, manus illa, quæ *boni Pueri* dicitur, in hodiernum uſquè diem incorrupta, & carne obducta monſtratur. Filij, ut Præceptoribus dicto audientes eſſent, ſeverè jubebat. fuit, cùm ex ijs aliquis ſat inclementer virgis, ùt merebatur, à Præceptore acceptus, vibicibus coloratis, & adhuc ſerventibus coopertus, ad *Matrem* cum querelis, & lacrymis accurreret, ſtatim *Mater* è conſpectu filium juſſit faceſſere, atque iteratò à Præceptore caſtigari.

At nè narratio hæc mea nimiùm excreſcat, finem imponam; ex minimis rerum maximarum à prudentibus argumenta petuntur: in morbo ſupremo quanta pietatis, quanta patientiæ, demiſſionis, & obedientiæ edidit documenta? quàm dolores omnes contempſit, quantum diſſolvi, & eſſe cum *Chriſto* deſideravit? omnia peracta ex legibus perfectæ, conſummatæque virtutis. Confeſſione peccatorum expiata, Viatico cœleſti refecta, oleo ægrotantium delibuta, vale omnibus, præſertim familiæ, dicto, cùm nihil poſtea, nisì divinum & cœleſte audire ſuſtineret, inter ſummas animi voluptates, *Chriſti Cruci affixi* ſignum complexa, beatam animam reddidit Creatori ætatis annò 69. exeunte.

Obitus.

Tit: LXIV.

Wilhelmus Comes Slawata Cancellarius Supremus Regni Bohemiæ Annis vicenis & quinis.

1652. 19. Jan:

NOlo hoc loco, nè quis erret, honores, dignitates, & prærogativas, quas in ſe, ſuámque Excellentiſſimam ſtirpem (quam ſervet Divinitas!) *Wilhelmus* pro merito tranſtulit, & cum dignitate geſſit, percenſere; qui legere iſta cupit, conſulat apud noſtrum *Crugerium* 19. Menſis Januarij diem. nos hæc latiùs poſtea, cùm de *Nobilitate Bohema* agemus, pertractabimus; Virtutes tantùm Viri præclariſſimas, & geſta pulcherrima, quatenus imitationi Procerum ſubeſſe, & proponi etiam poſſunt, ſumatim adducemus. *Wilhelmus Slavata Adami Slavatæ ex Kurtzpachiana* nobiliſſimæ ſtirpis matrona genitus, primùm *Piccarditicam* hæreſin ſuxit cum lacte, neque

Natales.

Digitized by Google

neque vulgari ſorte contentus, ipſam medullam hæreſeos combibit *Pecznovskyorum* ſectæ, qui alio nomine *Fratres flentes* (ùt in hæreſibus dicemus) appellabantur: ipſe hæc de ſe in *Apologia* adversùs *Mathiam Comitem de Turn* comemorat, recitátque etiam duas, trésve Conciones oppidò ridiculas in exemplum. Juvenis, & penè adoleſcens præcipuas *Europæ Provincias* peragravit, ob ingenij præſtantiam, & ſuaviſſimam, & paratam omnibus humanitatem charus æquè Proceribus Catholicis, ac hæreticis, magnáſque tum adhuc juvenis de ſe ſpes in Patria concitavit, adeò, ut juvenem *Wilhelmum* toti *Nobilitati Bohemicæ* ad imitationem proponere auſus ſit *Chriſtophorus Harant* Ulyſſes Bohemicus *præfatione ad Itinerarium* ſuum. Hærebat *Novædomi* præcipuè, quod *Avus Dionyſius Slavata Eliſabetham de Novadomo Joachimi de Novadomo Aurei Velleris Equitis, & Supremi Cancellarij Sororem* in conjugio habuerit, & Parens *Adamus Slavata* (ùt tum erant tempora) *Adamo de Novadomo Supremo Cancellario*, & poſtea *Burgravio Pragenſi* in omnibus ditionibus *Aureæ Roſæ Procerum* regendis operam navaret ſuam; ibi in familiaritatem *Societatis noſtræ Patrum* ingreſſus, ab *Joanne Rotario*, *Collegij Soc. JESU Rectore*, aliíſque Patribus, *Piccarditicos* dedoctus errores, *Catholicam* amplexus eſt fidem, paulóque pòſt, agente potiſſimùm eodem *Rotario*, qui conſcientiam *Luciæ Novodomenſis Adami filiæ* regebat, dejectis corrivalibus maximis *Petro Roſenſi, Joachimo Sſvvambergio &c.* nuptias cum eadem *Lucia* celebravit. Admoveri ſtatim maximis honoribus cœptus eſt, quos referre non vacat; in ſuma: exceptâ *Appellationum Præſidis, & Burgravij* dignitate, omnes Regni honores tranſcendit; Religionem Catholicam, & fidem in regnantes, præcipuo ſemper ſtudio promovere, & tueri, cura ingens *Wilhelmo*, atque inde paratum odium; quod, cùm hæretici, ac rebelles ordines, nisì cæde *Wilhelmi*, explere non poſſent, An. 1618. cum *Jaroslao de Martinicz*, ex altiſſimi ſenaculi feneſtris in mortem certiſſimam (nisì DEUS, & ejus Mater invocata, miraculo avertiſſet periculum) jecerunt, rati, columnis hiſce duabus ſubtractis, Religionem Catholicam ruituram. Biennio deinde privatus, & in exilio *Paſſavij*, pro fide in Regem ſuum, & pro Religione conſtantiſſimè, & patientiſſimè omnia toleravit. Partâ de hæreticis cæleſti victoriâ, ad *Aulam* vocatus, totum ſe Patriæ cadenti, & brevì ad incitas redigendæ, quâ poſſet ope adjuvandæ libenter impendit; non ille vindictam, Chriſtiano homine, & Viro forti, & heroico indignam cogitare, non inſultare victis, non impellere in caſum, quos odiſſe poterat, non alienis bonis creſcere quæſivit, adeò (quod ante annos propè vicenos in *Meliſſis* ſcripſeram) nec terræ pugillus nominari in ditionibus Slavatinis poteſt, quem aliena calamitas, & proſcriptio ſignaverit. Quot ille familias nobiliſſimas in Regno ſervavit! quot comendatione ad *Regem, & Cæſarem Ferdinandum* ſuâ, in exilium deportandos detinuit, qui poſtea de

Religione Cath: amplectitur.

Ejicitur ex Senaculo ab hçreticis

Meliſ. Examen. præf. ad C. Ferd. Slavatam.

Multos in Patria detinet.

Zz Reli-

Religione meliùs informati, acceſſêre Catholicis, & ditionibus aut ex toto, aut ex parte receptis, propagavêre familiam, hodiéque eorum *Illuſtriſſimi Poſteri* cenſentur in Regno. Innumeros ejuſmodi nobiliſſimos Viros, ſi odium non timerem, enumerare poſſem. Patriam comendare Regi ſuo nunquam deſiſtebat *Wilhelmus*, & cùm aliquando ab *Oratore in Collegio Novodomenſi Pater Patriæ* appellatus eſſet, gratanter accepit, reſponditque: unum hunc titulum ſe ambitiosè expetere, licèt ab ipſis Patriotis, ùt ajebat, impediretur, qui ob ſua privata comoda, & comendationem ad Principem, neſcirent, aut ſcire nollent: *Patriam longè Patribus, & Matribus cariorem eſſe nobis oportere.* *Wilhelmi* opus eſt (quanquam in hoc opere *Sternbergicos, Waldſteinios, Talenbergicos, Kolovvrataeos, Lobkovvicios præcipuè, & Berkas, Rziczanios, Wratislavios, Czerninios*, aliósque plures ſocios, & adjutores habuerit) ipſius, inquam, opus fuit impetrata, & à *Ferdinando II.* data publico diplomate toti *Regno Bohemiæ, & Ordinibus* omnibus venia, oblivio rerum præteritarum, *priorum Privilegiorum* nova inſtauratio, & confirmatio, quæ poſtea etiam in *Novellas* eſt inſerta. Habui in manu grandem literarum *Wilhelmi* codicem, quos ad diverſos Proceres dictavit (*Maculatoriũ* titulus fuit) in quibus de fælicitate Regni recuperanda, de minuendis oneribus, de Nobilitate locupletanda, aliáque hujusmodi inculcat, éſtque hoc velut unicum earum literarum argumentum. *Societatis noſtræ* operâ præſertim utebatur in ſacris, habebátque in *Aula duos*, quorum conſilia in conſcientiæ arcanis ſequeretur: quothebdomadis *SS. Eucharistiam* ſumebat, tenerrimâ uſquè ad lacrymas pietate; *Exercitia ſpiritualia S. P. N. Ignatij* quotannis octiduo, procul amandatis curis omnibus, ſolo, qui ei erat à ſacris, teſte, peragebat, fructúsque omnes meditationum ſuâ manu in Libris ad id paratis, annotabat, quos Libros vidiſſe me, & legiſſe gaudeo. In Eccleſijs ſumam ſemper adhibebat magnificentiam; vel auguſtum *S. Mariæ Magdalenæ* Sacrarium id loquitur, in quod fabricandum duodecim millia expendiſſe traditur: *O Etingæ Veteris ante Divam*, quatuor *Miſſas* in hebdomade peragendas fundavit non parvis ſumtibus (ut alia taceam) Religioſis pluribus ad perpetuitatem de anona providit; animabus fidelium, quas piaculares flamæ detinent, eleemoſynis, & ſacris ferè quotidianis opitulari ſolebat. Unum omnium maximæ, & confirmatæ, atq; heroicæ prorſus virtutis opus pro coronide appono: cùm *Cancellarij Supremi* dignitatem adijſſet (meipſum, & verba, quæ ante vicenos annos ſcripſeram, hìc deſcribo) *Voto ſeſe jurato obligavit: nunquam ſe ullum munus à partibus litigantibus, vel eorum amicis, & cognatis, nullo unquam ſeu donationis, ſeu gratitudinis, ſeu quovis alio prætextu accepturum, nullâ, quæ excogitari poſſit, arte, ídque ſanctè DEO promittere. voluit ei voto ſolennitatem addere Wilhelmus*: nam *P. Wrotæus* Sacrum faciens rogatu *Wilhelmi* cum *Vener: Hoſtia* ſeſe ad *Wilhelmum* conver-

Amor Patriæ.

Obit quotannis Exercitia Spirit.

In ſacris liberalitas.

Munera recuſat ex Voto.

vertit, tum iſte votum ex formula legit, eóque lecto *SS. Euchariſtiam* in confirmationem percepit. Ipſum hoc votum *Wilhelmi* manu ſcriptum olim vidi, quod me tum non deſcripſiſſe non parum nunc doleo. Denique, ut finem ſemel faciam, *Wilhelmus* jam ad octogeſimum ætatis annum deſcendens, aulæ vale dicto, omnibus Sacramentis munitus, An. 1652. 19. Januarij vitâ exceſſit, quódque ſupremâ voluntate ſtatuerat, totiésque repetierat moriens, *veſte Societatis noſtræ indutus*, in eo ipſo, quod à fundamentis excitârat *S. Magdalenæ Sacrario Novædomi* humatus eſt, magnum, & rarum in Viro Principe pietatis, & virtutis exemplum. Obitus.

Adjiciam hoc loco *fructus quosdam Spiritualium Exercitiorum* Anno 1644. collectos, quos manu ſuâ *Wilhelmus* in Libro ſuo Arcano, quem in manibus habui, annotârat; ex hiſce pauculis (velut olim neſcio quis Sapiens *ex veſtigio magnitudinem Herculis* probavit) *Lectores*, Viri virtutem, & quantâ cautelâ homo id ætatis in Aulis Principum vixerit, intelligent.

Propoſita quædam Spiritualia Excellentiſſimi Domini Comitis Senioris Slawatæ Guilelmi A. 1644. In Exercitijs Spiritualibus S. P. N. Ignatij, ex Archivo Collegij Novodomenſi Societatis JESU.

PRopono I. *Singulis diebus Dominicis, & Feſtivis à meridie adire illa Templa, in quibus per aliquot horas exponitur* Sanctiſſimum SACRAMENTUM, *& ad minimum unam horam ibi orare.* Propoſita Guilielmi Slavatæ in Exercitijs Spiritualib⁹

II. *Si aliquando inſtituentur* Orationes *quadraginta horarum, me velle, in illo templo, ubi celebrabuntur, quolibet die unam horam orationi vacare.*

III. *Singulis hebdomadis die Lunæ apud Sanctum AUGUSTINUM in Sacello mortuorum, & die* Veneris *in domo Profeſſa in* Sacello Congregationis *horis conſvetis devotioni adeſſe.*

IV. *Singulis diebus à meridie velle (præter conſvetas meas* Orationes *pomeridianas) meditationibus pijs mediam horam, & diebus feſtivis integram horam conſumere, & ad meditandum velle ſumere illas ſententias, quas hoc itinere ex libello* Thomæ de Kempis *annotavi, & deſcribere curavi.*

V. *Cùm ſingulis hebdomadibus, tribus diebus*, die Mercurij, die Veneris, & die Sabbathi *(præter Vigilias quando aliquæ occurrunt) ſoleam ſolùm* collationem *ſumere; velle tunc temporis curare alicui ex meis famulis aliquem Spiritualem librum mihi legere.*

VI. *Convivia ſolennia velle vitare, & invitatus me excuſare, nec etiam me velle domi meæ convivia ſolennia inſtituere.*

Digitized by Google

VII. *Avanis, & otioſis colloquijs, & præcipuè verò ab obloquijs, & detra-ctionibus, tam in* Aula, *quàm* extra Aulam, *& eum utroque Sexu velle abſtinere.*

VIII. Soliloquia *cum ſexu fœmineo velle vitare.*

IX. *A* luſu chartarum *velle abſtinere.*

X. *Nunquam me velle* otioſum *eſſe, & me velle in* ſcribendo Hiſtoriam, *jam ab aliquibus Annis â me incœptam (in qua materia jam* ſeptem Libri Lingvâ Bohemica, & Germanicâ *ſatis prolixi, ſcripti, & perfecti ſunt) continuare.*

Et in reliquo cum auxilio DEI, & Beatiſſimæ Virginis *meæ ſingulariſſimæ Protectricis, & Advocatæ, conabor vitam inſtituere, ut cùm mors venerit paratum me inveniat.*

Tit: LXV.

Venerabilis Pater Nicolaus Lancicius è Societate JESU.

1652. 16. Martij. REverendum Patrem *Nicolaum Lancicium Bohemia* quidem non genuit, ſed longâ habitatione, & miro in hanc Provinciam amore, ſuum fecit, & numerat inter ſuos. natione fuit *Ruthenus*, *Vir Sapientiâ, & virtute clarus* (verba ſunt Philippi Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Soc: JESU) *docuit ſacram Lingvam, Controverſias, Theologiam Moralem, & Scholaſticam, & Divinas literas interpretatus eſt. Rector fuit Collegij Cracovienſis, & Præpoſitus Provincialis in Litvania, inde ad Provinciam Bohemicam translatus, formandis in tertia Probatione Patribus utilem operam exhibet.* Hæc Alegambe viventi adhuc Elogium ſcribens. Fuit *Nicolaus Lancicius* Inſtituti Societatis amantiſſimus, & peritiſſimus, peritiam acquiſivit longâ *Romæ* cōmoratione, ubi & *Tyrocinium* vitæ Religioſæ poſuit, & facilè vicenis quinis annis moratus eſt, nullam curioſitatem ſupervacaneam eſſe exiſtimans, quæ pernoſcendo penitùs Ordini *Societatis* impenderetur; *Archiva* omnia noſtra *Romana* ſurſum deorſum pervolutavit, cùm *Nicolao Orlandino, & Franciſco Sachino* pro ſcribenda hiſtoria Societatis materiam ex Archivis colligeret, ac ſuppeditaret; *triginta quatuor Familiares S. P. N. Ignatij* ſocios, familiariſſimè noviſſe ſe gloriabatur, & ex ijs duos è primis Patribus *Salmeronem, & Bobadillam* de facie nôrat, & hos & illos multis fatigans (præcipuè *Ribadeneiram*) quæſtionibus, ut initia Societatis omnia haberet perſpecta; legantur ejus *Opuſcula duobus Thomis* comprehenſa (quæ *Provinciæ Bohemiæ* dedicavit) tam enim reconditæ, & abſtruſæ in ijs *antiquitates Societatis* reperiuntur, ut neminem unum in eo genere parem ſit invenire. Sanctiſſimos quoſque in Italia Viros amicitiâ coluit, & ab omnibus doceri paratus,

Munia ejus

Res geſtæ.

Digitized by Google

ratus, mira didicit, quæ poſtea ſenex nobis certatim accurrentibus jucundè commemorare ſolebat: *S. Philippum Nerium* nôrat, & paulò ante mortem inviſit, à *S. Magdalena de Pazzis* ſæpe per Epiſtolam & amicos ſalutatus, & donis ejus honoratus; *Cœnobio Turris ſpeculorum Romæ* à ſacris confeſſionibus diu fuit, atque ibi *Mariam Bonaventuram Romanam Virginem*, Exercitiorum ope *S. P. N. Ignatij* ad vitæ eximiam Sanctitatem perduxit, cujus etiam vitam ſcripſit; *Julius Mancinellus* Vir magnæ Sanctitatis ſua illi ſpiritualia lumina, & illuſtrationes à ſe ſcriptas donavit, *P. Bernardus Colnagus* Vir Sanctimoniâ inclytus, vitam eidem ſuam omnem petenti narravit, *Generalis Franciſcani Ordinis S. Johannæ granum* donavit, quod ille alijs granis alliniens (ùt *Pontifices* permiſerant) per eadem grana & ipſe & alij mira (quæ in *Annalibus Provinciæ* leguntur) patravêre. Tricenis plura *Divorum Martyrum corpora è Cœmeterio Calliſti* à Pontifice cum authenticis ſuis impetrata, in *Bohemiæ Provinciam* invexit, & multis Urbium ſupplicationibus priùs honorata per Collegia diviſit, multis miraculis eorum invocationem ſecutis; tota hæc pietas optimi ſenis diligentiæ, & in Sanctis honorandis ardentiſsimo ſtudio debetur. Sed & ipſimet domi aderant, quæ domeſtici mirarentur exempla, imò & miracula, aut quocunque alio nomine appelles: nôvi, qui eum altè è terra ſublatum vidiſſe ſe teſtatur, cùm *S. P. N. Ignatij* (cujus ultra omnes alios Societatis *Divos* maximus erat amator, & heroicæ Sanctitatis æſtimator) orationem ardentiſsimam *uni ex Socijs Pragæ* laudaret; canebat præ dulcedine affectûs in *Miſſa*, & verbis Italicis modulabatur, neque tamen plenâ *Eccleſiâ* cantus ille audiebatur, niſi à pauciſsimis; nôvi, qui ſacrificante illo *Roſas ad Euchariſtiam* venientes, foliáque ſua ultro expandentes, quaſi viverent, viderat, quas *Roſas ſenex* manu mulcebat, & reponebat in locum. Mihi quoque præter alia admiranda, (quæ alio ſcripto complexus ſum, utpote ejus unius operâ ad pœnitentiam, & *Brunam* eo comitante ad *Religionem S. J.* adductus, & plurimis ejus colloquijs, & commercio literarum frequentiſſimo dignatus) mihi quoque mira cum eo contigêre; unum pro multis dabo: amiſerat omnia ſua *Adverſaria* rapta à prædonibus An. 1640. & tantùm non occiſus (tribus Socijs ante ſe peremtis) evaſerat (quam rem longum percenſere foret) & tamen libellos ſpirituales plurimos elucubrabat, & evulgabat; acceſsi aliquando ſenem, & quæſivi: *quomodo tot ſententijs SS. Patrum in libris uteretur, ut ei utramque paginam SS.* PP. *facerent, cùm adverſarijs ſuis careret?* reſpondit ſenex: *id eſſe obedientiæ præmium: cùm*, inquit, *è Collegio Cuttenbergenſi fugeremus, prædixi Rectori, tres è Socijs occidendos in via, me autem evaſurum, ſed ſcripta, quæ mihi vitâ ipsâ chariora eſſent, perditurum, proinde ut aliud iter imperaret; noluit Rector; ego ſciens & volens, intellectu captivato in obſequium obedientiæ, diſceſſi; ſed mitiſſimus* DEUS *mihi abundè reſtituit, quæ amiſi: nam quemcunque ex SS. Patribus librum aperio,*

Adfert Romá pluraSS Martyrum Corpora.

Quędam mira de eo narrantur.

Digitized by Google

ſententiam in rem meam ſemper invenio, & aptiorem, quàm ego omni humanâ induſtriâ, & multâ lectione poſſem invenire. *Fac*, inquit, *Balbine periculum; habebat ante ſe Lancicius Græcos* Patres (quorum ſtudio maximè tenebatur) ac nominatim *Damaſcenus*, niſì fallor, & *Baſilius* ſtabant in conſpectu; petit ſenex, de quo argumento vellem ſententiam habere ex *Damaſceno?* dixi (quod eſt rariſsimum) me de *S. Angelo Cuſtode* aliquid legere velle; nihil ille argumenti raritatem cauſſatus, ſublatis in Cœlum oculis, librum aperit, & mox digitum in lineam intendens: *En*, ait, *de S. Angelo Cuſtode ſententia!* erat, memini, locus pulcherrimus. Cùm admiratio creſceret, arripit *Baſilium*, rurſúsque temerè aperto libro, aliam de *SS. Angelis Cuſtodibus Baſilij* ſententiam digito cōmonſtrat; tum ego, facilè, inquam, Rev. Veſtra libros conſcribit: *Balbine, crede mihi*, ſubjicit ſenex, *Bibliotheca eſt huic viciniæ; ex ea unum refero Codicem, alterum adfero, rurſúsque tertium, quartum &c. atque ità mihi omnia ſponte incurrunt, ut quidquid cupio, id Sanctorum dictis ſtatim poſſim approbare.* Hoc certè, quod modò narravi, magnum ego ſemper miraculum, & fortè alijs miris nihilo inferius eſſe putavi.

Libelli arcanorum. Legi aliquot mihi ab eo familiariter conceſſos libellos, quos ad puſillanimitatem ſuam pellendam procul omni fuco conſcripſerat, plenos gratijs, & beneficijs cœleſtibus, miraculis, viſionibus, atque inter alia unam, alterámque rationem Conſcientiæ Superioribus more noſtro datam, in quibus ejusmodi plurima continebantur. Voto ſeſe obligârat, *S. Tereſiæ* imitatione perfectiora ſemper eligendi, venialia peccata deliberato animo nunquam cōmittendi &c. *Exercitia ſpiritualia S. P. N. Ignatij* tradebat dexterrimè, multóſque eâ ratione ad miram Sanctitatem adduxit.

Vaticinia. Charitatis ipſius habebat præcordia, mirus erat conſolationum artifex; ſi quid triſte cuipiam accidiſſet, & pateretur, tam tenerè ſolabatur, ut in cor ſuum dolores alienos transferre videretur. *Prophetiæ* dono illuſtris multa multis prædixit. Patri *Laurentio Teicher S. J.* conquerenti ſe non pingveſcere: *atqui*, ait, *olim ità pingveſces, ut vix per hanc januam tranſire poſſis;* res aliorſum accepta tum eſt; at annis vertentibus *P. Teicher* in hydropem incidit, & vaticinio fidem fecit; ſcio hominem, & vivit adhuc, à quo id jam Societatis Provinciale audivi, ſibi eam dignitatem triginta facilè, quàm delata ei eſſet, annis, à *R. P. Lancicio* eſſe prædictam; mihi quoque in juventute tenero, & imbecilli longiorem vitam, & ſenectutem promiſit. *Illuſtriſſimo Baroni Ottoni ab Oppersdorff* hærede maſculo carenti, certas in ſpeciem herbas (ad miraculum obtegendum) præſcripſit, & duas viriles proles (quod factum eſt) habiturum prædixit. Imitatione *S. Philippi Nerij*, quantum per Societatis leges licebat, virtutem factis aliquibus, quæ improvidi damnarent, obtegere ſolitus, tum maximè, ſi quid miraculoſum accidiſſet, ut opinionem Sanctimoniæ apud alios vitaret, & quodamodo corrumperet; quod, hujus conſilij ſui ignari, ac promti alienorum

norum

norum Cenſores, in argumentum alicujus vitij trahebant; at *Senex* deceptis illis gaudebat, ſemper ambulans in Divino conſpectu, *& neque manum*, ùt mihi confeſſus eſt, *ſine DEI memoria attollens.* Novî alium, qui cùm ſibi herniã creſcere confidenter ſeni aperuiſſet, ſubitò inviſibili manu ſenſerit ſibi eam corporis partem arctè premi, & ex eo tempore nunquam illius rupturæ moleſtias pertuliſſe, ac procidentiam illam viſcerum non ultra progreſſam, quin omnia vitæ officia comodè, & ſinè ullo impedimento peragere potuiſſe. Eâdem horâ *Brunæ*, *& Olomucij*, locis procul diſtantibus viſum eſſe *R. P. Lancicium*, collatis temporibus, plures affirmant; arcana cordium ſæpe illi Divinitus patuiſſe exemplis plurimis probari poteſt; in *Confeſſionum Tribunali*, ſi quis quid per oblivionem omitteret, monebat hoc vel illud omiſſum; obitus amicorum in Provincijs remotiſſimis ſæpius amicis indicavit; eodem die (quod teſtari ipſe jurejurando poſſum) *R. P. Danielis Kirchneri mortem Brunæ* obitam, & ejus ante mortem terrores, cùm ante morbum è curru caderet, mihi ab eo narratãm *Pragæ* memini, cùm nè quidem curſor id nuncium omni celeritate, vel ſi volaret, adferre potuiſſet. Ex purgantibus flammis animas mortuorum ſæpe ad ſe venire, & opem precum poſcere vidit; ſunt, qui audivêre poſcentes, & omnia lamentis implentes, alios, & alias cum eo ſpatiantes, & colloquentes. Plura hujusmodi mira commemorari poſſent; at exorietur aliquis forſitan, qui geſta tanti Viri, Virtutes, & miracula deſcribenda ſibi ſumet, quod omnes, qui Virum novimus, adhuc non fieri, impatienter, & dolenter ferimus. Dicebat ſe admiſſum in conſpectum Divinitatis poſt mortem, petiturum, ut nullos haberet honores, & ſperare ſe plures ſibi adverſaturos mortuo, quàm nunc viventi, ídque ſat diu duraturum; Adverſarios ſuos amabat tenerrimè, mihíque ipſi aliquando ſchedulam donavit, quam antè *ad pedes Crucifixi Salvatoris* ſuſpenderat, in qua cuidam graviter ſibi adverſanti bona omnia à DEO precabatur, mori pro eo, & ejus commodis eligens, aliáque ſinceri amoris vota, & veniam omnium injuriarum faciens, ut nihil tenerius eſſe poſſet. Obijt plenus dierum *Caunæ in Litvania* 16. Martij An. 1652. quò priùs ex *Bohemia* tum hoſtibus Svecis plena, multis Urbibus captis, redierat.

Miraculis ſimillima.

Amor inimicorum.

P. A.

Obitus.

Tit: LXVI.

Venerabilis Pater Joannes Nerovius Societatis JESU.

FUit hic *Pater* amabilis prorſus, & innocuæ ſimplicitatis, & Sanctitatis probatiſſimæ; natus eſt in Sileſia *Trechovij* An: 1589. 21. Septembris, miſſus ad ſtudia latinitatis *Olomucium, & Pragam;* Hinc rurſus *Olomucium* iter intendit, & inter Condiſcipulos ingenij & diligentiæ palmã obten-

1656. 25. Auguſti.

Genus & & prima ætas.

tentâ, Anno 1607. 25. Octobris inter *Societatis* noſtræ *Tyrones* cooptatus eſt: jam tum eum divina Majeſtas ſibi delegerat, quem dulciſſimâ ſemper, & affluente cum lacrymis pietate, ſibi nexu amoris perpetuo implicaret; ſed is cum pietate ſcientiam quoque conjunxit, & Græcis literis maximè iminens, Studia. primùm *Grammaticam*, deinde *Poëſin* (in qua felix eſt habitus) *Ethicam*, *Philoſophiam* perdocuit, & *Pragæ in Carolina Univerſitate cum Ven.* P. *Martino Stredonio Theologiæ Doctor* eſt creatus; diu tale par, ſive Doctrinam, ſive Sanctimoniam ſpectes, *Univerſitas* iſta non habuit. Sed *Nerovium* noſtrum à Scholis publica *Bohemiæ* neceſſitas ad *Apoſtolicas Miſſiones* tranſtulit, in quibus diu verſatus plurimis in *Diſtrictibus Bohemiæ*, ſed præcipuè ad *Gitzinium* Vita Apoſtolica. non parvum Oppidanorum, & agricolarum numerum *Chriſto*, & ejus Sponſæ *Eccleſiæ* adjunxit. Ibi illud accidit memorabile: Matrona moriens P. *Joannem* ad *Confeſſionem* advocârat; properavit *Pater*, ſed illa petitioni ſuæ Mirum quiddam. immortua eſt. Qua de re loci *Dominus* venientem Patrem admonuit; Pater nihilominus duci ſe ad mortuam jubet, remotiſque omnibus preces fundit; *Loci Dominus* curioſè quid agatur per januam obſervat, vidit *Cadaver* erigi, & aures confitenti præbere *Nerovium*; rebus omnibus expletis, aperitur Janua, cadaver ſuo loco jacet; ità tum diſceſſum eſt, Domino ſtupente, & quoad vixit miraculum prædicante. Miſſionibus feliciſſimè terminatis Pater *Nerovius* in plurimis *Bohemiæ Collegijs Præfecturam Spiritûs*, ùt vocamus, geſſit. Frequens ejus aſpiratio, quam ſemper habebat in ore (*Beatiſſime DEUS!*) divini amoris dulcedinem, quâ diffluebat, ſatis oſtendit; *Miſſam* ferè ſemper legebat cum lacrymis; quotidie cilicio accinctus acriter flagris ſæviebat in corpus, idque per annos quadraginta nunquam omiſit; omni *feriâ ſextâ* in Dominicæ Paſſionis honorem in cubiculo nonniſi humi ſedebat, velut ſub *Cruce Domini cum Magdalena* mœreret; ſæpe eum ſub Pietas in S. Dorotheã. Cruce in hoc ſitu, cùm ad eum ventitarem, deprehendi. Poſt *DEI Matrem* nullam è cœlitibus præ *Sancta Dorothea* Virgine colebat magìs: divinitus intellexit ejus auxilium ad *Caſtimoniam* plurimum valere; hæc ipſa virgo Sanctiſsima ultro *Nerovium* in amorem impulit, & ſe ſe obtulit ſpectandam miranti; Unde cum lacrymis dicere auditus eſt *Nerovius* non ſemel: *à me non quæſita ecce ultro apparuit!* Magni ſcilicet æſtimans amorem, in quo eſſet ab illa præventus. *Rector Collegij Neo-Pragæ* cùm eſſet, & ære alieno gravaretur, eadem *SS. Virgo* tantam pecuniæ ſummam aſpectabilis obtulit, quantâ debitum poſſet expungi. *Animas mortuorum* ad ſe venientes ſæpiſſime vidit precum auxilia poſtulantes; & colloquebantur familiariter; audiebant domeſtici, ſed loquentes velut peregrino ſermone, intelligere non poterant. Obitus. Denique meritis, & virtutibus plenus, cùm *Collegij Clementini Pragæ Rector* eſſet, migravit ad Dominum pijſſimè comparatus Anno 1656. 25. Auguſti. ætatis 67.

TIT: LXVII.

Digitized by Google

TIT: LXVII.

Venerabilis Pater Adamus Krawarsky Societatis JESU, Vir Apoſtolicus & maximæ robuſtæque virtutis; Qui in reducendis ad Eccleſiam hæreticis feliciſſimè in Bohemia laboravit.

VItam Viri hujus Apoſtolici à me ante complures annos conſcriptam *Archivum Provinciæ Bohemiæ Societatis* noſtræ ſervat, ex qua nonnulla, quæ ad Viri Virtutes, & veram in animabus ad Eccleſiæ ſinum adducendis fælicitatem pernoſcendam faciunt, exſcribam. Natus eſt P. *Adamus Bavorovij in Sileſia* Oppido Diœceſis Wratislavienſis ad *Ratiboriam* Anno ſuperioris ſæculi 85. Societati noſtræ nomen dedit An. 1607. Cùm adhuc domi apud Parentes Catholicos verſaretur, *Bavorovij* Sacerdos quidam ab innocentia vitæ multùm comendatus, nocte quæ *Nativitatem Domini* præcedit, vidit per quietem *Adamum adoleſcentem* ſibi ſacrificanti miniſtrare; ejuſque capiti *Coronam* cœleſtibus illuminatam gemmis imminere; ex eo tempore non ceſſavit bonus ille *Sacerdos Matrem Adami* perurgere, filium ad *Societatis* ſcholas mitteret, palam affirmans ad magna quædam deſtinari filium, quem jam expectarent Coronæ. Hæc *Matri* cauſſa fuit, ut relictis domi tribus alijs *Adami* fratribus, hunc unũ currui impoſitum ipſa, materno ſtudio, *Olomucium* ad ſcholas noſtras deveheret. Nihil de ejus ſtudijs *Olomucenſibus* quod commemorare ultrà poſſim, invenio. *Commotovij Rhetoricâ* abſolutâ cœperat *Adamo mundus* placere, occurrit in tempore titubanti *Divina Bonitas* & ad ſe ſe convertit: temere aperto *Evangeliorum* libro, *incidi* (inquit) *in parabolam de quadruplici ſemine. Inhæſit cordi meo vehementer explicatio illius ſeminis, quod cecidit inter ſpinas, inde nulla quies niſi mundo & parentibus renunciarem.* Admitti igitur in *Societatem Noſtram* poſtulat, admittitur *Commotovij*, & vix interjecto Menſe unà cum *Matthia Burnatio*, qui deindè pro fide ab hæreticis (ut *P. Alegambe* refert) occiſus eſt, ad *Tyrocinium Societatis JESU Brunenſe* proficiſcitur.

1660. 30. Aug:

Natales.

De eo prædictio.

MS. P. Adami manu propria.

Admiſſio ad Societat.

Aleg. in Viris Illuſtrib: Soc: in Burnatio.

Tyrocinio expleto, & confecto ſtudiorum curriculo Sacerdotio initiatus P. *Adamus*, totum ſe ad Lucra animarum convertit. Hæreticis magnâ pugnâ victis, & ex *Albo monte*, totóque Regno depulſis, ſtatim P. *Adamus Majorum Imperio Prachaticium*, *Wodnianum & Piſekam*, Urbes hæreticas, quæ penè ad internecionem Civium ſuorum in *Catholicorum Exercitum* antè pugnârant, mittebatur; ſed revocatus eſt brevì: immatura enim res viſa, Hæreticos à ſangvine recentes & vulneribus fluentes concionibus irritare. *Primus in Bohemia* labor, prima oblata P. *Adamo* meſſis eſt *Koſſumberg*, ditio *Slavatarum*; ibi ſtrenuè laboratum, paucíſque menſibus *quingenti* hæreſim eju-

Miſſiones P. Adami & vita Apoſt:

A. 1620.

Digitized by Google

ejurârunt, volentéſque ac lubentes peccata confeſſi *Euchariſtiam* Catholicè ſumſerunt. Inde Cæſaris imperio *Rakonicenſis diſtrictus* in eadem *Bohemia* hæreſi corruptus, ut nihil ſuprà, totus erudiendus *Patri* traditur: *Litteris à Cæſare*, Archiepiſcopo & Regni Ordinibus acceptis, eò ſe *P. Adamus* propere contulit: continebat ſe ùt plurimùm munitiſſimis locis *Pater*, & præcipuè *Krzivokladenſi* arce (nam arma Ruſtici corripuerant) tamen divinâ gratiâ aſpirante, cùm armati ad *Patrem* identidem convenirent, ejus capti ſvavitate & colloquijs ad fidem veram optimè inſtructi, alijs quoque exemplo fuerunt, Catholicæ Religionis amplectendæ; facto ſemel ab honoratioribus initio proſpere omnia ſatis ibant ſub manum, totóque illo *diſtrictu* per annum peragrato ea una in *Bohemiæ* parte *decem animarum millia Chriſto* conciliata, ſingulari cum Cæſaris, ad quem ea quoque ſama pervenerat, voluptate, numerata. Abſolutus ibi erat labor cùm animadverſa Patris felicitate *R. P. Gregorius Rumer Provincialis Trebonam* ablegat: Numerantur in ditione illa tres Civitates egregiæ, oppida tria, pagi ſupra quadraginta duos; omnes diverſis hæreſibus, ac præcipuè *Boleslavienſi* ſeu *Pickarditicâ* ſectâ (cui Scholam illuſtrem *Sobieslaviæ Petrus Wok de Roſis* non ita pridem erexerat) infames. Inſtructus decretis, magnâ authoritate ſe ferebat *P. Adamus*, tantúmque in ea gente perfecit, ut anno vertente *quinque hominum millia Trebonæ, Sobieslaviæ, Lomnicij, Weſelij*, viciniſque pagis ad Eccleſiam reduxerit. Ea res *Civitatum, Parochorum, & Communitatum ſigillis* publicè firmata, & *Viennam ad Ferdinandum III.* (cui Ferdinandus II. Auguſtus Pater, *Trebonam* donaverat) perlata, ita Regem exhilaravit, ut per *R. P. Henricum Philippi* gratias *P. Adamo* agere ipſe *Rex* non omiſerit. *Trebonenſem Miſſionem* fælici exitu terminatam, excepit alia non minus fælix *Carlſteinenſis*. Illuc petente *Illuſtriſſimo Barone Joanne Kavvka de Rzic̈zan P. Adamus* mittitur; multum ibi laboris, multum periculi fuit: fera & ſylveſtria ingenia, ſi quod de Religione verbum faceret, lædi ſe primùm putabant; audiebant Concionantē Patrem bombardis ferè omnes inſtructi, & ſi quid ardentiùs ſuſpectiúſque diceret, media è Concione domum refugiebant fœminæ, Viri extrema omnia atrociter minitantes, templóque egreſſi relicto *Patre* in familiares ſylvas condebantur. Ab extremo periculo haud multum videbatur abeſſe, tum maximè die quodam, cùm in *Tetin* (locus eſt *S. Ludmillæ* ſepulchro nobilis) Catechiſmum rudibus explicaret, irruunt in templum ſecuribus armati, duo valentiſſimi homines, deſignaſſe facinus vultus, ut ità loqui liceat, *Dæmone plenus*, arguebat; mox clamore ſublato cum *Patre* expoſtulant: quid veniſſet, rogabant, quid novi doceret? apparebat eos rixam quærere; diffugientibus quâ datâ portâ audientibus, *Pater* ſatis habuit in præſentia mollibus verbis reſpondere, & iratos placare; ceſſit conſilium ex ſententia, ut ipſi poſtea *Latrones* ſe mutatos mirarentur, & abirent innoxij. Poſt plurimos exhauſtos labores,

Krzivokladum.

Loca & ditiones quas peragravit.

Trebona.

Carlſteina.

Tetinum.

Digitized by Google

bores, & continuatam pluribus menſibus quotidie *Catecheſim* fæliciſſimum initium datum, numeravítque ibi *P. Adamus* quingenta ab hæreſi converſorũ capita, plures ſinè dubio numeraturus, niſi eum ad *novam Civitatem Pragenſem* imperią Majorum vocaſſent. Obfirmatior omnibus alijs per *Bohemiam* Urbibus, *Nova Urbs Pragenſis* habebatur, & tumultibus, ut hiſtoriarum fide conſtat excitandis, ab hæreſi ſemel occupata, eadem tum aptiſſima; ſed tantam *P. Adamo* addiderat gratiam DEUS, ut brevì univerſa ab unius ore penderet; Conciliatâ Concionibus authoritate, adibat præcipuorum Civium domos, eximebat inutiles curas, & prioris ſuperſtitionis omnem memoriam oſtensâ Religionis noſtræ antiquitate & gloriâ, delebat ex animis, laude etiam provocabat ceſſantes; ſic primarijs familijs ad fidem paulatim adductis, plebs univerſa ditiorum exemplis victa ſe dedit, ut eo ipſo anno (quod P. *Adamus* in acta retulit) ſupra quatuor hominum millia, ea in *Urbe*, divinæ fidei lucem aſpexerint. Talia exempla id temporis *Pragæ* Pater *Adamus* edebat, cùm Superiorum voluntate ad conſtituendum *Reginohradecij Collegium* ablegatur. Ea res *Reginohradecij* cùm in longum traheretur, viciniam totam *Pater* ab hæreſi perpurgavit: *Ziampachium*, *Czaſtolovicium*, *Tiniſtium*, *Rokytnicium*, *Kiſpergam*, *Nachodium* cum Oppidis & pagis omnibus, ac *Richnovium*; *Ziambergenſes* montes præcipuè, quò penetrarat *Pater*, admirationem rerum peritis moverunt: quippe ibi *Fratrum* ſeu *Pikarditarum* plena omnia, & flos quidam improbiſsimæ illius ſectæ, qui ſe *Kunvaldenſes* (à pago *Kunvald* latè per eos montes diffuſo) nominabant; eam lutulentam hæreſim totâ ditione illâ profligavit; nihil jam hominibus illis quietius, nihil Catholicum magìs; ſummâ & pietate & conſtantiâ Religionis noſtræ arcana mirantur & amant, multò illis meliores, qui degunt in Urbibus, cujus rei, ipſe qui ſcribo teſtis ſum, cùm poſt multos à *P. Adamo* annos, in ea loca veniſſem. Poſt tot animarum lucra & nobiles palmas de hæreſi reportatas in *Collegijs* ferè & *Domo Profeſſorum Pragæ* vixit *P. Adamus*, niſi quòd octo antè obitum annis omnes ſuperiores de hæreſi victorias pulcherrimo & imortali labore concluſerit. Placet verba ipſa *P. Adami* ex chartula recitare: *Miſſus fui*, inquit, *ad Dominium Opocznenſe Illuſtriſſimi Comitis Rudolphi Coloredo, & miſſus cum quinque Patribus Noſtris, eo nomine, quòd Comitia illo anno habita concluſerint, ut ſinguli Domini collaborent, ut intrà certum temporis ſpatium ſubditi vel convertantur ad fidem, vel è Regno diſcedant. Hoc eſt Dominium illud rebelle, quòd poſt Converſa totius Regni Dominia, viginti ſeptem annis in denſis errorum tenebris ad annum uſque 1652. deliteſcebat. Dum enim An. 1624. Et ſequentibus, totius Regni diſtrictus & Dominia per certos Commiſſarios, & Patres noſtros in fide Catholica ſuſcipienda erudirentur, & hoc animarum negotium in omnibus regni diſtrictibus & Dominijs pacificè perageretur, ſolum Opocznenſe Dominium Trczkæ ſubjectum arma ſumſit, & veſtigijs*

Nova Civitas Prag:

Reginohradecium.

Kunvald.

1652.

Opoczna.

Digitized by Google

Ziſcæ inſiſtens dum pro Calice bella gerit, ad prædas converſum, primò ærarium proprij Domini Centum millium Neoſtadij diripuit. Deinde ad vicina Dominia ſpolianda progreſſum rapinas exercere cœpit. Sed milite Pragâ ad compeſcenda impiorum conſilia ſubmiſſo, multi ex illis capti, ſuſpenſi; in rotas acti, & varijs affecti ſupplicijs. Anno tandem 1652. recurrente: Miſſus ad illud convertendum cum quinque Patribus diviſis inter nos per totum Dominium laboribus, præmiſſis Concionibus, Catechiſmis, in Templis, Curijs & Domibus, eam animorum mutationem, quinto poſt hoſce labores menſe advertimus, ut turmatim centeni & centeni Opocznam concurrentes, ſuavi jugo Chriſti ſe ſubmitterent. Excrevit numerus illorum, qui confeſſi, & Sacro-ſanctâ Euchariſtiâ refecti, ad ſex millia & quadraginta hominum capita. Hæc ex P. *Adami* manupropriâ ſcripto, quod ipſe Majorum Imperio conficere coactus eſt, quódque apud me reperitur. Quis hoc loco non invideat, aut non miretur? pro miraculo multis viſum, quod armati efficere non poterant, inermes præſtitiſſe. *Pragam* triumphanti ſimilis ab *Illuſtriſſimo Comite Coloredo* ad ſtationem ſuam in *profeſſa Domo* P. *Adamus* revectus eſt. Sed mox veterem curam recepit: *Virgines Religioſas Benedictini Ordinis ad S. Georgium;* tredecim ipſos annos, in permoleſto illo labore cum ingenti Sacrarum Virginum ac prorſus Cœleſti utilitate conſumſit, Exhortationibus faciendis, Confeſſionibus audiendis, conſolandis omnibus, & ad DEO præſtandum obſequium excitandis, cùm ferè quotidie, id ætatis ſenex, altiſſimum P*ragenſis Arcis montem* conſcendere illarum cauſſâ cogeretur. Referam ad hujus capitis finem *Indiculum à P. Adamo* ab hæreſi ad fidem noſtram Converſorum, quem ſuâ ipſe ſenili & tremulâ manu *Superiorum* juſſu ante mortem confecit, qui ſummâ fide deſcriptus ſic habet:

Numerus Converſorum in varijs locis diverſorum Diſtrictuum ab Anno 1622.

Index Converſorũ ad fidem à P. Adamo.

In Dominio Koſſumberg converſi	*500.*
In Dominio Czaſtolovicenſi	*400.*
In Zampach	*400.*
In Dominio Krzivoklad, ſeu Pirglicz	*4000.*
In varijs locis diſtrictûs Rakonicenſis	*6000.*
In Dominio Trebonenſi	*5000.*
In Karlſtein Dominio	*500.*
*In Civitate Neo-*Pragenſi	*4000*
In Dominio Rokitnicz	*600*
In Dominio Kiſſperg	*700*
In Dominio Zambergenſi	*2000*
In Dominio Biſtry	*2000*
In Dominio Opocznenſi	*6040.*

Sum-

Digitized by Google

Summa eſt: triginta tria millia centum & quadraginta, quos *Chriſto, & Eccleſiæ*, invidendâ fœlicitate reſtituit P. *Adamus* & ab hæreſi ad Catholicam fidem reduxit. Nunc quibus id factum præſidijs ſit, à multis ſentio expectari. Sanè ita *animam & corpus* P. *Adami* in ſalutem proximorum aptaverat DEUS, ut ad animas, rudium præſertim hominum, nihil eſſet accommodatius. Magnanimitas quædam & *Leonina* ſpecies inerat Viro; ad hæc corporis vaſtitas egregia, & lati humeri, os magna ſonaturum, vultus omnis ad quandam granditatem compoſitus; regia oculorum libertas addebat verbis authoritatem & gratiam; conſiliorum maxima erat promptitudo, longo item uſu collecta tractandorum animorum peritia; venerationem in acceſſu faciebat torvitas, at in receſſu nihil illo amabiliùs habebatur. Cùm ad hæreticos accederet, antè omnia authoritatem ſibi parare ſtudebat; in eam rem *Cæſaris* circumferebat decreta, *Archiepiſcopi* item, & *Procerum* ad ſe literas; hæc examinari in *Senatu* primùm jubebat, mox ijs probatis comitante *Senatu*, ad *Populum in Templo* aliquo collectum referebat ſummâ gravitate, expandebat Literas, legebat, interpretabatur; plerumque *Archiepiſcopus* in ijs literis *Parochis* mandabat, ut *Patri* adeſſent, hos evocatos cum ſuo quemque populo publicè admonebat officij. Incumbebat populis tanta Viri authoritas, ut non loqui, ſed imperare videretur; hinc tanta P. *Adami* æſtimatio, ut *Jeſuitarum Doctiſſimus, Maximúſque* diceretur, paſsímque credebant homines, quidquid ad ejus gloriam error alicujus finxiſſet. Cùm locum ſuperiorem aſcendiſſet *Pater*, flexo genu DEUM & cœlites omnes conteſtabatur, ea ſe dicturum, quæ ſaluti audientium neceſſaria forent, ſangvinem animarum iſtarum in ſe recipere velle, & omnem culpam præſtare, *ſi ſciens falleret;* inſuper reſponſurum ſe pro ijs ad divinum Tribunal, & inferorum pœnas ſubiturum, aliáque vibrantia & ardentia dicta addebat; ſequebatur flammea ad populum oratio, & quod probandum erat, ex *Bibliorum* aperto codice legebatur, tum ſi quid græcè, aut latinè ex ſacris Literis & SS. Patribus interpretandum, faciebat promtiſſimè, ut eum *SS. Scripturæ Doctorem* plerique & communiter appellarent. Ex hujusmodi Concionibus, vanis in ſpeciem, & quas ex populari jactatione natas dicerent rigidi noſtrorum temporum Cenſores, maxima redibat utilitas animarum, ut non aliâ ferè ratione, quàm Concionibus, populorum animos P. *Adamus* occupârit, & ad authoritatem Eccleſiæ agnoſcendam adduxerit.

P. Adami aptitudo admiſſiones

Modus in Converſione adhibit.

Authoritas ejus & æſtimatio apud vulgum.

Virtutes quædam R. P. Adami Krawarsky, & fæliciſſima mors.

TAntam fælicitatem & gratiam in animabus hominum, DEO, ac Religioni noſtræ conciliandis, non ſolam & nudam eſſe voluit Divini-

Digitized by Google

tas, multis magníſque virtutibus munivit, ac ſepſit. Utinam inſpicere intimas ejus actiones licuiſſet, ſed omnia Sancto quodam Silentio, & diſſimulatione tegebat, ut nihil niſì co͞mune omnibus appareret; quædam tamen ſubjicio, quæ latêre non potuerunt.

Orationis donum.

Oratio inprimis ad DEUM familiariſſima illi fuit; quocunque incedentem vidiſſes, audiſſes etiam gementem, aut *roſarij* globulos (quotidianum Beatiſſimæ Virgini tributum) orando percurrentem; Omnia quæ videbat, referebat ad DEUM. Stata orandi, & examinandæ conſcientiæ tempora, etiamſi invaletudine tentaretur, flexis genibus peragebat humi, nullo alio corporis ſitu; nunquam eo tempore cubiculo abeſſe ſuſtinebat. *Officium Sacerdotalium precum* in cubiculi medio, nudo in pavimento, perſolvebat de genu, & ferè, niſì aliorum vicinitatem timeret, altâ voce, ad attentionem conciliandam, legebat. Obſervatus eſt ſæpenumero noctes totas inſomnes traducere per cubiculum inambulando, pauciſſimis, (quod altiſsimæ orationis genus eſt) vocibus repetendis contentus: *Ah JESU mi! ah Sanctiſſime! dulciſſime JESU mi!* & iterum: *ô JESU! ô Maria! ô Maria! ô JESU!* quæ verba continenter repetendo plures horas, & noctem aliquando totam, cum ſu͞ma corporis animíque voluptate tranſigebat. Narrat itineris cujuſdam Comes, deceptum Patrem, cùm ſe audiri putaret à nemine, ad orandum DEUM converſum, tam familiariter locutum, ut ſacer quidam ac inſolens horror audientem invaderet: *JESUM ac Cæli Reginam* alloquebatur, quaſì aſpectabili formâ præſentes & reſpondentes haberet: in ſvaviſsimum identidem riſum ſolutus, delicias ſibi ex illis facere videbatur, tum quaſì audiſſet rogantes, reſpondebat, atque iterum ipſe rogabat. Sæpe in itineribus, cùm ante *Comites* ſurrexiſſet, egreſſus hoſpitio, nè ſomnum aliorum perturbaret, ſub dio horas multas orâſſe inventus eſt, ſua de more ſuſpiria Sanctiſsimis Nominibus JESU MARIÆ conſecrans & conſignans. In itinere quodam Ungarico obſervatus eſt, ſuper altas nives per horam ſolidam, rigidè ſinè ullo motu, flexis genibus orando perſeveraſſe.

SS. Euchariſtiæ cultus.

Venerabile Sacramentum Pragæ in Profeſſorum Domo per diem ſæpius adibat, etiamſi extremâ ætate Scipione uti cogeretur, accidebat perſæpe, ut in via defectus ætate ſenex, corrueret, tamen adibat. Per *Octavam* verò *Corporis Chriſti in Templo* propemodum habitabat, ibi noctes inſomnes ducere ſolitus, cùm neminem conſcium eſſe putaret, altâ voce, velut ſi ad Regem admiſſus eſſet, ad *Venerabilem Euchariſtiam* perorabat. Deinde, cùm ſe unum eſſe crederet (ut obſervarunt Socij) in Templo flagris inhumaniter in corpus ſæviebat. *Sacrum* legebat quotidie, vel in ſenectute extrema, tantâ modeſtiâ, tantâ, támque inflammatâ pietate, ut mirarentur adſtantes, ac dicerent: *ô quàm Sanctè Miſſam legit Sanctus hîc Sacerdos!* Præmittebat ſuo Sacro P. *Adamus* in præparationis vicem, duo, & in gratiarum actionem alia duo Sacra audienda,

poſt

Digitized by Google

ponebat aperto ſemper ſenili capite, nullo aut hyemis aut æſtatis diſcrimine. Non igitur mirum eſt virum ab Authoritate magnum, quid de *P. Adamo* ſentiret, interrogatum, id unum pro omni teſtimonio dixiſſe: *P. Adamus Vir fuit indefeſſæ* Orationis. Arx quædam tertio *ab Urbe Praga* milliario abeſt (*Karlſtein* dicta) quam olim *Carolus IV. Maximus Imperator* ſuæ pietatis arcem eſſe voluit; ibi ille abditus ab Aulæ ſtrepitu & curis Imperij latebat, & uno *Erneſto Archiepiſcopo Pragenſi*, qui à Confeſſionibus erat, conſcio, è Cœlo contrà Imperij hoſtes petebat auxilia; hanc pietatem ſibi aliquando imitandam eſſe *P. Adamus* putavit, clauſúſque in multos dies, nunc in hoc, nunc in alio conclavi in rerum divinarum meditatione perſiſtebat. Orationis ſtudium ingens, quædam *demiſſio animi*, tum in omnes caſus parata *Magnanimitas*, ac denique par in affectus & ſenſus omnes imperium ſequebantur. Quinquaginta tres in *Societate* noſtra vixit annos, nec in cubiculo tamen, nec in menſa, alibíve admittebat quidquam, quod non omnibus, etiam Novitijs expoſitum & obvium foret. Verberationes uſitatas in Refectorio omittebat nunquam, in ætate ſenecta cubilis ſui pavimentum verrere, lectulum componere, frigidam uſui apportare; extremo etiam morbo ferre ægrius, ſi quid obſequij à Socijs impendi videret. Idem vivendi tenor in Procerum Aulis, ſi quando ad eas accedere contingeret, nullus qui exueret famulus, nullus qui ſurgentem adjuvaret; aliàque præſtaret obſequia tolerabatur. Deliciarum nihil admittebatur in menſa, rudi & parabili cibo contentus, ſi quæ porrigebantur lectiora, ea magna cum comitate accepta, morâ aliquâ interjectâ, dum qui porrexerant, obſervare deſinerent, famulis integra furtim reddebat. Cum pauperibus agebat libentiſſimè, & blandiùs alloquebatur, ſuo illos more *dilectos filios* appellans. Simulationis nihil, nec vultus præferebat, nec geſtus; quin eâ erat vultûs & animi concordiâ, ut ad fingendum aliquid ineptus eſſe videretur. erat aurea quædam ſimplicitas, & animi claritas ex primo illo ſæculo; exprimebatur quod ille dixit: *quippe anima benedicta omnis ſimplex.*

Humilitas & magnanimitas.

Simplicitas & animus ſine dolo.

Neymileg- ſſý Synu!

Sacch. in hiſtor Soc.

Quanto & quàm flagranti ſtudio ſalutem animarum deſideraret, ſatìs antè dictum eſt, & ex tot, tantóque tempore perpetuatis laboribus, datur intelligi. In itinere (etiam in Procerum comitatu) ſi quem præterveheretur pagum, Oppidúmque, quod *Sacerdote* careret, ſubſiſtebat tantisper, & ex oppidanorum aliquo quærebat, recténe eſſent omnia? num ægrotaret aliquis? tum ſtrenuè caſas ſubibat, & omne Viri Apoſtolici munus exequebatur. Domi verò *Confeſſionale* ut vocant, Cubiculum ejus diurnum eſſe videbatur: ibi æſtate ac hyeme affixus ſedebat: affluebant homines quàmplurimi, eóque affluxu *ſenex* lætabatur. Ultimis vitæ annis, cùm multi Noſtrorum cenſerent abſtinendum ei *Confeſſionibus* audiendis eſſe (Senio enim ſurdiores habebat aures) eámque ſententiam Majores ſequi vellent, conſter-

Zelus.

natus

natus hoc nuncio Senex, familiari Patri conquerens, gemitu magno ſublato: *quid hoc* inquit, *DEUS bone! vitam mihi tollit, qui mihi tollit animas!*

Quoties in meſſem animarum mittebatur *P. Adamus*, redibat cum exultatione portans manipulos ſuos, etiam confirmatâ & robuſtiori valetudine, ut ſanitas corpori videretur acceſſiſſe. Opportunè accidit, ut An. 1652. ad ditiones hæreticas *Excellentiſſimi Comitis Rudolphi Coloredo Cæſareæ Militiæ per Bohemiam Ducis* ablegaretur, miſſo enim *Viennam*, ad *Cæſarem & Romam ad Præpoſitum Societatis Generalem*, atque ad *S. Congregationem de propaganda fide* converſorum ad fidem numero (ſex millia erant & quadraginta) hoc fœlici *P. Adami* labore magnâ calumniâ abſolutâ *Societas* eſt, cùm id temporis *Romæ* ex certa Religioſorum hominum familia unus aliquis dictis & ſcriptis *Provinciam Bohemiam Societatis* accuſaſſet ignaviæ, nullúmque operæ pretium à noſtris hominibus in *Bohemia* factum aſſeruiſſet; quod impudens (non audeo reliquum dicere) *diſtrictus per Bohemiam* omnes, Urbes, Oppida, Pagi, amantiſſimi Nominis noſtri facilè poſſunt refellere.

Teſtimonia Virorũ magnorum de eo.

M. C.

Certè (ſi id nunc ageretur) *tricenis* plures noſtros nominare *Patres* poſſem, quorum ſinguli plurima hominũm millia à ſe ad Religionem Catholicam traductorum numerarunt, unus inter eos, qui ad ſexdecim millia pervenerit. Ad *P. Adamum* revertor, quem totâ ferè Bohemiâ notum fuiſſe ſciunt omnes; *frequenter* (ſcribit ſociorum quiſpiam, Vir notæ Majoribus noſtris authoritatis) *tranſivi Civitates, oppida & pagos, inter Pragam & Clatoviam & Breznicium, item Pragam inter & Reginohradecium & Koſtelecium, iterúmque verſus Crumlovium, & ferè ſemper interrogatus fui de valetudine & commoratione Patris Kravvarsky, ex grata recordatione, quam habebant de Viro, quod ab illo eſſent ad Catholicam fidem converſi.* Excellentiſſimus Comes *Jaroslaus à Martinitz Regni Burgravius*, ſi quando *P. Adamum* nominaret, etiam in Procerum corona, addere ſolitus eſt *verum Bohemiæ Apoſtolum. Reverendus Pater Lamormayni Cæſari Ferdinando II. à ſacris Confeſſionibus, Virum pro Bohemia convertenda ſingulariter electum à DEO P. Adamum* eſſe dicebat. DEO ipſi vita ejus pretioſa fuiſſe videtur, quam toties in manifeſtis periculis penè cum miraculo ſervavit. Dum *Olomucij* litteris operam daret mergebatur in flumine; *pereuntem projecta temerè perticâ* neſcio quis *liberavit*, quod ipſe DEI in ſe beneficium gratus annotavit. Ex ijs chartulis, cùm ſemel cœperim, plura recitabo: *Hoſte in Bohemiam appropinquante inter tumultus bellicos Zampachij vivendum erat; multa pericula caſus adverſos & ſpoliationes ſuſtinuimus. Accidit aliquando, dum miles igne & ferro prædium noſtrum vaſtaret, ſeris omnibus effractis pro libitu omnia raperet, ut ego portam quandam claudere vellem, globo plumbeo laxatâ bombardæ rotâ tactus ſenſi ignitum globum, viſcera penetrantem, ſedénsque ut ſanguinem (ut mihi videbatur) profluentem è ſinu effunderem, tangens locum corporis*

Miraculo ſæpius ſervatus in vita.

M.S.P. Adami.

Zampachij

poris tectum, nullum tamen foramen in corpore reperi, ſed ſignum globi multis diebus etiam alijs oſtendi. Alio in loco hæc ſcribit: *Roſarium, & ejus orandi conſvetudo, liberavit me à præſentiſſimo mortis periculo. Latrone bombardam in me collimante ſubſtiti uno paſſu, Roſarium ex ſacco prenſans, & ecce globus ante me, in quem certò incurriſſem ſi Roſarium non prenſaſſem; reſpiciens vidi Latronem cadentem in dumetum, ſensíque me quaſi monitum, ut properem ad pagum.* Quod ſequitur, mirabile: *Rediens ex templo in tenebris incidi in foramen, in quo foramine amplo pes meus tantiſper in aëre ſuſtentatus eſt, quoad altero pede me à caſu liberarem. Anno 1647. Equis ex terrore concitatis cecidi ex curru, rotâ dorſum meum tranſeunte; Eâ nocte vix me movere potui, manè tamen baculo nixus in Domum Lauretanam veniens, & per Sacrum Miſſæ officium, DEI & glorioſæ Virginis Mariæ auxilium implorans, convalui, nec ex hoc caſu decubui. En quantis me DEUS inſidijs Budiſſinâ redeuntem eripuit! præceſſerant aliquot ex Civitate inſidiantes mihi; priusquam in illos inciderem, occurrit tabellarius cum Cæſareis Litteris ad Capitaneum Luſatiæ; his acceptis redij in Civitatem, ſic effugi manus illorum. In Civitate jam de me conclamatum fuit; redeunti Reverendiſſimus D. Decanus obviam proceſſit, nec me dimiſit, quoad ipſe cum ſuis famulis ad fines uſquè Bohemiæ deduceret.*

In ſilva.

Budiſſinæ in Luſatia.

Hactenus optimi ſenis narratio, cujus patientiam multis gravibúsque periculis objectis exercuit DEUS, ſed paternè ſemper, ut ſolet, in gloriam & fœlicitatem ejus omnia vertit. An: 1611. cum prælio in ipſo Minoris Urbis Pragenſis foro cõmiſſo *Paſſavienſis* exercitus cæderet, & cæderetur, odio Religionis incitante ultima populi fæx in Nova Civitate in Religioſos conſurrexit, occiſis *S. Franciſci Religioſis ad Nives*, in nos quoque rabiem tranſtulerat; in æde *Convictûs* noſtri effringebant portas. Occurrere plebi (ut erat magnanimus) *P. Adamus* volebat; ſinè dubio perpetratum ſcelus in omnes noſtros fuiſſet, niſi *Georgius Baro Wratiſlavv, & Wchinskij* duo fratres *Wenceslaus, & Wilhelmus Barones Nobiliſſimi*, ĩmiſſis Equitibus turbam diſſipâſſent.

Pericula mortis evitata.

Anno 1631. (verba ſunt *P. Adami*) *eram filius mortis.* brevibus, multa complexus eſt, res itâ ſe habet: Captâ eo anno à *Saxonibus* hæreticis Pragâ, in diverſa Religioſis pleriſque fugientibus, cum pauculis *P. Adamus Pragæ* relictus eſt: obibat ille quotidie deſerta *Religioſorum* Cœnobia, & nè quid detrimenti per abſentiam paterentur (præcipuè in *Monaſterio Strahovienſi*) providebat, tantâ id quidem fiduciâ, ut neque veſtem noſtram mutârit; unde mille convitiorum plauſtra, & maledictorum atque etiam verberum pro Chriſto ferendorum, maximus proventus: Fortè itâ accidit, ut *domum* ex *PP. Cappucinorum Cœnobio Hradczanenſi* ad *Collegium* redeunti cum famulo, *Turma Equitum Aulicorum* ad *Ducem Saxoniæ* pergentium, in *Ponte* occurreret; jam ad *Crucem Chriſti* quæ ibi fixa eſt ingens, pervenerant, maledictis inprimis, tum per ſũmam licentiam *Turmæ* illius *Nobilis Ductor*, tam grandi ictu ba-

Pragæ.

Patientia.

culo militari, *Patris* caput verberare cœpit, ut animo propè defectus in margine *Pontis* ad ipſum lapidem (quem tum cæcus quidam inſidebat **Prochązka** nomine, qui deinde viſu, ope *Beatiſſimæ Virginis* recepto, *S. Monti* celebritatem dedit) ad eum, inquam, lapidem deponere læſum caput cogeretur; nihil ille aliud ſibi redditus, ad *Equitem*, ſed gemitu omni compreſſo, ad *Crucifixi JESU* ſtatuam converſus: *habemus*, inquit, *bonum teſtem!* hoc ut geſtum eſt, ab eo accepi, qui tum Exterinus *Patrem* comitabatur, deinde in *Societatem* admiſſus eſt, qui ipſe *Virgâ Equeſtri* in facie percuſſus, cruentam lineam diu circumtulit.

Adamus Zeman S.I. 1631.

Cùm tumido capite domum redeunti Patri *R. P. Martinus Stredonius* Collegij *Rector* ſuâ manu *medicinam* facere aggreſſus eſt, & cultri chalybe tumorem deprimere tentavit, cúmque alij ex *P. Adamo* quærerent, quid factum eſſet, reſpondit Pater: *Quidam Eques in ponte*, inquit, *fecit mihi negotium, ut cras pro ejus ſalute cogar Sacrum celebrare.* Ita tum læto & pacato animo erat, ut etiam inter dolorem jocari poſſet. Non multi abierant dies, cùm *Noſtri* omnes per ſententiam, ante Solis occaſum, *Pragâ* exire jubentur; eo die cum cuſtodia militari ad *Forum minoris Pragæ* curru devecti, maledictis omnibus expoſiti, quidquid Militaris dicacitas fingere potuit, audierunt: nihil *P. Adamus* ſibi moleſtius fuiſſe deinde fatebatur, quàm adoleſcentulorum quorundam, qui in Scholis noſtris nuper educabantur, petulantiam; ij in *P. Adamum* multos & amaros ſales, *Judæorum* in morem Chriſto ſpinis coronato illudentium, jaciebant; Abeuntibus cæteris *Patribus*, redibant identidem ad conſolandos Catholicos *P. Adamus & P. Sswvabensky* præcipuè (Vir & nobilitate generis, & authoritate, & Sacrâ eloquentiâ magnus) ad *Urbem*, & *Carbonarij* habitu aſſumto, *currum carbone plenum* ad eas domos in quibus Catholicos eſſe ſciebant, devehebant, *Cives* conſolabantur, & brevì mutationem rerum in melius prædicebant.

Mutato habitu conſolatur Catholicos.

Raphaël Mniſſovsky Regni poſtea *Subcamerarius* carbones plurimos emebat à Patribus, ad eum boves præ ſe agentes veniebant, mox puero ad currum relicto aſcendebant in conclave Sacelli inſtar ornatum, & loto vultu, ac manibus, convocatis Domeſticis *Miſſam* legebant; mox iterum deformatâ facie redibant in publicum, riſu ſimul & dolore Catholicorum (ut mala ſæpe jucundis permiſta ſunt) proſequente. Paulò pòſt cùm Exercitu *Dux Waldſteinius* adfuit, obſeſsíſque *Saxonibus* cùm oppugnaret Urbem, *P. Adamus* naviculâ, neſcio ubi inventâ, ſummo mane, eo ipſo die, quo *Civitas* capta eſt, necdum ingreſſis per ruinas murorum *Cæſareis* flumen *Muldavam* ſolus tranſmiſit, primúſque ad *Collegium noſtrum* pervenit; mox eos qui *Collegij* ſupellectilem, vina, aliáque à *Saxonibus* emerant, *Judæos*, jam fugam ſpectantes, per amicos Cives, in *Urbe* retinuit, à quibus *Collegium* deinde res quaſdam ablatas recuperavit. Sed annus 1648. longè *P. Adamo*, quippe jam ſeniori, & fracto ætate difficilior fuit & triſtior: Urbe *Pragâ minore à Svecis Duce Königsmarckio*

per

Digitized by Google

per proditionem captâ, nullum aliud *Templum* (ut hoſtes facilè poſſis agnoſcere) prædæ patuit; *Noſtrum*, Miles aggreditur & ſpoliat; ibi occurrit *Pater*, ſed ut in Urbe armis capta, furentibus ſimiles *Sveci* ruebant: Ergo obvium Senem, & ſe pro omnibus *Noſtris* offerentem aggreſſi verberavêre, plagis contudêre, ita ut miſerum eſſet, inſuper cum *R. P. Martino Santino Domûs Præpoſito* in forum eductos & captivos pronunciatos, ſi tum abiſſent, ſecum in *Sveciam* cogitabant abducere. Multis diebus optimus *Senex* dolore, tumore, unâque præſente vulnerum memoriâ debilitatus inceſſit. Ubique ſpes in DEO fixa, & paratus ad omne periculum aderat animus *Viro*, quem DEUS ad multorum ſalutem vividum ſemper ac valentem uſquè ad ultimam penè ſenectam conſervavit. Annis tamen pauculis ante obitum ſentiebat ætatem, ac multò magis, ut exiſtimo, labores gravabant, quos olim in animarum ſalute procuranda pertulerat multos, ſed eorum faſtidium nondum illum cœpiſſe videbatur. Ergo nullo ferè alio, quàm ſenectutis morbo, cum ſe ipſo quotidie imbecillior redderetur dejectus in Lectulum, nihil niſi Deum ſpirans, ac loquens, munitus omnibus Sacramentis, quæ tempus illud expoſcit, in Corona noſtrorum die Auguſti menſis triceſimâ, fæliciſſimâ & optanda omnibus morte, anno ætatis ſeptuageſimo quinto in *Pragenſi Profeſſorum Domo* vitam clauſit. Celebrârunt & proſecuti ſunt funus *Regni Proceres*, Illuſtriſſimæ Matronæ magno numero, Cives minimi, maximique, ſed pauperes præcipuè *communem Patrem* flebant, ut tota illa quæ à *Domo* noſtra ad forum uſquè pertinet platea, lugentibus, & multitudine *Civium*, quod ante hac nemo factum meminerat, compleretur.

Captivus à Svecis dimittitur.

Mors & funus frequẽtiâ maximâ celebratum

Tit: LXVIII.

Eſther Boſſani, Vidua, Illuſtriſſimis orta Natalibus, quæ cum ſingulari Sanctimoniæ fama vixit, & pie in Domino Brumovij in Moravia An. 1660. 8. Octobris deceſſit.

IMaginem quandam expreſſam Vidualium virtutum (quas in *Diva Eliſabetha* miramur) in hac illuſtri Matrona legentibus offeremus, idque eo faciemus libentiùs, quod & iſta ex *Ungariæ Regno* oriunda, proximè ad illam velut gentilis acceſſiſſe videatur. Recitabuntur omnia Viri Religioſi, & ſenis authoritate, qui intimus ejus pietati multis ante mortem annis fuit, quæ manu ſuâ conſcripta, & Sacerdotali fide munita mihi ante proximos quindecim annos ſubmiſit. 1660.

R. P. Adal: Martinides

Illuſtriſſima Domina Domina Comitiſſa Eſthera Forgacziana, ex celeberrima Boſſaniorum familia, poſt *Illuſtriſſimum Dominum* glorioſæ memoriæ

Status Eſtheræ.

Digitized by Google

riæ *Nicolaum Forgacz* quondam *Generalem Caſſovienſem* relicta Vidua, nonum ſupra ſexageſimum ætatis, viduitatis verò vigeſimum quintum agens annum, cùm anno plus quàm integro, gravi, moleſto, atque periculoſo morbo conficeretur, & quodam̃odo conſumeretur, quàm piè per id tempus erga DEUM ſeſe habuerit, & quàm ſedulò ad feliciter obeundam mortem ſeſe præparârit, abundè vel hinc colligi poteſt, quòd in hoc extremo vitæ ſuæ morbo ſexies ſupra decies, per ſacram Exomologeſin ſuam conſcientiam rite expiaverit, & ſimul Pane Angelico animam refecerit. Igitur An. 1660. ad occaſum declinante, cùm indies magìs, ac magìs ſenio premeretur, atque viribus ità jam deficeret, ut nè quidem tripes incedere valeret, tandem ipſo feſto *S. Michaëlis* (qui conſtitutus eſt *Princeps ſuper omnes animas ſuſcipiendas*) horis matutinis ſingulari cum devotione Confeſſione peractâ, & ſacrâ Com̃unione peractâ ſub tempus *Veſperarum*, quaſi dato jam ad emigrandum ſigno, tantis penè opprimi cœpit doloribus, ut illa ipſa ſponte *Unctionem extremam* petierit, urſerit, atque impetraverit. Hâc piè receptâ cùm ab illa quæſitum fuiſſet, quidnam cogitationum animo volveret, repoſuit illa: *quid aliud volverem, niſì meum JESUM, meum unicum ſolatium?* incœpit poſt hæc melleos quoſdam *melliflui Doctoris* verſiculos, quos olim memoriæ tradiderat, & crebrò repetierat de *SS. Nomine JESU* cum tenerrimo devotionis affectu ubertim lacrymans, ore ſingultiente recitare. Quamvìs alijs quoque temporibus crucifixum ſuum, quem ſemper ante oculos appenſum parieti habebat, ultro ipſa ſæpius poſtulabat, ſvaviſſimè baſiabat, cordi apprimebat, votáque varia, atque pia ſua deſideria illi exponebat. Sum̃o mane poſtquã ſanctas quaſdam proteſtationes abſolviſſet, tanto fervore, atque deſiderio *Sanctiſſimam Euchariſtiam* percepit, ut & caput, & manus, & totum corpus cum quadam pia violentia ſurſum levaret, quaſi erreptura è manibus Sacerdotis *Sponſum ſuum Chriſtum*, cui ſemper, & ſingulariter in hoc *Sanctiſſimo Sacramento* afficiebatur; ideóque etiam tunc temporis valde querebatur, & dolebat, quòd ultimis jam vicibus ſurgere nequiverit, ut illum flexis genibus pro ſuo uſitato more ſumere poſſet. Sumto demum illo eâ reverentiâ, quâ aliàs ſemper ſolebat, poſt abſolutam debitam gratiarum actionem, ſeipſam quaſi gratulabunda alloquebatur: *Tandem etiam*, inquit, *hunc habeo!* quaſi dicere vellet, conſum̃ata eſſe omnia. Jam, quod quæſivi, habeo, quod concupivi, teneo! Sic namque etiam unam ex ſuis filiabus, quæ ipſi com̃unicanti non aderat, quodam̃odo exultabunda affari cœpit: *Ecce*, inquit, *quia tardiùs veniſti, tu procul dubio ignoras, quòd ego meum ſponſum chariſſimum hoſpitio cordis exceperim! quapropter hinc jam volo migrare, ut videam, & conveniam chariſſimum conjugem meum, & unicum, dilectiſſimúmque filium Franciſcum!*

Mors ſanctè obita.

Reliquam ergo diei partem, quaſi convivio peracto, hilari mente, atq; amœ-

amœno, & amabili vultu, nîl mortem metuens, ſed toto corde deſiderans, ſingulari DEI beneficio uſquè ad ultimam horam ſemper ſibi præſens, pijs colloquijs vacando, & affectibus ferventioribus indulgendo, & animam ſuam DEO comendando conſumebat. Et quia finem ſuum præſciviſſe videbatur, ideò converſis ad circumſtantes oculis, in primis quidem ſuis filiabus, deinde Sacerdoti ſibi aſſiſtenti, benigno, hilarſque vultu manum porrigebat, quaſi ultimum vale ſingulis dictura. Dúmque loqui nihil poſſet ampliùs, atque *nomina SS. JESU, & MARIÆ* in aures ipſi inſpirarentur, illa ſolis manibus, manus aliorum fortiter comprimebat, quaſi ſignificans, quòd non aliud corde, atque mente volveret, & retineret, niſi utì antea dixerat ſolum ſuum JESUM, in cujus manus, utì piè ſperare licet, animam ſuam toties ipſi antea comendatam, & eo quidem die, quo & ipſe ſuam æterno ſuo Patri comendabat, tradidit, ad Regnum illud transferendam, quod nobis omnibus ab ipſo mundi exordio paratum eſſe ipſe Chriſtus olim aſſeruit. Sed jam aliquid de Virtutibus viventis dicamus.

Feriâ VI. inter 3. & 4. pomeridia: 1660. 8. Octobr:

Ab *amore DEI* initium ſumatur. Cùm *Illuſtriſſima Matrona* animadvertiſſet, & ab ipſo uſu, atq; longâ experientiâ didiciſſet, nihil prorſus in mundo eſſe, quod hominis animum implere, ejúſque deſideria ſiſtere, ac famem ſatiare poſſit, præter ſolum, & unicum DEUM, connubij vinculis abſoluta, eò ſuas cogitationes, eò curas, & ſtudia convertit, ut ſibi *Divinam Majeſtatem*, quibuscunque modis, & medijs poſſet, devinciret; hinc fiebat, ut colloquijs de DEO mirificè delectaretur, & dum alij arces, prædia, atque palatia meditarentur, illa monaſteria, aut ſacras ædes cultui Divino promovendo ſtruere deſiderabat. Quia verò id ſibi per inopiam non licebat, ſaltèm ab alijs fieri animitus exoptabat. Unde ſi quando alicubi locorum pro incremento gloriæ DEI factum quidpiam fuiſſe intellexit, tunc ſingularem vultu lætitiam præſe ferebât, & mirum in modum in animo ſuo delectari videbatur. Quia verò etiam ſemper *Socium comitem DEI timorem* præ oculis habebat, ideo talem ipſa vitam inter homines agebat, ut nemo de illa quidquam mali profari auderet, ſed omnes converſationem vitæ ejus integerrimè ſuſpicerent, laudarent, ac venerarentur: quocunque enim ſe vertebat, non niſi bonum Chriſtianæ virtutis odorem ſpargebat.

Virtutes quædam Illuſtriſſimæ hujus Matronæ.

Amor DEI

Et imprimis, quia noverat optimè, quòd quælibet *Vidua* nemini ſecuriùs loquatur, quàm DEO, qui *Pater & Protector* eſt *Viduarum*, ideo tempus reliquum, quod filis ducendis, aliſque domeſticis occupationibus ſupererat, partim affectuoſis quibusdam oratiunculis, quas olim memoriæ mandaverat, implebat, partim globulos precatorios volvendo, quos velut arma ſua ſemper ad manum in promtu habebat, conſumebat, & itá certum quaſi cenſum precatorium *Divino Numini* propitiando, certis horis, & diebus ſingulis perſolvebat. Si verò nonnunquam alicui itineri ſeſe comittebat, non

Studium Orationis.

Digitized by Google

alijs quoque armis, quàm globulis precatorijs manus obarmabat, & inſuper icunculâ Virginis Sanctiſſimæ ante ſe præfixâ, quaſi clypeo utebatur. Sed lecto jam conſtanter affixa hæc verba iterabat, *Credo, ſpero, amo, doleo.*

Conformatio voluntatis cum Divina.

Nutui Divino maximè ſub finem vitæ ità ſe ſubjecerat, ut obvijs quaſi ulnis eum amplecteretur. Quam ob rem, ſi mœſtus quiſpiam caſus accidiſſet, aut ſi vehementioribus doloribus oppreſſa fuiſſet, & ſi tunc quiſpiam Divinæ voluntatis mentionem feciſſet, mox illa acquieſcere, ac repetere: *Fiat ergo, ſicuti DEO placet! ſi vis Domine, potes! Tua ſum, ô Domine! Tibi vivo, tibi moriar!* Et nè ſingula ejuſmodi exempla comemorare neceſſe ſit, ex hoc uno, quod ſequitur, plura facilè colligere licebit: Non multos ante annos effundebant ſeſe ex Tranſylvaniæ finibus prædarum avidiſſimi hoſtiles exercitus, qui *dum Ungariam, Moraviámque* Panico implerent metu, atque obvia omnia ſinè ullo diſcrimine diriperent, & vel maximè bonis Orthodoxorum inhiarent, illa & bonis proprijs cedere, & Patriam chariſſimam deſerere, & in ipſa *Croatia* exulare cogebatur. Dum autem amicorum nonnulli miſeræ, & afflictæ exuli non tantùm compati, ſed etiam ſolatio eſſe ſtuderent, illa Divinæ non immemor Providentiæ hoc ſolum ſeſe conſolantibus, magno animo reponebat: ſi ità arrideret Divinæ Majeſtati, etiam in ſua ſenectute, dum fodere non valeret, oſtiatim mendicare.

Fiducia in DEUM.

Hâc etiam procul dubio de cauſſa tantam erga *Divinam Bonitatem* præferebat fiduciam, ut cùm ſubinde terrificos aliquos rumores, ſive jam de hoſtili potentia, atque ferocia, ſive de alijs quibuſpiam imminentibus periculis referri audiret, ipſa hoc uno dicto aliorum omnia facilè refutabat: *Et ubi*, inquit, *eſt DEUS?* quaſi dicere voluiſſet: ſi DEUS pro nobis, quis contra nos? cùm autem etiam ſubinde aliquid de horrore extremi Judicij, aut de tormentis inferni recenſeri audiret, quaſi horum timor non ad ſe ſpectaret, aliud quidpiam, quod vel ad amorem DEI in ſe accendendum, vel ad augmentum ſervire poſſet virtutum, ſibi narrari poſtulabat. Unde & mortem, quam alioquin naturaliter omnes timere conſveverunt, illa non tantùm non abhorrebat, verùm etiam adproperare exoptabat, inquiens: *Eccui bono ampliùs hæc vita mea? ut quid in hoc mundo locum occupo diutius? ſiquidem oneri ſum alijs duntaxat, neque ampliùs quidquam boni facere poſſum; mori, mori votum eſt meum, mei namque in Cœlo præſtolantur me cum deſiderio, abibo hinc potiùs, migrabo quantocyus, ut illos videam, illíſque congaudeam: nihil namque timeo, quia bonum Dominum habemus, qui plus amore mei fecit, & tulit quàm neceſſe fuit.*

Contemtus mundi.

Rebus porrò terrenis, & ſæculi vanitatibus, quòd jam mortua fuerit, dum adhuc viveret, ex multis indicijs deprehendi poteſt. Ob hanc cauſſam per omnes annos ſuæ viduitatis ſemper modeſtiſſimo veſtitu utebatur, unicâ

dun-

Digitized by Google

duntaxat, eâque ſat attritâ tunicâ per annos plurimos contenta, eo ſolo ſplendore delectari videbatur, qui ſolos Divinos oculos recreare poſſet.

Hinc ſi aliquando illam contigiſſet in tempus nundinarum incidere, dum alij ad ornatum corporis exquiſita ſerica, pretioſa monilia, & clenodia, aliáque mundi crepundia, atque oblectamenta mercarentur, illa (utì dicere in more habebat) *Sponſo ſuo Chriſto* pro ſacro Altari ornando, aut ab arte ſingulari gratioſè confictos flores, aut calicibus operiendis artificioſas acu depictas ſyndones, aut ad ornatum Sacerdotalem materias pervenuſtas conquirere, & coemere non omittebat. Sileo icones argenteas, aliámque permagni pretij ſupellectilem ſacris uſibus ab ipſa DEO honorando non ſemel, ſed ſępius oblatam. Zelus erga cultum Divinum.

Et valde quidem illa gaudebat, & in corde ſuo delectabatur, dum ad ornatum Eccleſiæ quidpiam conferre poterat, ſed tunc multò magìs dum ipſam verbo Divino, quod animæ, ſalutíque ſuæ plurimùm prodeſſe noverat, aures præbere contingebat: plurimi namque hoc in ipſa notârunt, quòd ſacris Concionibus cum tanto guſtu, atque intentione intereſſe ſolita fuerit, ut eas audiendo quaſi in extaſin ſubinde rapi videretur. Ideóque quæ tunc ipſi ſapiebant, datâ occaſione, pręſentibus alijs illa repetere non erubeſcebat, imò ſelectiora quælibet documenta in corde ſuo conſervabat, in uſum deducendo, dum tempus, & occaſio poſtulabat; cùm autem extremis vitæ diebus ob exhauſtas corporis vires, concionibus intereſſe non valuit, præ nimio dolore inconſolabiliter flere, atque lacrymari incœpit; quam ob rem inpoſterum Sacerdos ad ipſam vocari, & Concionem lecto jam affixę repetere debuit; ſed neque ſolis concionibus illa contentari ſuſtinuit: Eccleſiaſticos enim ſubinde humaniſſimis verbis invitabat, & quodam̃odo rogabat, ut ſingulis diebus ſaltèm aliquid vel per horulam ex pio aliquo codice ſibi prælegerent. quia verò *aureum Thomæ Kempenſis libellum* in magna æſtimatione habebat, ſub finem ordinariæ lectionis, illa ipſa proprijs manibus illum aperire gaudebat, & in quod caput fortuitò incidebat, illud ſibi pro complemento, atq; ſolatio prælegi rogabat, cujus voti quotieſcunque fiebat compos, ſingularem in animo lætitiam præſeferebat cum magna grati animi ſignificatione. Amor verbi Divini.

Quamvìs autem piè defuncta innatam quandam cum hominibus agendi affabilitatem, & gratiam haberet, converſationi tamen Perſonarum Eccleſiaſticarum mirum quantum afficiebatur. Et quemadmodum omnes Sacerdotes ſingulariter reverebatur, itá ægerrimè ferebat, ſi quando ab aliquo vel læderentur, vel deſpicerentur, ſiquidem ipſum *Numen Divinum* in perſonis ejuſmodi venerandum eſſe cenſebat, quos etiam ea de cauſſa honoris gratiâ, *Dominos Patres* appellare conſueverat. Unde ſi quiſpiam horum viſitandi gratiâ illam conveniſſet, tunc ſingulari quâdam conſolatione, atque lætitiâ perfundi, & in animo recreari videbatur. Ut autem fructum aliquem Reverentia Sacerdotũ.

ex

Digitized by Google

ex ipſorum præſentia decerperet, ultrò modeſtâ cum gravitate, atque reverentiâ de rebus Divinis tractandi, materiam ſubminiſtrabat, varias ſubinde queſtiones animæ ſalutem concernentes proponendo, & diſcutiendo. Dum verò etiam aliquem illorum ſuæ menſæ aſſidere contingebat, illa ipſa cibos præſcindere, illa propriâ manu porrigere, illa parata pro ſua perſona fercula cum illis dividere, illis dividere, illis ſuum hauſtum comunicare, & omni quolibet modo gratulari adnitebatur. Cúmque ante annos aliquot intellexiſſet plurimos ex Tranſilvania expulſos fuiſſe Sacerdotes, optabat, ut omnes ad ſe diverterent, ajebátque, ſe paratiſſimam fuiſſe omnes hoſpitio excipere, ideóque tunc ſuis dicebat: *liberi mei eſtote parati ad transmigrandum ad anguſtius cubile, in hoc enim auguſtiore, vicarios Chriſti inquilinos meos facere conſtitui*; hinc dum quidam illorum graviſſimo morbo oppreſſus ad locum certum, in quo extremam vitæ clauſulam confecturus erat, deveheretur, nacta occaſionem ſuo deſiderio ſatisfaciendi, multis precibus inſtitit, ut apud ſe relinqueretur. Quod, cùm ipſi conſtanter urgenti conceſſum fuiſſet, illa infirmum non ſolùm varijs, atque exquiſitis medicamentis confortavit, ſed etiam DEO auxiliante priſtinæ ſanitati reſtituit.

Affectus erga ſacrum Miſſæ Officium.

Quemadmodum autem omni honore Sacerdotium proſequebatur, ità etiam *Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium* tantopere ęſtimabat, ut per annos complures ideo potiſſimùm binos Sacerdotes aluerit, ut ſingulis diebus ubicunque locorum eam morari contingeret, ſacro Miſſæ officio intereſſe, & conſvetæ ſuæ devotioni vacare poſſet. Cui piæ conſvetudini ità ſeſe aſſveſecerat, ut quaſi perinde apud ipſam fuerit, ſacrum quotidie non audiviſſe, atq; diem perdidiſſe.

Devotio erga SS Sacramentum.

Quia verò *ſacro Miſſæ officio* tam frequenter intereſſe conſveverat, ideo vix explicari poteſt, quanto fervore, atque devotione erga *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum* ferretur; ità enim vel ipſo ejus aſpectu delectabatur, ut extremis diebus, dum per ægritudinem ſacris Myſterijs intereſſe non poſſet, non ſolùm ſuſpiria frequentare, ſed etiam querelas, & lamenta iterare non ceſſaret. Et licèt in tam provecta ætate exſuccos pedes vix movere potuerit, pati tamen nullo modo voluit, ut ad ſe indignam (utì ipſa agebat) DEUS, & Creator ſuus veniret: quapropter ipſa ab Oratorio ſurgere, ipſa ad ſacrum Altare procedere, & ſi non potuit, perduci ſe rogare, ipſa in genua procumbere, cum magna circumſtantium ædificatione in more habebat. Tum verò vel maximè, cùm *S. Hoſtia* à Sacerdote elevabatur, fervere illa ſingulariter videbatur, neque ſolùm in genua reverenter procumbebat, & piâ manu pectus ſuum concutiebat, verùm etiam *Chriſtum* ipſum quaſi *Sponſum*, verbis amore plenis, varia intermiſcendo pietatis ſuſpiria interpellabat.

Fervor Pœnitentiæ.

Sed neque illud eſt omittendum, quod non ſolùm admiratione, verùm etiam imitatione dignum eſſe videtur, quòd nimirum dum ſeſe ſacro Tribu-

nali

Digitized by Google

nali rationes cum DEO compoſitura ſiſtere debebat, non illa perfunctoriè, aut per modum conſvetudinis ad hoc ſacrum negotium peragendum ſeſe preparabat, ſed pridie ejus diei *conſideravit ſeduló ſemitas domûs ſuæ*, & cum illa muliere Evangelica latebras conſcientiæ everrebat, & in memoriam diligenter ſibi revocabat, quidquid per naturæ fragilitatem contra leges Divinas à ſe factum fuiſſet, uti inſequente die ſuæ conſcientiæ arbitro omnia fideliter recenſere poſſet. Inter ipſam delictorum enumerationem tam ferventes doloris actus elicere adnitebatur, ut ſæpe diceret, quòd ſi id licitum eſſet, quòd ſeipſam ſcindere parata eſſet, ut magìs dolere de comiſſis valeret. imò neque id ſe verbis exprimere poſſe aſſerebat, quantâ tunc pœnitentiâ cor ſuum commoveretur, dum delicta recenſuiſſet. & his ejus dictis adſtruit fidem conſequens eventus: cùm enim à natura ità conſtituta fuerit, ut difficillimè ad lacrymandum ſeſe reſolvere potuerit, viſa tamen fuit ſubinde à ſacro Tribunali abſcedens in tantum ſingultire, atque lacrymari, ut ſe fruſtra conſolantes penè ad impatientiam comoveret, cùm à plorando ceſſare renueret.

Quia verò etiam, quodnam ſit *Refugium peccatorum*, non neſciebat, ideo ex frequenti Angelicæ Salutationis repetitione tam ſingularem amorem, atque affectum erga *Virginem Matrem* conceperat, ut quemadmodum abſq; icone ipſius nunquam foras prodiret, ita etiam titulo honorificentiſſimo *Matris admirabilis* ſæpius honoraret, neque ullam eidem honorandæ ſacram diem decretam celebraret, quin per *ſacram Exomologeſin*, conſcientiam expiâſſet, & ſacrâ ſynaxi ſeſe refeciſſet. Illud porrò etiam, quia ſingulare, nequaquam omittendum eſſe videtur, quòd nimirum cùm vice quâdam voti perſolvendi gratiâ ad locum illum, quem olim prope *Tergeſtum ſacra ædes Lauretana* fecerat celeberrimum, perveniſſet, tanto erga *Magnæ Matris* honorem, amorémque zelo accenſa fuerat, ut omnibus obſtupeſcentibus ad inſtar plebejorum, non in pedès erecta, pro ſui ſtatûs reputatione, ſed utroque curvato poplite circùm totam ædis illius venerandam fabricam, non ſinè ſingulari pietatis affectu genibus ſuis, veluti trahis quibusdam ſeſe circumverterit. Quantum autem hic honor, atque devotio DEIparæ Sanctiſſimæ arriſerit, vel exinde colligere licet, quòd illam in magna quadam animi afflictione quaſi immerſam, atque aliò commigrantem, effigies quædam cuprea, in tabella gratioſo penicillo expreſſa ejuſdem *Virginis Sanctiſſimæ*, retortis poſt illam abeuntem oculis ſuo aſpectu amabili dignata fuiſſe putetur. Unde cor ſuum alioquin ingenti mœrore tunc temporis afflictum, inſolito quodam ſolatio, atque inopinato gaudio repleri ſenſit, & animadvertit; uti illa ipſa coram ſuæ conſcientiæ arbitro non ſemel, ſed ſæpius pro ſuo in *Divam Virginem* affectu recenſuit. Amor Beatiſſ: Virginis

Sed quam pro ſuo modulo venerari didicerat, hanc etiam, utpote ancilla Chriſti in humilitate potiſſimùm imitari ſtudebat. Quamvis enim ad Humilitas.

 magnum

Digitized by Google

magnum humanâ opinione honoris faſtigium per divinam gratiam evecta fuerit, nec non ampliſſimis poſſeſſionibus aucta, nihilominus tamen plus æquo nunquam de ſe vel minimùm præſumebat, nec ſuper alios inaniter ſeſe extollebat. Imo cùm ab *Illuſtriſſimis Perſonis* (utpote *Generalis Conjux*) honoris gratiâ ſæpius viſitaretur, & ſingulari venerationis, amoríſque ſtudio paſſim exciperetur, illa humiliter de ſe ſentire, humilibus verbis alios prævenire, ad humilia ſeſe obſequia demittere non erubeſcebat, ſed tunc vel maximè, cùm aliquem malæ affectæ valetudinis eſſe reſciebat, huic namque illa ancillari, huic pro ſuo modulo inſervire, manibus proprijs medicinas parare, & ſubminiſtrare ſatagebat. Et ſic illa quidem quoad externum agendi modum ſeſe gerebat, quantum autem in corde ipſius ſubmiſſionis latuerit, id facilè colligi poteſt ex verbis illis Davidicis, quæ ſæpius repetere in more habebat, dum inſolens aliquid, aut adverſum ſibi obveniebat, dicendo, *Bonum eſt mihi Domine, quia humiliâſti me.*

Humanitas

Ab hac eadem peramabili ſubmiſſione animi naſcebatur in illa quædam pergrata humanitas, atq; manſvetudini juncta affabilitas cum omnibus uti loquendi, ità & agendi, nullo perſonarum habito delectu. Non enim illa homines pauperes, aut abjectos vilipendebat, aut cum deſpectu à ſe repellebat, ſed quemvis licèt ſimplicem, ad colloquium admittebat, quemlibet ſuas neceſſitates exponere ſinebat. Et ſi etiam quandoq; offendebatur, mox facillimè uno, vel altero verbo placabatur, ſemper veniam poſtulantibus remittere promta. Et quia blando ſemper, & amabili vultu cum quadam ſingulari ſermonis gratiâ omnes affabatur, ideo per hoc gratiſſimum benevolentiæ ſtudium ità ſibi omnium affectus devinciebat, ut illam omnes non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem, non ſolùm amore proſequi, verùm etiam laudibus extollere quodammodo cogerentur, & nunc etiam defunctæ, illam qui olim noverant, omnes bene precentur.

Prudentia.

Præter hoc, illud etiam in ipſa probè notatum fuit, quòd inter alias dotes, quibus DEI beneficio exornata fuit, & eam omnibus gratam, atq; amabilem reddebant, erat ſingularis quædam prudentia, cum virili quaſi gravitate, atq; peramabili ſvavitate conjuncta, quam in illa ipſi etiam *inclyti Ungariæ Regni Proceres Illuſtriſſimi*, non ſolùm admirabundi ſuſpiciebant, verùm etiam ipſam ſubinde conſilij capiendi gratiâ Perſonæ nobiliſſimæ ità libenter conveniebant, ut ſemper magìs, ac magis in ſua opinione æſtimarent, atq; ſingularem quandam ex converſatione ipſius perjucunda oblectationem animi perciperent. Quantum autem ipſa ſuo conſilio polleret, vel ex inde advertere licet, quòd cum ſuo (uti ipſa ajebat) *pretioſo Conjuge* ſpoliata fuiſſet, & ipſe *Palatinus* eam viſitandi, atq; conſolandi gratiâ conveniſſet, exordium ſuæ orationis inde ſumſerit: *Eccur*, inquit, *ô Domina conſilio tibi nunc ipſi ſuccurrere neſcis, ſiquidem omnibus antehac te convenientibus, optimis, & ſalu-*

lu-

Inberrimis conſilijs ſubvenire ſciebas, atque ſolebas? quod teſtimonium à tam magno Magnate prolatum, nemo, credo exigui eſſe momenti aſſerere audebit.

Et quia prudens meritò nemo eſſe diceretur, qui alicui injuſtus eſſe probaretur, quanto illa zelo erga *leges juſtitiæ* ferebatur, experti ſunt ij, qui eam ſæpius loquentem audierunt, quòd pati potiùs ab alijs, quàm alicui inferre injuriam, optaverit. Hinc ſi quando intellexiſſet, aut ſtipendio promerito familiam defraudari, aut ſolutionem illi ultra tempus debitam prorogari, id nullo modo tolerare poterat, ſed continuò quà precibus, quà minis perurgebat, ut quod *Juſtitia* poſtulabat, id quàm primùm executioni daretur. Cúmque vice quadam non nemo ex famulis ipſius morte ſubitaneâ, infauſto caſu, delapſus ex equo extinctus fuiſſet, illa metuens, nè vel in minimo *Juſtitiam* læderet, mox proteſtari cœpit, quòd ex rebus ipſius nè teruntiũ quidem pro ſuo uſu retinere velit. Ideóque mandavit, ut omnia, quæcunque ad ipſum jure ſpectarent, pro ſalute animæ ejuſdem in pias cauſas expenderentur. Zelus Juſtitiæ.

Sed non ſolis Juſtitiæ legibus, verùm etiam *temperantiæ* tam ſtudioſè ſeſe adſtringebat, ut nihil unquam contra illam neque victu, neque potu peccâſſe notata fuerit. Et quod plus eſt, etiam extra tempus ordinarium aliquid ſumere, quaſi indecorum, & inutile apud illam videbatur, niſì fortè infirmitas nonnunquam aliud ſvaderet. Nullas illa cupedias, nullos exquiſitos cibos ambiebat, aut exoptabat maximè ultimis vitę temporibus, quibus ſolis ferme vulgaribus, & agreſtibus ferculis, atque leguminibus victitabat. Aliorum autem nimiam potandi licentiam ſæpenumero verbis gravioribus inſectabatur. Et quamvìs ipſa peramplam ab *Eccleſia* poteſtatem, atque licentiam habuerit, cibis vetitis pro libitu utendi, atque veſcendi, illa tamen nonniſi certis *quadrageſimæ diebus* hoc privilegio utebatur. Nullo autem pacto illi perſvaderi potuit, ut vel *feriâ ſextâ*, vel aliquo *feſto ſanctiſſimæ Virginis*, ſeu *Sancti* alicujus præcedente *pervigilio* eâ licentiâ gauderet. Temperantia.

Et hæ quidem omnes, utì nemo dubitat, ex Divinæ fœcunditatę charitatis, quaſi ex quodam largiſſimo fonte profluxêre virtutes, nihilominus tamen inter omnes emicare videtur, ſingularis ille, & magni meriti, & animi valde generoſi actus, quo ſibi vel maximè DEUM ter Opt: Max: demeruiſſe videtur, quòd ſemel viduata ſuo primo, & ultimo Conjuge chariſſimo, tam firmum propoſitum nullum alium *Sponſum* poſthac quærendi, & amandi fecerit, præter *ſolum Chriſtum*, ut quantumvis nonnemo Magnatum potens, ac dives opum, ex celeberrima *Principum familia* oriundus, in *Matrimonium* illam denuo expetierit, illa tamen in amore viduitatis *S. Pauli* conſilium ſecuta, ità conſtans permanſit, ut nunquam poſthac in ſecundas nuptias conſentire voluerit, ſed potiùs per reliquũ vitæ tempus, *mulierem* illam *fortem* in Amor Viduitatis.

ſe exprimere conata fuit, cujus *precium procul & de ultimis finibus* ſapientiſſimus *Salomon* eſſe aſſeruit.

Amor puritatis. In hoc porrò tam laudabili ſtatu, quantum erga omnem honeſtatem, atque mentis puritatem affectum animo præſeferret, id ſæpeſæpius non tantùm inter agendum, ſed etiam inter loquendum prodidit: ſi enim quiſpiam (uti inter minùs pia hilaria fieri ſolet) aliquid in medium protuliſſet, quod aut bonis moribus aliquomodo adverſum eſſe videbatur, aut aures honeſtas dedecebat, mox illa vultu ad gravitatem compoſito, verbis indignationem redolentibus, temeritatem ejusmodi, & impertinentem loquendi libertatem increpare, reprehendere, atque caſtigare non deſiſtebat, donec authores ruborem induiſſent.

Gratia fœcunditatis. Ut autem mereretur videri *in lateribus domûs ſuæ ſicut vitis abundans*, quaternis ſuper decem liberis, quaſi olivarum novellis illam beaverat miſericors DEUS: ità tamen, ut qui omnes dedit, iterum plus quàm dimidiam partem ex ipſo fermè innocentiæ ſtatu ad ſuam in Cœlo augendam gloriam abſtulerit: tribus enim filijs, & inſuper quinque filiabus orbata, tot quaſi gladijs doloris ſauciata, non ſemel ingemiſcere didicit, atque in valle lacrymarum, materno impellente affectu ſæpius illacrymari. Præmiſſis igitur, & per conformationem ſuæ voluntatis cum Divina, oblatis quodam̃odo cœlo octonis prolibus, quaſi victimis, & primitijs (primas enim quinq; mors im̃atura abſtulerat) reliquas ſuperſtites non tantùm orthodoxè vivere edocuit, ſed etiam in pietate ità firmavit, atque ad omnem virtutem inſtrui curavit, ut *præcipui Dynaſtæ*, *Inclyti potiſſimùm Ungariæ, atque Poloniæ Regni*, quodam̃odo inter ſeſe concertare viderentur, ut aliquam ex filiabus ipſius ſibi matrimonio conjungere poſſent. Hoc tamen ad notam accipiendum eſſe videtur, quòd una ex numero illarum meritò ſit excipienda, quæ planè *Virgo ſingularis* eſſe voluit, dum pio quodam faſtu abrepta, deſpectis ſæcularibus nuptijs, nec non omnibus mundi vanitatibus, ut ſolius Sponſi Divini oculis placeret, ſeſe Sacrarum Virginum cœtui aſſociavit, & *ſeptis Monaſterij* incluſit.

Charitas erga liberos. Hanc ergo, utpote ſæculo mortuam, cùm piè defuncta noſtra, cum gaudio atque ſingulari ſuo ſolatio, DEO obtuliſſet, quàm ſolido deinceps, ſincero, atque benigno affectu erga reliquam Illuſtriſſimam prolem ſuam ferretur, id quidem non ſemel patuit, maximè tamen in hac tam longa bellorum tempeſtate; ſive enim arma *Svecorum* metuenda appropinquarent, ſive *peſtiferæ lues* aliquando ſuis horrorem incuterent, illa non tam ſibi, quàm proli chariſſimæ metuens, prolem ad tutiora ablegare, prolem ab im̃inentibus quibuſcunque periculis conſervare in more habebat, & omni ſtudio fovere, ac tutari adnitebatur. Et cùm vice quâdam *Ungaricum* iter agens, in ſum̃o verſaretur periculo, nè in *Turcarum*, viciniam depopulantium manus incideret, conſpecto jam non procul abinde capitali hoſte, inclamat protinus

famu-

Digitized by Google

famulitium, & quaſi oblita ſui, disjungi equos, atque diſſolvi imperat, & ſuam prolem ocyus ſuperimponi, ad tutiora quàm citiſſimè deportari, atque fugâ velociſſimâ tam manifeſto periculo eripi, ſubjungendo: perſonam, vitámque ſuam, utpote ſenio jam confectam, ſe non multùm æſtimare, atque curare, ſi hoſtis illam ſibi eriperet, dummodo ſua chariſſima proles ſalva, & incolumis ſervari poſſit. Cùm autem ſuper hæc, & auream ſuam ſupellectilem, & quidquid tandem pretio æſtimabile habebat, id totum multis ante obitum annis inter ſuas chariſſimas proles diviſerit, & diſtribuerit, & ſeipſam quaſi exinaniverit; neſcio, quid ampliùs *gallinâ pullis* ſuis præſtare valeat, cui tamen *Chriſtus* ipſe ad explicandam ſuam eximiam erga nos charitatem aſſimulare ſeipſum non dubitavit.

Siquidem ergo tam tenero affectu erga progeniem ſuam *Illuſtriſſimam* ferebatur, ſanè nemo mirari debet, quòd cum tanta doloris vehementiâ, & dilectiſsimum *Conſortem ſuum*, ſibi à morte inexpectata ereptum, & *unicum Franciſcum ſuum* crudelibus armis per inſidias ſublatum per menſes plures, nè dicam per annos, ſæpeſæpius, iterum, atque iterum deploraverit. Durum erat procul dubio in dolore liberos parere, ſed multò durius erat, ſpectare, atque tolerare, dum primos *quinque* vix in lucem editos mors im̃atura abripiebat, & Matris cordi, quaſi quinque vulnera infligebat, hoc ſolo levamine, atque ſolatio relicto, quòd hæc tentatio fuerit non ſinè magno proventu: ſiquidem his *quinque* plagis inducta fuit, ut fidem Orthodoxam amplecteretur, quam *S. Auguſtinus* omnibus mundi divitijs, honoribus, & quibuscunq; bonis præferendam eſſe arbitratur. Patientia.

Hâc ergo in fide dum pientiſsimè vixit, tandem morti habenas impoſuit, quæ poſthac fortaſſe ideo, editas in lucem à ſe proles attingere quodammodo verebatur. Sed ecce, dum jam mors quaſi trepida liberis parcit, majus tormentum *Matri* intulit, dum *ipſum Patrem* invaſit, ſibíque chariſsimũ *Conjugem* ex vivorum numero ſat im̃aturè ſuſtulit. Sed quid ampliùs non tentavit? non ſat erat optimo, ſibíque chariſsimo *Conjuge* privari, debuit namque etiam unico ſuo ad exoptatam jam Maturitatem provecto, quaſi ſuæ ſenectutis baculo, prô dolor! ſpoliari, & quidem modo tam crudeli, atque nefando, à quo fortaſſe vel ipſi barbari abhorrere debuiſſent. Dicendum hìc eſſet, quot difficultates exhaurire debuerit in coërcendis per complures annos rebellibus ſubditis, quot incom̃oditates pertulerit huc & illuc fugiendo, & hoſtiles metus evitando, quibus denique afflictionibus, etiam à ſuis ſubinde diſsidentibus exacerbata fuerit, quos ad pacem, & concordiam ſervandam omnibus modis inducere adnitebatur. Sed iſta inſinuaſſe ſat eſt. Calamitates à DEO im̃iſſæ magni boni cauſſa.

Per hos igitur tam triſtes, & varios exercitata caſus, Divinâ ſic diſponente Providentiâ, tam egregios in *Patientiæ* virtute progreſſus ſecerat, ut lecto tandem affixa, morborum ingruentium, dolorúmque impetus pacatiſsimo,

Digitized by Google

mo animo, vultu ſemper blando, atque amabili, ſemper ad modeſtiam compoſito, perferre didicerit. Quam ob rem nullus ab illa morbis oppreſſa inconditus clamor, nulla moleſtiam creans querela audiebatur. Et ſi quandoque vocem altiùs attollebat, tunc ſolum DEUM adjutorium, & *ſuum JESUM* pro ſuo more inclamabat. Id verò jucundiſsimum circumſtantibus eſſe videbatur, quando ſæpius illa Regij Prophetæ verba ſibi ipſi occinebat: *Bonum eſt mihi Domine, quia humiliâſti me! Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Doleat hîc*, inquit, *doleat hoc miſerabile corpus, modò mea anima poſtea ſit eò melius.* Præter has DEO, & Angelis gratas cantilenas, etiam in ea id rarum fuit, quod in paucis infirmis videre ſolemus, quia nimirum omnis generis medicamenta, ſive illa amara fuerint, ſive dulcia, ad cujuslibet inſtantiam, promto, & alacri animo, maximè verò ultimis vitæ diebus ſumere non detrectabat, imò quaſi ſuum providendo finem ſubinde dicebat: *fundite, infundite, quidquid tandem velitis, erunt tamen omnia gratis.*

Labor inde feſſus.

Et licèt per annos plurimos plurima perferre didicerit, otium tamen, quod omnibus mortalibus noverat eſſe perniciofiſsimum, tolerare non potuit. Et hanc ob cauſſam non ſolùm *Familiam ſuam* ſemper aliquo labore occupatam eſſe voluit, ſed ipſamet etiam, quaſi continuo manuum ſuarum conſilio, *linum operabatur*, & ſub colo ſedens, atque *fuſum apprehendens*, aut fila ducebat, aut in globum convolvebat, ſi illam orationis tempus ab ejuſmodi opere non avocabat. Huic autem labori, & occupationi uſque adeò dedita fuit, atque intenta, ut nè quidem lecto jam affixa ab eodem deſiſtere voluerit. Ideóque *colum lino refectam* in ſumitate lecti, dum jam ſibi pedes ſervitium negarent, alligari curavit, ut ità tempus, quod ægrotans orationi non impendit, filis trahendis concederet. Et mirum id quidem multis videbatur, quòd talis, ac tanta Domina huic quaſi ſervili labori ſeſe impendere non dedignaretur. Magìs tamen id mirandum eſt, quòd non ſolùm domi, verùm etiam ipſis in Urbibus, & arcibus, quocunque illam venire contingebat, hoc ipſum *penſum* ſponte ſibi injunctum perſolvere, adſtantibus, & admirantibus clariſsimis perſonis non erubeſcebat. Unde *Viennæ Auſtriæ*, cùm vice quâdam in hoc ſuo conſveto opere deprehenſa fuiſſet ab ignota quadam perſona, hæc admirabunda talem in modum loqui cœpit: *Eſtne credibile, quòd ſenicula iſta ſit ex Comitiſſarum ordine? hæccine eſt illa Comitiſſa ForgacZiana, cujus glorioſa fama in tot Provincijs prædicatur?* ſiquidem autem tam inimica fuit otio, videamus nunc, quæ præterea fuerit in hac vita ipſius negotiatio, ut impleret verbum illius, qui dicebat: *Negotiamini, dum venio.* Lucæ 19.

Liberalitas in pauperes

Ultima igitur cauſſa tam felicis, atque beatæ mortis creditur eſſe ea virtus, quam totâ vitâ prælatulit, & quæ *cum ipſa* utì cum Jobo *ab ipſa infantia creviſſe* videtur, jucunda videlicet miſeratio, atque ultimo die à DEO Judice

præ

Digitized by Google

præ cæteris virtutibus prędicanda, erga egenos miſericordia. De hoc namque potiſsimùm ultimis ante mortem diebus conquerebatur, quòd ad eam paupertatem deveniſſet, ut non habuerit, quod in pauperes diſtribuere poſſet. Et cùm intellexiſſet aliquot adhuc florenos in loco quodam depoſitos ſupereſſe, per DEI amorem, & per vulnera Chriſti enixè rogavit, ut vel hi inter egenos pro ſalute animæ ſuæ expenderentur. Et quamvìs impoſterum ſenſim ſinè ſenſu vires corporis deperderentur, & decreſcerent, necdū tamen decreſcebat miſeratio: inquirebat enim ulteriùs, an vel aliquid de tela ſupereſſet, quæ *pauperibus ſtudioſis* ſubmitti poſſet; ſed cùm ad manus in promtu nihil eſſet, & nonniſi pervetuſtæ *duæ cortinæ* conſpectui ſeſe obtuliſſent, ſubintulit ipſa: *ſaltem ergò*, inquit, *has illis ſubmittite.* Sed non ſolùm dum infirma, & lecto affixa eſſet, verùm etiam dum adhuc percōmodâ valetudine uteretur, ſemper miſereri miſeris ab ipſa ſua natura quodam̄odo monebatur. Nam quotiescunque alicui itineri ſeſe accingebat, ſemper id præ cæteris negotijs urgebat, ut capſulæ ſuæ num̄orum aliquid ſubminiſtraretur, quos ipſa proprijs manibus in obvios pauperes expendere, & diſpergere poſſet. Nec hoc ipſi ſatìs erat, nam etiam ſingulis fermè annis in die Paraſceves ſi aliud aliquid præſto non adfuit, telam per partes inter pauperes mendicos diſtribuere conſveverat, eâ fortaſſis intentione, ut denudatum quondam eo die ſponſum ſuum Chriſtum pro ſuo modulo contegeret, quem etiam poſt *Communionem ſacram* ordinariè aliquâ ſingulari eleemoſynâ pauperibus ſubmiſsâ honorabat, licèt alioquin ſingulis diebus Dominicis eoſdem ex Hoſpitali vocatos prandio excipere ſolita fuerit. Et hæc quidem ordinaria ipſius liberalitas multis optimè nota magnæ ædificationi fuit, præcipuè tamen tunc enituit, dum exulantes è Litvania *Sacri Ordinis Carmelitani* plures ferme, quàm 20. *moniales* unà cum binis *Sacerdotibus*, atque familia earundem hoſpitio excepit, & per triennium integrum, certo illis aſſignato proventu, majori ex parte ipſamet aluit, ídque cum tanto benevolentiæ ſtudio, atque affectu, ut vehementer doluerit, quòd iterum in *Poloniam* revocatæ fuerint, quas ſi licuiſſet, etiam uſquè ad mortem (utì ipſa agebat) alere, & ſuſtentare non detrectâſſet. Sed neque illud prætereundum eſt, quòd cùm aliquando ſat magnam tritici copiam peſſumdatā fuiſſe percepiſſet, quod *Officiales* quali quali pretio diſtrahendum eſſe quantocyus ſvadebant; illa inſtinctu miſericordię mox imperavit, ut inter egenos ſubditos divideretur, ſperans futurum, quòd fortè uſui ipſorum inſervire poſſet. Dictum factum; concurrunt turmatim famelici ſubditi, atque in domos ſuas donatum triticum aſportant. Sed ecce, cum admiratione omnium, *triticum corruptum* priſtinam ſuam bonitatem in *manibus Pauperum* recuperaſſe viſum fuit, & beneficiatis mox perſvaſit, ut pro tam larga, atque in illo tempore gratiſſimâ eleemoſyna debitas gratias referre contenderent. Et fecit illa quidem ſuis pauperibus ſubditis

Frumentū corruptum pauperibus datum, optimum evadit.

ſæpius

ſæpius gratiam ejuſmodi, maximè tamen, & ſingulari cum affectu paulò antè ſuam mortem, dum quaſi poteſtatem non habens, & humiliter quodam̃odo, & inſtanter à ſuis petijt, ut certus frumenti modiorum numerus denuo inter egentes ſubditos erogaretur. Et ſic quidem obijt, & abijt hæc pia *Tabitha* noſtra. Quemadmodum autem nocturnis viſis ſemper credere videtur eſſe ſuperſtitioſum, ità & omnibus ſemper diſcredere, cùm non omnia omnino ſoleant eſſe vana, nemo procul dubio negabit eſſe temerarium, ſiquidem ab ipſo rerum eventu plurimi didicerunt ſubinde non vana ſomniâſſe. Erat igitur in oppido *Arci Brumovienſi* ſubjecto, ex devoto fœmineo ſexu non omnino poſtrema, quæ ipſa nocte im̃ediatè obitum noſtræ piæ defunctè præcedente, mox quàm primùm ex primo ſomno fuerat expergefacta, ſuo conjugi admirabunda narravit, ſe quaſi cuidam magnificę *Proceſſioni*, utì in feſto *Corporis Chriſti* aſſolet, interfuiſſe, quam etiam ſuâ præſentiâ condecorâſſe videbatur unà cum prole ſua Illuſtriſſima noſtra magnifica piè defuncta. Quæ cùm ab alijs non procul ſeparata ſubmiſſis genibus, ante quandam *Sanctiſſimæ Virginis Iconem* flectens ſacroſancta myſteria veneraretur, in momento viſebantur ſcalæ lucidiſſimæ propè illam de cœlo demiſſæ, per quas cœlites gratioſiſſimi, atque aſpectu jucundiſſimi, quales fortè olim *S. Patriarcha Jacob* lætabundus aſpiciebat, deſuper deſcendere videbantur. Id cùm ſomnians ſtuperet, & quidnam portentum hoc ſibi vellet, reſciendi avida, virum quendã proximè adſtantem, quaſi ſuſpenſo pede acceſſiſſe videt, ab eo admirabunda ſciſcitabatur, quidnam in terris Divini illi aligeri negotiorum tractare decreviſſent, id ad ſuam quæſtionem ſolùm reſponſi accepit, ſpiritus iſtos adminiſtratorios ideo ad terras deſcendere, ut *Magnificam Dominam Brumovienſem* ſecum abducant. Hæc cùm ſomniantis maritus adhuc in ſtrato decumbens vix enarrata, mente attentiſſimâ percepiſſet, mox ſubintulit, inquiens: *Signum id eſſe manifeſtum, quòd Magnifica Domina noſtra ultimum diem ſit clauſura.* Et certè ità factum eſt; die enim hanc ipſam noctem ab hoc ſomnio illuſtrem ſubſequente, poſt tertiam pomeridianam vivere deſijt in terris, ut *vitam beatam* (utì omnino ſperare licet) auſpicaretur in cœlis. Et quidem pro bono ſpei incremento huic qualiquali argumento non exiguam adſtruit fidem, eximiæ pietatis, atque ex *Illuſtriſſimis* oriunda *natalibus Virgo* quædam, quæ non poſt multos ab obitu defunctæ dies gaudio quodam ſingulari perfuſa quaſi exultabunda narravit, ſe etiam in ſomnijs piè defunctam conſpexiſſe, quæ ſublatis cœlum verſùs oculis, ſvaviſſimam quandam, atq; pientiſſimam de *Virgine Sanctiſſima Cantilenam*, tam jucundâ, atque admirabili vocę decantabat, ut ab ore Angelicǫ vix dulcius, atque jucundius jubilum expectari poſſe videretur. Sileo etiam huic piæ Virgini perſonam genere minimè inferiorem, quæ dum nocturnis in tenebris per avia, & devia hyberno tempore in ſum̃a tempeſtate hinc inde aberraret, & quaſi deſperabun-

Quædam viſa de ejus morte felici

Digitized by Google

bunda opem *Magnificæ* piè defunctę ſi fortè in ſtatu felici viveret, ex quodam magno confidentiæ, & bonæ ſpei affectu imploraret, mox non ſinè ſtupore, atque ſolatio ſingulari ad terminum, quem ſibi præfixerat, pervenit. Atq; hæc erant, quæ de *Illuſtriſſima D. Eſthera Boſſani* rogatus (utpote rerum conſcius) adduxi. DEUS faciat, ut quicunque hæc legerint, ad capeſſendas in cælo coronas, ac poſteri præcipuè ac hæredes ſangvinis, ad ſanctam hanc virtutum hæreditatem adeundam animitus excitentur!

Ego quod adjiciam de meo nihil invenio, niſi quòd *Illuſtriſſima Eſther*, ex Societatis noſtræ inſtitutione talis evaſerit; uſa enim eſt viris illuminatiſſimis, & rerum ſpiritualium apprimè peritis; primi erant, qui eam ab hæreſi ad *Catholicam fidem* adduxerunt Venerabiles Patres (quorum in præſenti volumine quædam geſta leguntur) *Adamus Kravvarsky*, & *Albertus Chanovsky*. His ſucceſsêre propiùs ad noſtra tempora RR. PP. *Valentinus Joannides*, *Wenceslaus Cannabius*, *Joannes Jaranovsky*, *Petrus Bankovsky*, *Wenceslaus Przibramsky*, & quidam alij, omnes mihi noti, ſed jam pridem fato ſuo functi; poſtremus, qui morienti adfuit *P. Adalbertus Martinides* omnes alios priores diuturnitate temporis, qui conſcientiam *Illuſtriſſimæ Matronæ* rexerant, ſuperavit, anno ſuperiore 1681. vitâ defunctus. Patres ejus Directores in ſpiritu.

TIT: LXIX.
Franciſca Slavatina, nata Comitiſſa de Meggau.

FRanciſca ex illuſtriſſima ſtirpe *de Meggau* (quæ in utraque Republica præſtantes Viros, Epiſcopos, Cardinales, tum egregios bello Duces protulit) genita, *Patrem* habuit *Leonardum Helfridum de Meggau Mathiæ Cæſaris Supremum Camerarium*, poſtea *Ferdinandi II. Cæſaris ſupremum Aulæ Præfectum*, *Virum militarem*. *Matrem* verò æquè illuſtrem *Annam*, ſtirpe *Khuenianam de Belaſy*, quæ filias ſanctiſſimè educatas, atque in primis *Franciſcam* priùs ſanctimoniæ, & pietatis, quàm Conjugij legibus illigavit. Duodevigeſimo ætatis anno *Franciſca* in *Conjugem* accepit *Joachimum Udalricum Comitem Slavatam* inclytæ Familiæ *Procerum Bohemorum*, cui ſeptem proles attulit, *Filios quatuor*, & lectiſſimas *filias tres ſummorum Virorum* conjugijs implexas; *Filij* ad omnia ſuma nati, ſatis oſtendunt DEUM Matri optimæ benedixiſſe de Cœlo. *Ferdinandus*, & *Joachimus Comites*, Regni gubernaculis admoti, primas Regni dignitates obierunt, & obeunt, miro temperamento æquè regnantibus ac Populo chari. Duo reliqui Fratres *Carolus* in Sanctiſſimo *Carmelitanorum* ordine honoratiſſimus, ſumum nuper *Magiſtratum* inter ſuos (*Generalatum* vocant) adivit. *Leopoldus* Canonicis Eccleſiæ Paſſavienſis accenſus eſt. *Conjugem Joachimum* incom-

1676. 22. Sept.

Genus & Nobilitas.

Ddd mo-

Digitized by Google

modiſſimo ſuis rebus tempore amiſit *Franciſca* Muriponti in Styria, cùm hoſtis Svecus in *Bohemiam* penetrans omnia velut in hoſtico, fœdè vaſtaret, unde coacta cum ſeptem parvis Prolibus *Paſſaviam* concedere, velut in exilio conducta in domo anguſtiſsimè vixit. Optimè dictum eſt ab aurei oris Doctore: *Sanctorum vitam ex adverſis ac proſperis mirâ varietate contexi.* *Matronæ* hujus *Illuſtriſſimæ* virtutum, præſertim in educandis liberis prudentiſſimæ Moderationis, & felicitatis famâ vulgatâ, *Auguſtiſſimus Cæſar Ferdinandus III.* permotus; cùm filio *Leopoldo* (quem nobis ſervet DEUS!) educatricem quæreret, *Franciſcam* evocavit, & *Supremam Aulæ Præfectam* eſſe juſsit: præſtitit id ſummâ totius Aulæ, & ante omnes, *Cæſaris Patris* commendatione, cujus educationis locupletiſsimus teſtis eſt ipſe *Cæſar Leopoldus*, qui cùm de *Franciſcæ* morte nuncium accepiſſet, ingemuit, & ad Aſtantes: *en* inquit, *obijt Educatrix noſtra, quæ nos Materno prorſus amore dilexit.* Eo tempore dum in Aula verſaretur, & ab Gynæceo haberetur pro Matre, conſcientiæ Arbitrum nacta eſt clariſsimum Societatis JESU ſidus, *Everhardum Nithardum*, quem poſtea purpuratis Eccleſiæ Patribus accenſum vidimus. Cujus, & priùs Reverendi Patris *Joannis Weier* inſtitutione, omnes vitæ ſuæ rationes ad altiſsimas Sanctimoniæ leges cœpit conformare. Exeunte ex Ephebis *Auguſtiſſimo Cæſare*, reverſa ad liberos ſuos *Franciſca*, curis jam omnibus humanis vacua, DEO uni ſe, ejusque ſervitio mancipavit, præcipuè *Telczenſi Societatis JESU Domicilio* iminens. Quadriennium tenuit *tertiæ hujus Probationis* ædificatio, & liberaliſsima dotatio, quibus curis perfunctam repentè *Cæſar Leopoldus* rurſus ad Aulæ tumultus *Viennam* revocavit. Supremæ Præfectæ munus apud *Imperatricem Claudiam Felicitatem* laudatiſsimè geſsit; nec niſì Reginæ morte manumiſsionem potuit impetrare. quâ obtentâ *Telczium ſuum, & Novamdomum* Anno 1676. 19. Junij. cupidiſsimè revolavit. Non licuit tamen diu ſancto illo, & dulci pietatis otio frui; ſed DEO ad Aulam Cœleſtem vocante, brevì pòſt, *Dominam, & Imperatricem ſuam* ſecuta, contracto tenui morbo, quem ſenectus exaſperabat Anno 1676. ætatis 64. expleto, Sacramentis omnibus, quæ tempus illud poſcit cōmunita, illud Simeonis ſenis canticum repetens: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* placidiſsimè & fæliciſsimè 22. Septembris mediâ ſextâ matutinâ exſpiravit. Corpus *Telczium* devectum, viliſsimâ *Laicorum* Societatis veſte (quod vivens ſtatuerat, & ſcripto juſſerat) indutum, juxta Conjugis ſui corpus, cum luctu pauperum, in quos maximam eleemoſynarum vim effuderat, eſt conditum. Hactenus vitam *Illuſtriſſimæ* hujus *Matronæ* & vitę negotia brevi compendio ſumus complexi; nunc de virtutibus & Sanctimonia *Franciſcæ* pauciſsima quædam adferemus.

Chryſoſt.

Munia.

Reditus ab Aula.

Virtutes Franciſcæ.

Franciſca igitur cùm ſe totam Deo conſecrare *in Exercitijs Spiritualibus Sancti Patris Noſtri Ignatij* ſtatuiſſet (ut erat ſagaciſsima) non id ſolâ oratione,

tione, & longis precationibus (quanquam etiam in his plurimum præſidij reponebat) ſed in aſsidua virtutum exercitatione, & maximè earum, quæ *heroicæ* appellantur, collocavit. In adverſis & proſperis idem vultus; altiſsima humilitas; ſumma in DEI voluntate pax animi, & quies; omnium rerum humanarum contemtio; perpetuus & conſtans per annos plurimos vitæ tenor; præparatio animi continua in omnes caſus; inimicorum amor; inexplebilis perfectionis, & rerum Cæleſtium ſitis, deſiderium ardens mortis, & beatitudinis æternæ; conteſtata apud omnes, Eccleſiaſtici, & Religioſi ſtatûs, etiam adversùs Principes viros defenſio; pauperum patrocinium; liberalitas in ſuppeditandis ad pauperes ſumtibus; nullus ad ea, quæ mundus miratur, & ſuſpicit reſpectus; odium ſui; omnium veneratio; nulla nisì precaria dominatio, aliæque virtutes (quas ob varietatem ſuis indigitare nominibus difficile eſt) ſpectabilem cœlo *Franciſcam* faciebant. *Cardinalis Nithardus* (quantus vir?) qui *Franciſcam* intus optimè nôrat, utpote à ſacris Confeſſionibus, cùm hujus ſanctæ matronæ mortem audiſſet; non dubitavit ſcribere, *ſi in Urbe, aut Hiſpania obiiſſet, Proceſſum de vita illius futurum fuiſſe. Sanctitatem Franciſca* non habebat improvidam, nec ſubventaneam; ſed providentem, & ſtabilem. Non enim caſui ſeſe ſubjiciebat, ſed prævidebat omnia, & quid in anima ſua ageretur, quotidie annotabat; *Libelli propoſitorum*, & ut ita dicam *præviſionum* ſunt in manibus, quibus illa ſe longè ante obarmabat, & animo precipiebat, quæ ad DEI Gloriam à ſe gerenda in meditatione matutina ſtatuiſſet: ordo quotidianus vitæ hic erat, quem verbis ipſiſmet *Franciſcæ* ex Ephemeridibus, ad imitationem illuſtris fortunæ Matronarum, exſcribo. *Dum me ſtrato proripio* (ſurgebat horâ 4. matutinâ) *Sanctâ Cruce frontem munio, rogans DEUM Patrem, ut dirigat omnes meas cogitationes, DEUM Filium, ut regat verba mea, Spiritum Sanctum, ut gubernet opera. Tum genuflexione SS. Euchariſtiæ factâ, obteſtor miſericordiæ Matrem, ut me hac die à peccato cuſtodiat, novem oſculis terræ impreſſis, de genibus precationem S. Franciſci Xaverij magni Indiarum Apoſtoli perſolvo, cordi nomina ſanctiſſima JESUS, MARIA, JOSEPH, digito inſcribens, recito Pſalmos Miſerere. Laudate Dominum, & hymnum Te DEUM laudamus. veſte aſſumtâ perſolvo coronam B. Virginis cum meis pediſequis, Pſalmum 96. precationes ad Angelum meũ Cuſtodem, divóſq; Patronos, ſpecialiter hujus diei, certiſque aſpirationibus omnes cogitationes, verba & opera DEO offero, méque totam cum potentijs animæ, ſenſibúsque meis Chriſti vulneribus includo, & illa ſacra vulnera, quinis Pater & Ave de genu perſolutis exoſculor. Tum Meditationem aggredior, quam aut domi, aut in templo perficio. Hâc finitâ quidpiam ex libello Thomæ à Kempis lectito, demum B. Virginis horas recito. Unum Sacrum audio in honorem quinque vulnerum Chriſti Crucifixi, in illis vulneribus, durante Miſſâ peregrinantis inſtar circumeo;*

Quotidiana ejus vita

commendans in ſingulas plagas varios, continentiam meam vidualem, finem vitæ meæ, Religioſorum Ordinem, quem amo, cujus ſpiritum peto, cupióque ut in me voluntas DEI perficiatur, atque ità Miſſæ Sacrificium in varias intentiones divido. Si plura Sacra audiendi ſit copia, oro ſub ijsdem Nocturnum unum ex defunctorum officio, horas de ſancto Spiritu, de Sancta Cruce, Pſalmos pœnitentiales, Litanias de Sancto Ignatio, Sancto Joſepho, officium de Sancto Xaverio cum oratiunculis aliquot; rurſus coram B. Virginis ordinariam coronam Chriſti, & coronam de amore DEI. Obſervandum eſt hoc loco piam hanc *Matronam*, totum Matutinum tempus in oratione tranſigere ſolitam. Dein frugali *menſa* refectâ, de rebus cœleſtibus, & virtutibus ſermones miſcebat. Tum *manuali* aliquo *labore*, aut ſacris munuſculis pro puerorum Catechiſmo concinnandis, ſphærulis precatorijs in fila inducendis, icunculis aptandis, aut lineis aliquibus telis in pauperum uſus præparandis, & conſuendis diſtinebatur. Ab hora 6. pomeridiana cum pediſequis Virginibus, *coronam Dominæ noſtræ* recitabat. Poſt cœnam (ſi cœna vocari mereatur, cùm ferè jejunaret, & non niſi in prandio carnibus veſceretur, in cœna ipſa defraudans genium, & aſſidentes fallens) poſt cœnam inquam, pius aliquis liber coram ea legebatur; lectionem hanc *Conſcientiæ Examen* ſequebatur, tum *Meditationis* in diem craſtinum argumenta, & puncta ipſa ſibi *Franciſca* relegebat, ac tandem ijſdem precibus, quas mane adhibebat peractis, cubitum concedebat. Hæc erat vitæ quotidianæ ratio, niſi peculiaria Eccleſiæ feſta, ut *quadrageſima, octiduum Corporis Chriſti*, aliáque hujusmodi requirerent, tum enim flagella, cilicia, aliæque corporis vexationes frequentabantur, Orationum tempora augebantur, & in majùs creſcebant omnia, quæ infinitum foret enumerare. *Ter* in *hebdomada Sanctiſſimâ Euchariſtiâ* animum paſcebat. Ad quam Cœleſtem menſam cœleſtibus affectibus animam comparabat, præcipuè Libello *Patris Cæſaris Franciſci*, tum alijs, qui cor divino amore inflamant, ut *ſoliloquijs, & meditationibus S. Auguſtini*, quorum lectione, ut etiam *Thomæ à Kempis* mirificè tenebatur. Vigilans quaſi continenter Divinis actibus æſtuabat: O! *DEUS amor meus! tibi me dono! tibi gratias ago, amo & laudo Creatorem, & omnem Creaturam ad te amandum, & laudandum provoco, amore tui DEUS meus!* *Lumina* quæ ex meditatione, & contemplatione rerum Divinarum hauſerat, tum etiam quæ facienda propoſuerat, diligenter per annos plurimos annotârat. quæ relegens, & reguſtans animo inſculpebat profundiùs. *Sacrorum Patronorum nomina* quot menſibus piâ ſortitione inter domeſticos dividebat. Dominæ exempla ut fieri ſolet, quantum licuit omnis familia ſequebatur. *Spiritualibus Sancti* Patris *Noſtri Ignatij commentationibus* quotannis exercebatur uſquè ad ultimam ætatem præſenti ſemper utilitate, animæque ſolatio. In *expectatione Virginei MARIÆ partûs* (quæ *Novena* dicitur) quid propoſuerit, egeritque, libellus arcano-

Quædam certæ devotiones.

Digitized by Google

canorum manu *Franciſcæ* conſcriptus oſtendit his verbis: *Per ferias Natalis Domini revolvam quanto deſiderio MARIA & Joſeph Sacratiſſimum Partum expectârint: Colloquia de myſterio Incarnationis inſtituam; curabo novem Miſſas legi pro illis animabus, quæ in vita myſterium DEI nati affectu ſpeciali coluerunt. Diebus ſingulis novem groſſos pauperibus elargiar; novem diebus mihi carnibus interdicam: novem oſcula terræ infigam; flagris novies, & cilicijs per novem dies corpus affligam; novem victorias de lingva reportabo; novem Induſiis & totidem præcinctorijs egenas mulieres amiciam; in Xenodochio, adſcitis mendicabulis, novies recitabo Coronam.* hæc in eo libello. Jam tam multa de *Franciſcæ* virtutibus dicta ſunt, tamen adhuc ob multitudinem rerum in narrationis principijs ſtare me puto.. Abjectiſsimè ſentiebat de ſe, neque cogitatione ſolâ & ſpeculatione mentis, ſed re ipsâ, & factis omnium ſe viliſsimam reputabat: reperta eſt aliquando in oratione ſingultiens, totáque lacrymis innatans à *Sacerdote* quo utebatur in ſacris. tum illa: O! *Pater* inquit: *impetra mihi ſangvineas lacrymas, ut plangam peccata! indigna ſum quam terra ſuſtineat! conſpui & calcari pedibus hominum unicum animi mei eſt votum.* Ex hac demiſsione, & vili de ſe, rebúsque ſuis ſenſu ortum habuit, quam in moribus, & actibus omnibus adhibebat cautela, ut jam extra omne periculum poſita, & tam robuſtæ virtutis, tamen cùm *continentiam DEI donum* eſſe audiſſet, quotidie viduitatis votum renovaret, demiſſiſsimè & ardenter gratiam ejus implendi efflagitans. Eligebat anni principio *Sanctos* in dies colendos, & quot diebus eorum nomina domi ſuæ perlegi jubebat in vitæ ſpiritualis auxilium. *Pauperes* tantum abeſt averſabatur, ut etiam ſæpe ante *DEUM* optaret, ſive per injuriam hominum, ſive fortunæ caſum, rebus omnibus, quas haberet ſpoliari, ut ſtipem mendicare cogeretur. quod cùm non fieret, victu, & amictu, totâque vivendi ratione vitam pauperum exprimebat. Hoc paupertatis deſiderium utcunque prodidit *Franciſca* in Teſtamento abs ſe ſcripto, ubi hæc verba leguntur: *Ideo Teſtamentum hoc factum volo, & vi illius fortunas meas omnes poſt mortem alijs poſſidendas relinquo, ut ab hoc momento temporis ſim è numero pauperum ſpiritu, quibus promiſſum eſt Regnum Cælorum. Mendicorum amatrix* ſum̃a fuit; neque ego in *Nobilitate noſtra* vidiſſe memini, quæ plura pauperibus daret, aut quæ magìs pauperum, & miſerorum obſequijs im̃ineret. *Viennæ in Noſocomio leproſorum, & incurabilium*, viſa eſt cum Illuſtriſsimis filiabus miniſtrare, cibóſque porrigere. *Novædomi Puerulum Parentibus* orbatum, ſcabie ad cruſtam uſquè capitis obſitum, ipſamet curandum ſuſcepit, tam diúque linteolis madidis ſuſpensâ manu perfricuit, donec purulentum corticem detraheret; tum alteri oblato pretio percurandum com̃iſit. *Telczij* clam omnes pauperum Caſas obibat, ubique beneficentiæ ſuæ veſtigia relinquens. Medicamenta quàm plurima adversùs morbos manu ſuâ confecta ſemper

Humilitas.

Paupertatis & Pauperũ amor.

Digitized by Google

habebat in promtu, quæ in ægrotos pauperes liberaliſſimè diſpenſabat. Præter eleemoſynas quotidianas, & ut ità dicam extemporales, ſtatas quasdam habebat, quas in dies, hebdomadas, menſes, & annos diviſerat. *Singulis menſibus quinque Rhenenſes* Sacerdoti noſtro, qui domos pauperum obit, numerari jubebat, ut ijs ſuccurreret, qui mendicare ob priorem fortunam erubeſcunt. Mendicos veſtiebat plurimos, & in pauperum uſus ſubuculas manu propriâ conſuebat; accidítque non ſemel, ut cùm ſubucula ad manum non eſſet, exueret protinus ſuam, & donaret algentibus. Filius familias ob crimina atrocia damnatus, ſcelus capite luit: eo ipſo die *Franciſca* ad *Matrem* domi mœrore tabeſcentem properavit; ſolatijs opportunis recreavit miſeram; & oblatâ ſummâ pecuniæ mitigavit dolorem, inſigni Chriſtianæ charitatis exemplo. In his virtutum curis tota conſumebatur dies; nullus qui Dominæ delicias faceret apparebat *catellus*, nulla *avium* audiebatur Muſica, nullæ evagationes ad *hortos* ſuſcipiebantur, aut *domi* ſuæ, aut in *caſis pauperum*, aut in *templis* inveniebatur. Non poteſt ſatìs explicari magnificentia ejus in *Sacris*, & donarijs, quibus *Eccleſias*, & ſacra loca exornare ſolebat. *Sancti Jacobi Eccleſiam Parochialem Telczenſem*, quâ *Domicilium Societatis* utitur, tum alteram Societatis, quam à fundamentis excitârat, tum tertiam *Oporzani Sancti Xaverij* nomine inſignem, quantis muneribus, quantis rerum ſacrarum pretijs exornârit, tum alias quoque *Eccleſias Novodomenſes* quantum auxerit, profectò vix ullus credat, qui in rem præſentem non venerit. Ego ſanè qui hæc ſcribo, quíſque ſacram plurimarum Eccleſiarum ſupellectilem curioſè in his vicinis regionibus luſtraſſe gloriari ſoleo, nihil vidi magìs; præſertim ſi quis cogitet intra tricenos annos, & à Matronæ unius liberalitate omnia hæc eſſe profecta. Quod illa *Templum B. Virginis*, quod miraculis, vel Cæleſtibus gratijs celebrari videbat, indonatum reliquit? *Mons Sanctus*, tum alia per *Bohemiam*, *Bavariam*, *Moraviam*, loca ſacra loquantur. *Chriſti Domini* cruciatibus mirificè tenebatur, præcipuè ſangvinem in horto, mortis expectatione & horrore profuſum, meditando, liqueſcere videbatur: huic rei in aliquot Eccleſijs *devotionem Agoniæ*, ut vocant, cui Symphoniaci pueri accinerent Feriâ V. & VI. per annum, perpetuis cenſibus ſtabilivit. *Telczij* dimidio milliari à civitate, exſtructo eleganti Sacello, ad id viam columnatam deduxit, Columnis ſingulos Chriſti dolores referentibus, edito etiam libello, piíſque precibus, & cantibus, qui à columna ad columnam recitarentur, ac terminarentur, & varietate populo *Telczenſi* placerent. Id Chriſti doloribus recolendis ſvaviſſimè quieſcebat, cum quodam, ut ſic loquar cruciatu voluptatis, *DEI Matris MARIÆ, ac Sancti Franciſci Xaverij Indiarum Apoſtoli* amore, & veneratione quodammodo æſtuabat. hujus effigiem quocunque iret, aut veheretur, devehebat, ejúsq; ope invocatâ plurimis eſt erepta periculis; de *Matre DEI* quàm tenera ſunt illa,

Ejus in Sacris Fundationes, & liberalitate.

illa, quæ in teſtamento leguntur: *Prolibus meis dilectiſſimis lego amorem, & timorem DEI, veram pietatem, & fiduciam in Reginam Cœli, ut omnes illas in tremendo judicio DEO meo Creatori ipſarum repræſentare poſſim, quod unicum materni mei cordis deſiderium ſemper fuit.* Jam ſi Fundationum Sacrarum titulos percenſere velim, quem tandem narratio mea finem inveniet? *Telczenſis Domus* fundatio, & à fundamentis exſtructio, tantâ hilaritate, ut ità dicam, virtutis confecta eſt, ut ſe hujus facti memoriâ uſquè ad ipſam mortem ſolaretur. In traditione hujus Domûs coram *Eminentiſſimo Archiepiſcopo Pragenſi*, Excellentiſſimis, Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis ſtans in limine generoſâ facundiâ proteſtata eſt: *à nemine perſvaſam, aut inductam ſe eſſe, DEI unius inſtinctu, motúque proprio libere hoc fundationis opus cœpiſſe, & abſolviſſe. Summo id ſibi ſolatio, ac pro certo prædeſtinationis Divinæ ſigno ducere, nihílque ſe aliud in hoc opere, quàm puram DEI Gloriam, & animarum ſalutem quæſiſſe.* Tum altiori voce, *proteſtor* inquit, *coram Cœlo & terra, nihil à me in fundationem hanc impenſum ex injuſtè partis! Nihil ex obligatione reſtitutionis cujuſpiam, ſed ex meo legitimo patrimonio, tum alijs proventibus, quæ omnia abſque ullius injuria ſervis Chriſti donavi, ut me communis Dominus in partem hæreditatis ſuæ cœleſtis admittat.* Conjiciant Lectores ex his pauculis ſententijs Matronæ hujus cautiſſimam prudentiam, cum heroica magnanimitate conjunctam. Silentio præteriri non poteſt *Contubernium Juvenum* ab ea fundatum, quibus ædes proprias attribuit, & ſummam *quindecim millium florenorum* liberaliter aſſignavit, ut in templi choro laudes Divinas ſuis temporibus decantarent. ut *Sanctiſſima Euchariſtia* decenter ad ægrotantes deferretur ſtatuit, ut Sacerdos baldachino, ut vocant, ſeu tholo mobili integatur, ephebis quatuor linteatis faces ferentibus, & hymnum: *Pange lingva.* per intervalla canentibus, miniſtris quibuſdam Eccleſiæ comitantibus, & campanâ ſonante; & hæc omnia cenſibus perpetuis ſtabilita *Novædomi & Telczij* ſummâ populi pietate peraguntur. De *Agoniæ Chriſti* fundatione jam antè dixi. Pro *Puellis pauperibus* dotandis memorabilis eſt fundatio: ſingulis annis *quinque eliguntur puellæ*, quæ cùm annos Connubiales attigerint, centum florenos in dotem accipiunt, interea dum adoleſcant, ſingulis cenſus, ex centum florenis quotannis numeratur. Eleemoſynæ perpetuæ fundatio ſummam habet duorum millium, ex quibus cenſus annuus pauperibus erogatur. Moriens *Franciſca Sodalitates* quas ſemper ornaverât, *quaternas Novædomi, binas Teltzij*, ſingulas 100. Imperialibus pio legato honoravit, quæ omnes defunctæ Dominæ juſſu funebria gratanter perſolverunt. In quo etiam funere illud ſtatuerat ultimâ voluntate, ut pauperibus, quotquot adeſſent funebribus (quorum fuit vis ingens) quarta floreni pars daretur in manum. Atque hîc ego narrationi finem impono, plura quæ ſcribi poſſent admiranda, ſapientiùs ſilebuntur. Fuit F*ranciſca*

ſtatu-

Conſtitutio Corporis. ſtaturâ, ut in fœminis, mediocri, oculis ob continuam DEI memoriam ferè ſemper demiſſis; ſummâ gravitate, ſinè affectatione tamen procedens, viduali habitu, capitis cultum maximè negligens; vultu, in triſti aliàs ætate renidente, & quandã affabilitatem ſpirante, ut paratam ad benefaciendum eſſe facilè appareret; manus, aut coronâ B. Virginis, aut libello ſuſtinendo occupabantur; denique ipſe exterior habitus corporis, & maxima lingvæ parcitas, Majeſtatem quandam interioris gratiæ præferebat.

Tit: LXX.

R. D. Joannes Hoffman Vicarius ad Eccleſiam Metropolitanam Pragenſem.

1678. JAm præſens Liber, ut cum Poëta loquar, ad *umbilicum* à Typotheta perductus erat, cùm interiore quodam inſtinctu, *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus DD. Joannes Dlauhovvesky Epiſcopus Milevitanus, Eccleſiæ* A. 1682. *Metropolitanæ Pragenſis Præpoſitus*, datis ad me literis ex *S. Monte* (ad quem Peregrinos Pragenſes, ipſe Peregrinus deduxerat) admonet, nè dum claros & ſpectatos ſanctimoniâ Viros in opere præſenti enumero, *Joannem Hoffman* prætercam, *Vicarium in Metropolitana Eccleſia* toti Urbi notiſſimum, qui Annis octo & triginta, & quatuor Menſibus inſuper, perdius & pernox in *Eccleſiæ* illius *Sanctæ* obſequijs ſteterit, nullo unquam, ut ita dicam, abſentiæ admiſſo hiatu; fuiſſe in hoc Venerabili Sene multas antiquorum & Piorum hominum virtutes; reliquiſſe exempla, quæ Poſteri non modò imitari poſſint, ſed etiam admirari. Itaque ut morem gererem juſta & pia monenti, ſtatim arreptâ pennâ ſcriptoriâ, quaſi uno ejus volatu, rem omnem confeci. Videbam *R. D. Joannem Hoffman* ab annis permultis, quoties illi opus eſſet, *Urbem Pragam* obire, eâ modeſtiâ & verecundiâ oculorum, ſed grallatorio, & nonnihil concitato gradu properantem, ut cum DEO & coram illo ambulare, & invitum in publico verſari facilè intelligerem. Manicatâ & talari ſimplici & rectâ tunicâ cum Cingulo, pallio ſuperinjecto, quod tenuem Clericum deceret, procedebat; nihil erat in veſtibus variatum, pulla omnia; pileus pendebat in faciem; pallio brachia cohibebantur; Caput Viri ætate extremâ (obſervavi) recalvum, ſed vultus nunquam in diverſa mutatus, nonnihil tamen erat horridior, & ad quandam duritiem aſperatus; idem intrepidus, ſed quem facilè placari poſſe ſperares; denique DEO ſuo propitio inhærens, vultu ſatis monſtrabat, meliora eſſe, quæ latêrent in pe-
1598. ctore. Natus erat *Joannes Hoffman in Bohemia Neüdorffij Lobkoviciorum* ditione, Anno ſuperioris ſæculi 98. Catholici Parentes & timentes DEUM, ad omnem Virtutem, & Pietatem monitis & exemplis *Filium* inſtruxêre, ut in ea jam ætatula *Joannes* in orando DEO ſummam voluptatem reponeret,

Digitized by Google

ret, atque bene, & ex virtutis Legibus agere, primum, pulcerrimum, & digniſſimum eſſe putaret. Tam lætas & certas pietatis ſignificationes cùm *Illuſtriſſima Lobkoviciana*, cujus glebæ, ut dixeram, adſcripti erant *Joannis Parentes*, in puero ſagaciter notaſſet, author Parentibus magnoperè fuit, ut ad literarum ſtudia *Pragam* mitteretur; eadem Matrona non parcè ſubſidia ſubminiſtrabat, quibus ille continuos aliquot annos in ſcholis exegit; commendatione dein *Magiſtrorum*, *in Contubernium S. Bartholomæi Pragæ* receptus, diu & *Philoſophos, & Theologos* audivit eâ fælicitate, ut *Philoſophiæ Magiſter* primùm, poſtmodum etiam *Theologiæ Baccalaureus* (rarum adhuc eâ tempeſtate doctrinæ honeſtamentum) publico Univerſitatis præconio crearetur. negant iſtud poſtremum de *honoribus Thoologicis* nonulli; ut ut ſit, *Joannes* primum Eccleſiaſticæ vitæ *Tirocinium* in *Sacellani* munere poſuit, mox *Parochiam* in loco dicto *Henrichsgrün in Cubitenſi Provincia* laudatiſſimè adminiſtravit; ibi eum verſantem, & jam antè in ſtudijs notum, nunc etiam famâ innocentis vitæ comendatum, *Pragam* evocant *Simon Broſius* (poſtea *Suffraganeus Epiſcopus, & Archiepiſcopus Trapezuntinus*) *& Gaſpar Arſenius Metropolitanæ Eccleſiæ Decanus* (duo Pragenſis Diœceſis lumina) *& Vicarium* ſibi conſtituunt; quo in Munere conſtantiâ Chriſtianæ humilitatis, & quotidianæ circa *Sepulchra Sanctorum Bohemiæ Patronorum, & Indigetum* pietatis conſvetudine, tantopere ineſcari ſe paſſus eſt *Joannes*, ut nunquam, nè *Attalicis quidem* ut ajunt, *conditionibus propoſitis, Officium*, aut locum mutare, aut altiorem gradum, quem obſequio tam diuturno merebatur, expetere dignaretur. ipſe velut *Romæ Sanctus Servulus*, per annos amplius 38. in *Officio Vicarij* exequendis, quæ ſui muneris eſſent, penè ad pertinaciam quandam Virtutis intentus, ſumâ religione obibat omnia, erátque unus inſtar multorum. Accidit, ut *Joanni noſtro* quidam Canonicatus licèt non pingviſſimus, talis tamen, qualem alij cupidè ambirent, offerretur: hîc ille quantum honores & titulos averſaretur, oſtendit: nam repentè convaſatis rebus omnibus ſuis, & in peram conjectis, arreptóque ſcipione profugit, neque rediturus erat ad *Vicarij munus*, niſi accepiſſet promiſſum, nunquam quenquam ampliùs ſibi in ea dignitate obtrudenda moleſtum fore; ita jam ſecurus ad obſequium Eccleſiæ revertit. Scilicet inhonorari ſe honore credebat *Vir optimus*, & quem adverſa non poterant, *Tituli honorum è ſtatione* depuliſſent. Adverſorum mentio revocat in memoriam temporum calamitates, injurias, oblocutiones, aliáque hujusmodi fortiſſimè tolerata; copioſam patiendi materiam præbuêre bella, quæ tot annis *Bohemiam* lacerabant; ab æqualibus quoque ſuis (præſertim ante ſenectam, nondum acquiſitâ authoritate Virtutis) exagitatus & irriſus frequenter, Spartano ſilentio concoquebat duriſſima, & contrà reponebat nihil. Inerat *Viro*, ut innueram antea, & in vultu, & in verbis, & in moribus agreſtis quædam (DEO,

Eee quàm

quàm hominibus gratior) ſimplicitas, ut nihil, vel parum doctrinæ, parum etiam humanæ prudentiæ, parum Civilitatis primo aſpectu & affatu (licet in receſſu, & congreſſu longiore, ſvavis, & jucundus) præferret; ex eo fiebat, ut opportunior injuriæ foret, & ex ejus triſti ſupercilio irriſores alienarum actionum (quorum hodie facilis eſt annona) vexando meliorem ſe, riſum captarent. Congruebet huic ſimplicitati, *veſtis plerumque detrita*, neque ſemper bene aptata corpori, ut perſæpe ignoti, præſertim puerilis ætas in Plateis, *Judæum* eſſe ſuſpicarentur, & vociferarentur: ergo petulantes pueri non ſemel poma putrida, pyra, olera, lutum in tranſeuntem certatim jactare, ignominiosè vocibus ſemifractis, balbis, & blæſis appellare, per pallium more *Caniculorum* trahere. non aliud tum erat *Joanni perfugium*, quàm ad locum, ubi poma, & fructus vendebantur, confugere; ibi pueris illis inſolentibus, cruſtula, & fructus emebat, dividebátque ſvaviter renidens, & ſe non *Judæum, ſed Sacerdotem* pacatè & leniter affirmans, petulantiam in venerationem, & manuum oſcula comutabat. Narrabo in hanc rem aliud nobile *Exemplum*, quod ab *Illuſtriſſimo, & ſacro Viro* accepi, in quo quid magis, an patientiam, an humilitatem, ac facilitatem in dimittendis injurijs admirer? non poſſum ſtatuere: Invitatus erat ad prandium à Viro Amico Cive Pragenſi *Joannes*; deſcendit ab Arce ſenex præfinito tem pore, ſed *Dominus* detentus negotijs nondum domum redierat; *Joannes* domum ingreditur hoſpitem opperiens; mulier ancilla *Judæum* ingreſſum eſſe rata clamorem tollit, *Judæum ad furandum veniſſe*, adſunt famuli, *Joannem* aggrediuntur, multis verborum, & concuſſionum injurijs vexatum domo exturbant. Sedit ante domum *Joannes* quaſi nihil paſſus ſummo ſilentio, dum *Civis* qui invitârat, adveniret, qui hoſpitem ſuum cum ſignificatione honoris inductum, menſâ inſtructâ primo in loco adhibuit. Ibi tum Familiæ primùm error patuit: re ſignis quibusdam próditâ *Joanne* ſilente, timentibus iracundiam Domini famulis, *Joannes* factum excuſavit, & veniam exoravit. Hanc ſimplicitatem *Ioannis* (de qua modò) comitabatur, vera & juſta verborum libertas: quod geſtabat cor, lingva, cùm loquendum eſſet, efferebat in publicum: ſine diſcrimine, ſi quid ante ſe fieret, reprehendebat, ipſos etiam Magnates in Eccleſia admonebat officij. Hujus ſeriæ & ſanctæ ſynceritatis laudatores etiam hæreticos fuiſſe meminimus: *Arce Pragenſi* A. 1649. captâ hoſtes *Sveci* (præſertim Militares Præfecti) colloquijs ejus & ſimplici agendi ratione capti complectebantur hominem, & ad menſam, illo non recuſante, vocabant. Fortè contigit, ut apud *Militiæ Svecicæ ſupremum Ducem Konigsmarkium Ioannes* pranderet; accumbebat unà, quem vocant, *Superintendens* hæreticorum; is Cœlibatum Catholicorum Sacerdotum multis irridens, tam doctè & aptè ab *Ioanne* noſtro retuſus eſt, tot exemplis & tam claris *Sacrarum literarum* ſententijs obrutus, ut obmuteſcere

coge-

Digitized by Google

cogeretur, plaudente ipſo *Duce Königsmarckio*, cæteríſque Convivis (ut ſunt hominum ingenia victos plerumque irridentium) in cachinnos maximos in re tam inexpectata reſolutis. Ad conciliandos DEO & Eccleſiæ hæreticos, & peccatores ad pœnitentiam revocandos, mirâ pollebat vi, bonúmque eorum numerum fuiſſe teſtantur plurimi. Res quam nunc memorabo; antiqui moris eſt, quæ ſi vel primis Chriſtianorum ſæculis facta foret, laudationem mereretur: Fur in *Cubiculum Ioannis* clam ingreſſus, rebus circumluſtratis, tandem in aliquem pecuniæ numerum incidit, quam in ſaccum ſuum injicere cœperat; ſupervenit *Joannes*, & *hominem* in calido flagitio deprehendit: negare non poterat furtum, qui alienam pecuniam manu teneret; ſed ſummâ rerum inopiâ eò ſe conſilij adductum eſſe cauſſabatur, & veniam poſcebat. Tum *Joannes* (nè quid alienum moribus ſuis faceret) graviter priùs verbis caſtigato, alterum tantum pecuniæ quantum jam furto ſublegerat, donavit, & abire juſſit. Liberaliſſimus erat in egentes, ſed clam omnes hoc miſericordiæ genus peragebatur: dividebat æquâ portione cum *Pauperibus* quæ ſacris in Eccleſia laboribus emerebatur ſtipendia; ex prandio & demenſo ſuo ſtudioſos literarum pauperes alebat, & complures his auxilijs ad Sacros Ordines aſcenderunt. Diei magnam partem ut munus ferebat, in Eccleſia tranſigebat: horâ tertiâ matutinâ ſurgebat ante alios, & cœleſtibus ac æternis meditandis, profundâ animi & corporis reverentiâ, & contentione affectuum vacabat; ſingulas actiones ſuas quotidie in ſeparatis chartulis annotabat, ut vel minùs rectè facta die craſtini corrigeret, vel non ſatis ad ungvem virtutis expolita ad perfectum adduceret. Chartæ ejuſmodi *Rationum Cœleſtium*, ſæpius ab *Joanne* amiſſæ & ab alijs inventę multum ad exemplum aliorum valuerunt, licèt quidam vitâ diſſimiles ridere magis, quàm imitari voluerint. Cùm in *Vicarij Munere* antiquiſſimus eſſet omnium, & ex merito in ædibus *Vicariorum* jus eligendæ habitationis, quam vellet, haberet, incommodiſſimum ſemper, & altiſſimum eligebat cubiculum, in quo ſub ipſo tecto hieme ſemper algeret, æſtate propemodum torreretur. Cauſam rogatus, reſpondit: *corpus noſtrum nunquam molliter in hac miſera vita, ſed more Sanctorum duriter eſſe tractandum.* Ultimis vitæ Annis Prophetiæ donum contuliſſe *Viro* videbatur DEUS: mira, & quæ tum fieri non poſſe judicabantur, pluribus prædixit, quæ tamen evenerunt: uni diem ipſam quâ moriturus eſſet, nominavit; Alteri *tribus annis priùs, cùm nihil ejuſmodi nè per ſomnium quidem appareret, diſertè aſſeruit: Eccleſiæ quandam dignitatem conſecuturum.* Inter hæc paulatim vitæ vigor, & calor deſtituebat, ſimúlque ætatis annus octogeſimus appetebat; igitur in ſenectutis morbo, cùm ob aſperrimam hiemem ad Amicum hominem ſub Arcis Regiæ ſcalis jam ægrotus recepiſſet ſeſe, paucis diebus confectus, optimè ad mortem comparatus Anno 1678. in feſto *Conceptionis B.V. MARIÆ* vitâ exceſſit.

Ferdinandus II. Imp. Boh. Rex. Tit. LVII.
Franciſca Slavatina de Meggau Vid: Tit,LXIX.
Fridericus Huñecken S. J. T. LIX.

G.

Gezo I. Abbas Strahovienſis Ord. Præmonſtrat. Tit. XIX.

H.

Hedvigis Ssvihovia Regiæ ſtirpis. Tit. XX.
Hedvigis Ord. Ciſterc. Tit. XXII.
Helicardus Epiſ. Prag. Ord. S. Bened: Tit. IV.
Hemma vel Hemildis Duciſſa Boh: Tit. XII.
Henricus Abbas Ord. Ciſterc. Tit. XXIX.
Hizzo Epiſ. Prag. Ord: S. Bened. Tit. V.

I.

Jacobus Geranus S. J. Tit. LV.
Jaromirius ſeu Gebhardus Epiſ. Prag. Tit. XIV.
Joannes I. II. III. Epiſ. Prag. Tit. XXXVI.
Joannes IV. Epiſc. Prag. Tit. XXXII.
Joannes II. Archiep. Prag. Tit. XXXVII.
Joannes III. Archiep. Prag. Tit: XXXIX.
Joannes IV. Archiep. Prag. Tit. LII.
Joannes Hoffman Vicar. Eccl. Prag. Tit. LXX.
Joannes Militius Archidi: Prag. Tit. XXXIV.
Joannes Nerovius S. J. Tit. LXVI.
Joannes Papauſſek Litom. Præpoſit. Tit. XL.
Joannetius Suffr. Archiep. Prag. Tit. XXXVIII.
Jodocus Laic: Ord. Min. ſtriſt. Obſ. Tit: XLIII.
Judith Filia Regis. Tit. XIV.

L.

Ladislaus Boh. & Ungar. Rex. Tit. XLI.
Laurentius à Brunduſio Capuc. Tit. XLVIII.
Ludmilla filia Regis Boh. Tit. XVI.

M.

Marcus Præpoſit. Prag. Tit. XV.
Margarita Monialis S. Claræ Tit. XXXIII.
Maria Maximil: ab Hohenzollern. Tit. LXIII.
Martinus Strakoniczky Paroch: Tit. XLVII.
Martinus Stredonius S. J. Tit: LX.
Meinhardus Epiſc. Prag. Tit. XVII.

N.

Nankerus Wratislav. Epiſ. Tit. XXXI.
Nicolaus Lancicius S. J. Tit. LXV.

O.

Ovida Regina Ord. S. Claræ Tit. XXVII.

P.

Paulus Keicha primus in Boh. Sacerd. Tit. I.
Petrus Torrentinus S. J. Tit. LI.

R.

Robertus Ep. Olomuc. ex Ord. Ciſter. T. XXI.

S.

Sabina Virgo ex illuſtriſſima ſtirpe Wratislaviana. Tit. L.
Slavnik & Strzezislava S. Adalberti Parentes Tit: VI.
Sobieslaus I. Bohemiæ Dux. Tit. XVIII.
Sophia Abbatiſſa Ord. Ciſterc. Tit. XX.
Spitihnæus Bohemiæ Dux. Tit. XIII.

T.

Theadagus Epiſ. Prag. Ord. S. Bened. Tit. III.

V.

Vitus Decanus Prag. Tit: XXV.
Urſula de Lobkovicz. Tit. L.

W.

Wenceslaus VI. Bohemiæ Rex Tit. XXVI.
Wenceslaus Pillar S. J. Tit. LIII.
Wenceslaus Ssvihovsky S. J. Tit. XLIX.
Wenceslaus Sternberg. Tit. L.
Wilhelmus Slavata Comes, Tit. LXIV.
Wladislaus Marchio Moraviæ. Tit. XXXI.
Wladislaus Archiep. Salisburg. Tit. XXIV.

ERRATA.

Fol. 30. lin. 20. Regem. corrige: Rex.
Fol. 75. lin. 36. in animo. cor: in anno.
F. 76. lin. 33. Blemenſis. cor. Bleſenſis.
F. 80. lin. 29. Bohemiæ. cor. Bohemia.
F. 87. lin. 18. exerat. cor. exuerat.
F. 93. lin. 12. in eo. cor. in ea.
F. 98. lin. 9. premus. cor. Primus.
F. 107. lin. 21. Equeſtris. cor. Equeſtri:
F. 134. lin. 2. & eum. cor. & cum.
F. 169. lin. 36. juſſu. cor: juſta.

Cætera errata ſi magna fuerint, ſuâ ſe magnitudine prodent; ſi parva, facilè condonabuntur; ſed nulla erunt (neque magna, neque parva) ſi benignus Lector agnoverit & ignoverit.

Digitized by Google

Duorum Nomina de quibus controvertitur.

B. Georgius Moraviæ Comes, & Famianus Marzan Eremita.

SUnt nonnulli, atque eos inter hiſtoriæ patriæ ſcientiſſimus ætate noſtrâ, qui *B. Georgium Moraviæ Comitem*, *Marchionem* appellent, eúmque in *Moravia Bohemiæ Provincia* natum, in ejus gentis honorem affirment; quid ego ſentiam, breviſſimè indicabo, cùm priùs hiſtoriam breviſſimè adduxero. *Stengelius Abbas Anhuſanus* in Auguſtana ſua hiſtoria, narrat: *B. Georgium Moraviæ Comitem* vale omnibus honoribus dicto, fugiſſe, & tectum habitu Monaſtico in ordine *S. Benedicti* latentem, ſanctiſſimè vixiſſe; *Margaritam Ducem Bavariæ* ejus *Georgij* operâ ad ſacras Confeſsiones uſam, cui ille uni conditionem natalium ſuorum (ſecreto nulli proferendo) prodiderit; poſt *Georgij* mortem An. C. 1303. *Margaretam* ejus genus aperuiſſe. Scriptor antè citatus eadem omnia habet, ſed Annum mortis ponit 1457. & ſinè omni controverſia *Moraviæ* noſtræ *Marchionem* fuiſſe contendit. *Theophilus Raynaudus* laudatiſsimus Scriptor, *Georgio* quidem *Beati titulum* apponit, at non *Marchionem*, ſed *Comitem Moraviæ* dicit, qui ſpreto Principatu in *MontemCaſſinum* convolârit; ibi cùm ſe ignotum putaret, famâ vulgante deprehenſum, literis filiorum ad Principatum adminiſtrandum revocatum, non acquieviſſe, ſed literas, ùt erant clauſæ, abjeciſſe in *Caminum*, & conſtantiſsimè ſe, qui erat, negâſſe; demum quòd videret ſe in pretio haberi *Caſſini*, clam fugientem *Auguſtam Vindelicorum* petijſſe. Ex his narrationibus collatis credibile eſt: *B. Georgium ad Moraviam noſtrã* nihil omnino pertinere; quomodo enim rem tantã Hiſtoriæ ſiluiſſent? & amiſſum ſaltèm *Marchionem* indicâſſent, à filijs quæſitum? deinde vitas, & nomina, & mortes *Marchionum* omnium tam in hiſtoria, quàm in *Genealogijs* narratas habemus, *Georgium* neminem uſquam reperimus. Annus ipſe confirmat, quod dicimus. Suſpectus mihi etiam ſemper fuit, quem *Raynaudus* uſurpat vox *Comitis;* ex quibus probatiſſimum exiſtimo: hunc *B. Georgium* ex *Moravia Scotiæ Comitatu*, non ex *Moraviæ Marchionatu* prodijſſe; nihilo tamen minus totam hanc diſputationem meam *Lectoris* ſagaci judicio arbitrandam relinquo. His ſcriptis in quaſdam chartulas *Crugerij* incidi, ubi quod antè aſſeruerat, retractat, aítque *Georgium non Moraviæ* univerſæ *Marchionem* fuiſſe, ſed *Oppavienſis Ducis* filium, quod, quàm facilè aſſeritur, tam promtè negatur, cùm *Genealogiæ Oppaviæ Ducum* verſentur in manibus, ac nuſquam Georgium legamus, aut alium ex Ducibus, cui ſuperiora conveniant.

G. Cr.

Th. Raynaudus T. VIII. in S. Georg:

De

De Faviano, vel Famiano Marzan.

VIr in paucis hiſtoriæ peritus ætate noſtrâ in Syllabo quodam Divorum à ſe ſcripto, *Favianum Marzan* collocavit, qui *Novodomi Bohemiæ* Urbe in Eccleſia *S. Joannis* tumulatus ſit è regione Cathedræ Concionalis, ideo tumulo inſculptum Virum, *Eremitæ habitu* hodiéque apparere in ſaxo; habitâſſe in ſilvis ad *S. Margaritam*, duobus ab ea Urbe milliaribus, cujus veſtigia impreſſa ſaxis ſuperſint; mortuum in illa ſilva *Favianum*, omnium Templorum campanas ſponte motas deploraviſſe. Ego Traditionem vetuſtam oppugnare nolim, ſed Lectori ſanctè affirmo: nulli me peperciſſe diligentiæ, ut fundum veritatis, certúmque aliquid attingerem, & exploratum haberem: præter illas paucorum hominum narratiunculas, inveni nihil. illud autem de ſaxo, & tumulo prorſus fabuloſum eſſe comperio: purgato omni diligentiâ tumulo apparuit quidem *Eremitæ* perſona ſaxo inciſa, cum galea, & tænijs, ùt in Clypeis militaribus pingi ſolet, ſed literæ in ſaxo ſtatim, quis ille fuerit, prodidérunt: *Anno Domini 144* (deeſt unus numerus reliquus, qui extritus antiquitate legi non poteſt) *Feria - poſt feſtum S. Ambroſij obijt famoſus Vir Uroch de Zoſeczan hic ſepultus, orate pro eo.* Notandum I. illud de *Zoſeczan*, hactenus ob characterum ignorantiam alios ante me legiſſe: *de Marzan*; ſed certiſsimum eſt, ùt dixi, *Zoſeczan* ſcriptum eſſe. II. pro indubitato habere oportet, *Equitum de Oſeczan, ſeu Zoſſeczan* Familiam, tuliſſe in clypeo Militari *Eremitam* baculo ſuo armatum, cum cæteris inſignibus Eremitarum, adeoque ex Eremita illo nihil confici poſſe; expreſsit hunc Eremitæ Clypeum *Paprocius* agens de familia *Hoddiegoviorũ*, & nè quis dubitare poſsit, extant in *Archivo Collegij Novodomenſis Soc. IESU* literæ *D. Henrici de Novadomo* ſupremi Camerarij Regni Bohemiæ A. 1486. die Lunæ in feſto *S. Auguſtini* datæ, quibus velut teſtis ſubſcribit *Joannes de Oſeczan*, in cujus ſigillo idem ille *Eremita* clariſsimè expreſſus eſt; adeóque ex ſepulchro adducta cadit authoritas. Alioquin de *Famiano* (an hoc, an alio? non diſputo) *Iani Nicij* hæc narratio eſt: *apud Galeſinos privatim, & publicè mira eſt Religio Divi Famiani Eremitæ, quem ajunt ex Polonia uſquè profectum veniſſe Galeſium, ibique diem obijſſe ſupremum; ſed multa ſtatim prodigia ejuſdem in cœlo recepti fælicitatem declarâſſe.* hæc *Nicius*. Vide nomen, & quædam alia gemina. Ego rem totam in medio relinquo.

P. Cr.

Paproc. in Stemmatogr. Bohem.

Janus Nicius in Exem. Virtut. Ex: 139.

LECTORI MEO SALVERE.

NOn ſum tam cæcus rerum mearum æſtimator, ut exiſtimem, Lucubrationes meas numeris omnibus abſolutas eſſe; BONUS DORMITAT HOMERUS. *Homo ſum,* & quod apud Terentium ſequitur. *Duo* igitur *Lectores* meos rogo: *Primum,* ut ſi qua in re minùs ijs ad quos attinet, feci ſatis, aut lapſus ſum, fidenter admoneant: corrigetur, omittetur, addetur. *Alterum*, mirabitur quiſpiam, paucos Viros pios & Sanctimoniâ claros, ex tam varijs Religioſorũ Ordinibus in hac *ſecùnda Libri IV. Parte* adduci. Sciant igitur me propè omnes Religioſos Ordines adijſſe, orâſſe, ſupplicâſſe, ut ſi quem habuiſſent ejuſmodi Virum, apud eos vitæ & morum Sanctimoniâ illuſtrem indicarent; præter quos hîc poſui, nullum impetrare potuiſſe; ſuo igitur ſilentio omiſſionẽ meam imputent. Quod ſupereſt humillimè rogo (ídque iteratò) ſuggerant in poſterum, quos habent; neglectum nihil eſt: erit ijs quos omiſimus, in alia *Tractatione de Cænobijs* ſuus (octavo abhinc libro, ſi DEUS vitam prorogârit) ísq; opportuniſſimus locus.

A. M. D. G. B. V. MARIÆ
ET
SS. OO. HONOREM.

Digitized by Google

CORONIS,

Continens Indiculũ eorum è Societate JESU Patrum, & Fratrum, qui in Bohemia, Moravia, Sileſia ſeſe victimas charitatis DEO, & Patriæ præbuerunt; atque ut proximos peſte contactos Sacramentis Cœleſtibus procurarent, vitam ſuam expoſuerunt, huic charitati im̃orientes.

CAPUT I.

Septem primæ charitatis victimæ in Provincia Bohemiæ Societ: JESU.

NOlim hoc loco diſputare, an qui contagionis tempore ex charitate proximi, vitam morti objiciunt ſuam, eóque in periculo *animam ponunt pro fratribus, præmium Martyrũ* mereantur; conſulantur ij, qui *de Martyrio per peſtem* ſcripſerunt; apud me magnam authoritatem *Martyrologium Romanum* continet, quod etſi unius potiſſimùm *Cæſaris Cardinalis Baronij* operâ correctum, & auctum prodierit, ac proinde ex privati hominis ſenſu conſcriptũ videatur, tamen poſtea à Pontificibus approbatum, *Romæ* excuſum, toto orbe vulgatum, & receptum, in Eccleſijs penè omnibus inter *Sacra Officia* legi ſolitum, meritò jàm tantam authoritatem ex conſenſu omnium acquiſivit, ut tutò ſatis ex eo conficiatur, aut ſimilem *Martyrio* hanc *charitatem proximi* cenſendam eſſe, aut proximè ad *Martyriũ* accedere. In eo igitur *Romano Martyrologio* ad ultimam Februarij hæc leguntur: *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm Peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiêre, quos* VELUT MARTYRES *religioſa Piorum fides venerari conſvevit.*

Servire Peſtiferis & ex eo obſequ: mori propè ad Martyrium accedit.

In Notis ad hunc locum *Baronius* adducit *S. Dionyſii Epiſcopi Alexandrini* Epiſtolæ fragmentum ad *Hieracem*, ſed apud *Euſebium* hiſtor: lib. 7. C. 16. & 17. plura leguntur: *quàm plurimi* (verba S. Dionyſij recito) *è fratribus noſtris adeò immenſo quodam charitatis, & fraternæ benevolentiæ ardore erant inflammati, ut minimè ſuæ parcentes vitæ, ſed ipſi inter ſe ſibi firmè adhærentes, eos qui morbo opprimebantur, nullâ ſui curâ, aut cautione adhibitâ, ſedulò inviſerent,*

Digitized by Google

ſerent, illis inſervirent aſſiduè, pro viribus ob amorem Chriſti curarent, unà cum illis decederent è vita lubentiſſimè contagione aliorum infecti. Verbum illud, quod vulgò ſemper dicitur, nimirum ut ſinguli pro amicis abeant de vita, ſéque eorum cauſsâ (utità dicam) rejectamentum efficiant, re ipsâ expleverunt. Ex Fratribus igitur qui erant virtute præſtantiſſimi in hunc modum mortem oppetiverunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alij Diaconi, quidam è Populo virtutis ergò multùm laudati, adeò ut iſtud mortis genus, quod propter incredibilem Nota. *pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à* Martyrij *ſplendore abeſſe videretur.* Hactenus verba *S. Dionyſij;* quam ſententiam plurimis *Sanctorum Eccleſiæ Patrum* teſtimonijs illuſtrat *Reynaudus* noſter, & propè invictis argumentis propugnat. Utut ſit, tantum tamen tam heroica virtus meretur, ut viris famæ Sanctimoniâ illuſtribus tractatione jungi poſſit à nobis, quod quidem breviſſimè, & per *Indicem* faciemus, nè noſtra, nimiùm odiosè fortaſſe, legentibus obtrudamus.

1. P. Leonar: Corcelius. 1584. *Annuæ Brunenſes S. I.* *Primi* in hac *Societatis Provincia Brunæ* in obſequio peſtiferorum An. 1584. extincti ſunt: *P. Leonardus Corcelius* Collegij Miniſter, vir opinione Sanctitatis apud Collegas ſuos celebratus, flagrantiſſimâ in DEUM, & proximum charitate (qui jam ante duos menſes de hac morte nuncium cœlitus datum acceperat) confeſſione noxarum omnium peractâ, intentis in cœlum oculis orando extinctus.

2. P. Ambroſ: Hunc ſecutus eſt *P. Ambroſius* (cognomen nuſquam invenio) gente *Bohemus*, utrâque lingvâ Bohemicâ, & Germanicâ, ùt res poſcebat, concionem habere *Brunæ* ſolitus, geminæ cum *Leonardo* virtutis.

3. Erneſtus Prockvitz. Tertius *Erneſtus Prockvvitz Sileſius* nobiliſſimi generis, cujus ſcilicet Pater Legationem ad *Imperatorem Turcarum* olim obierat: ipſemet *Erneſtus* inter *Rudolfi Cæſaris* honorarios pueros nuper cenſus, majori Imperatori, & Regum Regi DEO in *Societate* ſervire præoptavit; hic adhuc recens admoveri Concionibus cœptus, lucra vel in hac ætate animarum quærebat, ubi mortem optatiſſimam invenit. Alios *undecim* nominare poſſumus *Brunæ* hâc eâdem contagione interemtos, ſed nimirum tres iſti ſoli, dum operam, & obſequia peſte afflatis, & morientibus impendunt, morti, & quæ mortem vincit, charitati in victimas ceſſerunt.

4. Stanislaus Woczeſcovius. 1599. Anno 1599. *P. Stanislaus Woceſcovius* gente *Polonus* ad diem VIII. Septembris *Pragæ* dum miniſterio peſte laborantium charitate cœleſti occupatus indefeſsâ conſtantiâ inſudat, & ipſe concidit; ejus virtutes, utì & ſocij ejus

5. *Lucæ Roll* Laici, patriâ Almantani, Collegij noſtri *Pragæ Janitoris* 6. Octobr: eâdem contagione à Patre *Stanislao*, cui ſervierat, contractâ, extincti, *annuæ ejus Collegij* literæ deprædicant.

Duo ex Provincia Bohemiæ Viennæ in obſ: mortui. Duos hoc loco ſubjiciam, qui non pro ſalute gentilium ſuorum, ſed apud alienos (quamquam Chriſti charitas, quæ complectitur omnes, nullum alienum exiſtimat) dum Peſtilentiâ correptis *Viennæ* deſerviunt, in obſequio peſti-

Digitized by Google

peſtiferorum perierunt, uterque tamen noſter eſt: *Novem*, inquit (verba annumero *Philippi Alegambe*) *fuêre ſocij, quos exitiali ſuâ contagione teterrima Viennæ peſtis funeſtavit. Sed duo glorioſâ morte, dum ſe proximis laborantibus impendunt, defuncti ſunt. prior ad diem quartumdecimum Septembris.* videlicèt P. *Paulus Chriſtinus, patriâ Olomucenſis*, annos natus duodequinquaginta, emeritis in varijs laboribus, muniisque Societatis uno, & tricenis ſtipendijs, abindeviginti annis in Spiritualium Adjutorum ordinem deſcriptus. Vir ob innatum animi candorem, & ſimplicitatem ingenij nulli non acceptus. Submiſsione, ſuíque contemtu inſignis, & de quo verè poſſet illud Apoſtoli prædicari, *mundum*, atque *ipſum* Sibi fuiſſe *invicem crucifixos*. Divinæ proferendæ gloriæ ſtudioſiſsimus, & in ea cauſſa quorumcunque laborum patientiâ admirabili. In proximos flagrantiâ charitatis eximiâ; quorum etiam ſtudio vitam profudit. Nam recrudeſcente ſub finem Julij peſte, à Sociorum cōmunione ſejunctus, eorum, quos peſtis afflârat (idquod anno quoque ſuperiore jam fecerat) curam ſuſcepit; quam dum ſollicitè urget agitare, eâdem & ipſe illigatus, è vita diſceſsit. Morti jam proximus, in Chriſti JESU de Cruce pendentis Imagine contemplanda totus hærebat. Externi, qui adfuêre morienti, ajebant attoniti, nunquam ſe quenquam mortalium adeò piè, religioſéque de vitæ ſtatione demigrantem vidiſſe. Succeſſit illi primùm in opere, tum Calendis Octobribus etiam in mercede

Aleg: in Victimis Charit. ad 1606.

6. 1606. P. Paulus Chriſtinus.

P. *Stephanus Kelbelius, gente Bohemus, oriundus Budvicio*, annos natus tres & triginta, exactis in Societate quindenis, quem pernicialis morbus ab ægris collectus triduo transſcripſit im̄ortalitati. Cùm ad extrema veniſſet, uſuram vitæ ſibi tam brevem dari, neque re ullâ præclarè dum geſtâ jam rude donari dolere viſus eſt. Naturæ jamjam conceſſurus: *Hem*, inquiebat, *juveni tibi, vixdum labores aliquos in hac militia experto abeundum eſt!* Sic ille nimirum de ſe ſubmiſsè, déque ſuis laboribus ſentiebat, qui tamen neque adeò exigui, neque tralatitij fuêre. Nam præter alia, quæ geſsit munia, *Mathematicam* eo in Collegio Scholam aliquot annos explicuit, *duásque B. Virginis Sodalitates* ſum̄a cum laude virtutis inſtituit, & jam confeſsionum excipiendarum munus impoſitum tanto animi ardore ſuſceperat, ut ſe totum illi probè, officioséq; obeundo, & Divino propagando honori impenderet.

7. P. Stephan: Kelbelius.

Caput II.

Novæ Victimæ Charitatis in Provincia Bohemiæ Societ: JESU.

P*Ater Marcus Antonius Soldanus Italus Pragæ in Bohemia*, animandis, curandis omni ope, ac ultro, citróque viſendis ægrotis peſtiferis inopibus eò uſquè deſudavit, dum & ipſe peſtilenti ictus telo, denique

8. P. M. Ant. Soldanus. 1613.

 meri-

Digitized by Google

meritorum plenus occumberet. Labores continui, ſenilis ætas, vigiliæ nocturnæ maturum jam percipiendis cæleſtibus præmijs operarium Societatis ſtrenuum præmiſêre, ùt ſperamus ad im̃ortalia gaudia. Ætatis annum egit 60. in *Societate* vixit 39. multæ vir eximiæque charitatis, cibi adeò im̃emor, ut non raro excitandus ad eſum ab aſſidente fuerit. Verè *Pater pauperum* citra invidiam dictus, in quos ſublimi quâdam excelluit miſericordiâ, nî legibus Religionis fuiſſet coërcitus, ſua etiam dediſſet egenis indumenta omnia, & denique quidquid apud ſe reperiſſet, quod ad ipſorum juvandam faceret inopiam. Omnis denique generis pauperes ad illum, tanquam ad parentem eorum, & ſupremum habuêre refugium. Auctor fuit *Noſocomij*, quod *Italicum* appellatur, augendi & dilatandi coëmtis ædibus, & ſpatio ampliore. Sum̃â adhibitâ curâ, & ſtudio in conquirendis eam in rem eleemoſynis, ut quàm plures com̃odè ibi infirmi, & inopes alerentur, quod etiam jam magno & ædificationis, & charitatis, ac miſericordiæ fructu fieri cum tota *Pragâ* videmus, & gratulamur. Multis annis concionando præfuit *Italorum Sodalitati*, *Sacellum*, quod *Italicum* dicunt, eleganter olim inſtructum, ut indies elegantius, ornatiúſque fieret, enitebatur. magnum certè toti *Congregationi*, cæteríſque omnibus reliquit ſui deſiderium. Et quoniam quatuor callebat lingvas, *Italicam*, *Bohemicam*, *Germanicam*, *Latinam*, plures jam ante annos deſtinatus fuerat à Moderatoribus adjuvandis ægrotis peſte laborantibus. Tres jam ex intervallo omnino ſuperaverat contagiones intactus, hancce propiùs quartam evaſiſſet, ni occultiore ipſum vi fefelliſſet lues incautum, dum eam remittere multum arbitraretur. Curaverat Pœnitentiæ Sacramento jam penè innumeros, & ſacrâ ſimul Synaxi refecerat, plures etiam oleo ſacro inunxerat, ſed ſecutus tandem & ipſe eos, quos tantâ charitate ſibi quaſi prodromos præmiſerat, obijt felicem mortem omnibus com̃unitus Sacramentis, 9. Calend. Decemb. qui dies Collegij Patrono fuit ſacer *Divo Clementi*. *Clementem* eâ luce haud dubiè ſibi habuit *Dominum*, qui ſeſe in pauperes, dum viveret, oſtendit clementem. Perjucundâ, auguſtâque ſervum ſuum DEUS paulò ante obitum viſione recreavit; vidit delapſum ille cœlitus ad ſe *B. P. Ignatium*, *&* *B. P. Franciſcum Xaverium*, pluriméſque è noſtris alios Divinâ luce præfulgentes. Tum pectus mirâ ſaliens lætitiâ, primò inclamat: deinde aſſiſtentem *Fratrem*, ut intendat oculos, monet: poſtremò ait: *Non vides conclave hoc refertum Sanctis Noſtris Patribus? Divas circumſtantes? mihique propitios cœlites non animadvertis?* Hæc ille jam eorum contubernium prælibans quorum ęternâ mox erat Societate fruiturus.

9. 1615. P. Dominicus Valeſius.

P. Dominicus Valeſius Italus Foroiulienſis, annos natus 34. è quibus 16. Societati dederat, poſtquam *Niſſæ Sileſiorum* excellenti charitate, admirabili fortitudine, & Xaveriano prorſus zelo, tam ſpiritualibus, quàm corporalibus neceſ-

Digitized by Google

neceſſitatibus lue peſtiferâ infectorum ſubveniſſet, & ferme totum illum miſerabilium hominum numerum è luto hæreticæ fæcis ſimul extraxiſſet, exactâ demum ea miſſione, morbo correptus, & viribus ſenſim deficientibus egregiè ad mortem comparatus, Sacramentíſque omnibus Eccleſiæ munitus, præſentibus & pium ejus exitum non modico virtutum ejus ſenſu ſpectantibus Socijs, virtutum meritis, & animarum lucris divitem animam ſuam Deo Conditori ſuo in manus reddidit *Crumlovij in Bohemia* Anno partæ ſalutis 1615. Feriâ tertiâ Pentecoſtes ſub horam octavam veſpertinam. Quàm primùm de morte illius rumor in Collegia delatus eſt, religioni ſibi duxerunt *Noſtri*, qui eum noverant, mortuale Sacrificium pro ejus anima peragere, aut precibus piatorijs ipſi ſuffragari, quem Viri Societatis noſtræ graviſſimi, ac Religioſiſſimi conſtanter *Hominem Sanctum* appellârunt. Extant Virtutum ejus exempla candidè conſcripta per 37. omnino Capita, quæ, ubi DEO Sanctum ſuum glorificare placuerit, publicam lucem viſura ſperamus. Hęc ex *Annuis Provinciæ Bohemiæ* deſcripſi; at olim ipſa, quæ hîc laudatur, de virtutibus ejus narratio bene longa, mihi venit in manum, offerente ipſo ejus Authore *R. P. Daniele Kirchner*, ex quo *P. Philippus Alegambe in Victimis Charitatis* profecit, eámque pauculis additis, vel mutatis, deſcripſit; admiranda omnino ſunt, quæ de P. *Dominico* adferuntur, dignáque eſſent hoc loco recitari, niſì ſemel ſtatuta brevitas prohiberet: mihi illud mirum ſemper eſt viſum: quòd, cùm plerumque ijs, quos *DEUS* ad ſum̃am in Religioſo ſtatu virtutum abſolutionem elevaturus eſt, jam inde ab initio ætatis Religioſæ amorem Sanctimoniæ injiciat, *Dominicus* noſter ipſo octennio nihil ultra com̃unem ſortem eximium præferens, tepidéque nonnihil, ac remiſsè vivens, tum primùm tanto pòſt intervallo inardeſcere cœperit, cùm lectione ſuper menſam de Sanctorum exemplis incitatus, duplici deinde viſo Divino, *B. Aloyſij cum D. Catharina Senenſi*, tum *DEI Matris cum* Puero *JESU* omnes moras, & remoras Sanctitatis abruperit, totùmque ſe Divinis rebus, & heroicis prorſus virtutibus ſectandis toto pectore conſecrârit; res eſt lectu digniſſima apud *Alegambe* noſtrum, quem obvium Scriptorem Lector inſpiciat.

Ad Annum 1619. Viennæ 16. Novembris P. *Andreas Wunder Sileſius Freivvaldenſis* ſublatus eſt lue peſtiferâ, quam ab ijs, quorum ſaluti ſerviebat, contraxit; Virum impigræ, & alacris charitatis fuiſſe, Manuſcripta Archivi noſtri teſtantur; quem etſi extra Provincias noſtras defunctum, quia tamen ortu noſter fuit, hîc nominavi. 10. P. Andreas Wunder Sileſ: Viennæ *Annu. Coll. Vien. S. J.*

Annus 1623. complura vidit in *Bohemia* funera charitatis: *Olomutij* duo, Sacerdos, & Laicus, qui ſe proximorum ſaluti devoverant, ſuccubuêre: 1623.

P. *Joannes Kaplerus Novoforenſis ex Sileſia* Anno 1572. 1. Novembris natus, auditâ extra Societatem Philoſophiâ (cujus *Magiſterium* adeptus eſt) & Theo- 11. P. Joannes Kaplerus.

Digitized by Google

& Theologiâ, *jam Parochus Tirocinium Brunenſe* Anno 1607. 18. Aprilis ingreſſus eſt, plurima Societatis miniſteria ſemper laudatiſſimè percurrens, peſte *Olomucij* ſæviente (quæ inito numero ſeptem hominum millia abſumſit) primus obſequium hoc difficile, & arduum à Majoribus petijt, impetravítq;, eo maximè argumento adversùs *Competitores* uſus, quòd jam olim *Parochus* hujuſmodi miniſterijs aſſveviſſet. accedebat, quòd nemo unus in *Parochijs Urbicis* Sacerdos ſeſe huic objicere diſcrimini vellet: Vir erat *Kaplerus* ingenij facillimi, ad omnia Superiorum imperia mobilis, idem comis, & benignus, multúmque ob has virtutes à Socijs amatus ad 16. Auguſti generali inſtitutâ Confeſſione, aliiſq; Sacramentis comparatus deceſſit ætatis An. 50. ſextodecimo Societatis.

12. Adamus Grotzman. Patrem *Joannem* ad diem 3. Auguſti præceſſerat, qui Patri Comes ad ægrotos peſte correptos ibat, *Adamus Grotzman Bohemus Pragenſis* natus 1569. Societatem inijt 1590. 12. Junij, piſtor opificio, omnia officia *Adjutorum* tractare doctus, cum laude obivit; quatuor in eo Laicorum noſtrorum Virtutes in Annalibus comendantur: *obedientia promtiſſima, benignitas in omnes cum ſerviendi ſtudio, ſilentij Religioſi obſervantia, denique otij fuga:* ſemper ille, cùm impoſita peregiſſet munia, orabat; domum fortè præteriens, ſuum eſſe putabat, mundare *Collegium*, ſarmenta colligere, ligna ſecare, aliáque mediaſtinorum officia perficere; munitus à P. *Kaplero* Sacramentis extremis omnibus, peſtilentiâ ictus occubuit.

13. Joannes Höltzelius. Eodem Anno, & in eodem charitatis miniſterio *Brunæ* vitam poſuit *Joannes Höltzelius Auſtriacus Medlingenſis*, Vir eximiæ in ægrotos, & carcere detentos charitatis, decem diebus cum peſte prima, tandem & alterâ, & tertia luctatus, ab ultima ſuperatus, in cœlum, ùt bene ſperamus, migrationem fecit.

14. P. Nicolaus Muzik. Idem Annus P. *Nicolaum Muzik Sileſium Czochovienſem* in miſſione *Crumlovienſi apud Moravos* verſantem, ſéque in peſtiferorum obſequio morti offerentem abſtulit; callebat non modo *Bohemicam maternam*, ſed etiam *Germanicam Linguam* utcunque, adeò ut *duorum Sacerdotum* labores *unus* ipſe ſuſtinere poſſet. Vir fuit magno ſpiritu, animarúmque zelo præditus; non raró animæ unius lucrandæ cauſsâ ad veſperam uſquè jejunus, iter bene longum pedes conficiebat. *Fratribus Novitijs* in miſſione ad menſam ſerviebat, lecto, aliiſque comoditatibus, ut illis comodè eſſet, ſeipſum privans; humi libro, loco cervicalis ſuppoſito, ſomnum capiebat. Pauperum egregius Patronus ſemper fuit, nullâ eorum neceſſitates ſublevandi occaſione prætermiſsâ: puritatis verò illius Angelicæ, quam S. P. N. exigit, ſingularis amator, vel hoc ſolo argumento, quòd in manifeſta etiam neceſſitate, & ægritudine, nec minimam corporis partem nudam vel videri, vel tangi permittere voluerit, & ſi caſu factum, erubuit valde, rogato ſocio, nè

id

Digitized by Google

id ampliùs accideret. Patientiæ quàm præclara documenta, æger præſertim dederit, quis explicet? vim morbi, & dolores nunc cantillando piè, nunc orando, nunc Martyrium *B. Martyris* noſtri *Joannis Ogilbæi*, patientiæ diſcendæ gratiâ ſibi legi curando, levare ſolitus. Ad *Martyrium* ipſe pro Chriſto tolerandum, ingenti deſiderio anhelans, de nulla re magìs dolebat, quàm quòd ægritudine impeditus, hominum ſalutem promovere non poſſet. Hæc porrò, & his ſimilia Religioſæ diſciplinæ exempla optimus quoque vitæ finis excepit. Nam ad ultimam luctam jam properans identidem repetebat: *O bone JESU! ſic ſic fiat, quod tu vis!* & quamvis triduò ante obitũ in peregrinatione *Weinislicienſi* ad *D. Virginem* ſacrâ Exomologeſi animum expiâſſet, cujus rei cauſsâ potiſsimùm peregrinationem eam ſuſcepit, ejus tamen copiam ſibi inextremo illo puncto aſſiſtenti, fieri magnopere cupiebat, quam cùm habere non poſſet, nec intra Collegij ſepta in noſtrorum corona emori, à *Novitijs Brunæ* habitantibus ſalutationem Angelicam ſemel pro ſe recitari, & à DEO, nè in lecto ſe mori permitteret, obnixè petijt, ſimúlque quanto potuit impetu lecto exiliens flexis humi genibus, oculíſque in *B. V. Matris Imaginem* fortiſſimè defixis, in manibus noſtri Novitij, animam DEO reddidit, Anno ætatis 41. Societatis 15. corpus verò à vicinis Parochis in *Templo Parochiali Crumlovij Moravorum* ante ſum̃am Aram honorificè terræ mandatum eſt.

Lues peſtilens, quæ *Moraviam* anno ſuperiore graviſſimè afflixit, ad annum ſequentem 1624. uſquè producta, impigrum Societatis operarium *P. Joannem Scutellanum in Moravia Oſtraviæ* ortum, exturbavit è vita. *Hranicium* ad hæreticorum nidum ab *Epiſcopo Olomucenſi Cardinale Franciſco à Dietrichſtein* loci Domino miſſus erat, ubi poſtquam biennio toto ſtrenuè deſudâſſet, plurimóſque ad Eccleſiam exjunxiſſet, illatâ in eam urbem populari lue, Parochi munia moribundis adhibenda ultro ſuſcepit, neque ſui recordans periculi, dum nulli operæ parcit, ægros in lectulis ut com̃odè jacerent, elevat, cibos porrigit, miſcet pocula, nimirum virus hauſit, triduóque confectus eſt, priusquam è proximo aut *Sacerdos*, aut *Medicus* poſſet accîri, ſed ſua illi charitas pro omni mortis apparatu fuit. Humatus eſt in eo Templo, unde nuper *Miniſtellum* exegerat, ibíque ante aram maximam ſolenni novorum Catholicorum ſupplicatione depoſitus. Receptus erat in Societatem An. 1601. *Latinè*, *Polonicè*, *Bohemicè*, *Germanicè* cùm res poſceret, dicebat ad populum, *Græcè* etiam loquebatur; multa ab eo, ſi vixiſſet, omnes qui nôrant hominem, ſperabant.

1624. 15. P. Joannes Scutellanus

CA-

Caput III.

Anni 1625. mortes obſequio charitatis impenſæ uſque ad Annum 1634.

1625. 16. P. Joannes Faber. *Ex An: Coll. Prag.*

Pater *Joannes Faber Eiſfeldiacus*, annorum 43. in Societate 19. *Formatus* Coadjutor ſpiritualis ab annis tribus; in Scholis Gramatices diu verſatus, & *Miniſtri* officio aliàs perfunctus, *ſubregentem* agebat *Pragæ* in Alumnorum convictu, cùm lues Domum occupavit: è quo periculo cùm ſe eximere voluntate Superiorum potuiſſet, maluit ſolatio, auxilióq; eſſe *Patri Regenti* in illa conſternatione, quem etiam prævertit moriendo 21. Julij An: 1625. vitam Religioſam inſigni charitatis officio obſignans.

17. *Ex An: ijſd: Coll. Prag:* Chriſtoph: Neümer.

Menſe evoluto 29. Auguſti itidem *Pragæ*, peſtiferâ æſtate, *Chriſtophorus Neümer Bavarus adjutor temporalis*, dum ſe proximis ægris impendit, lue correptus, & aliquantiſper luctatus, tandem proſternitur ætatis anno 59. Religionis 34. Aſſiduus erat Comes Patribus, qui carceres, qui noſocomia bono animarum lucro inviſunt, Crucem in reorum ſupplicijs præferre ſolitus. Quo tempore ſeditioſa hæreſis *Societatem è Bohemia* proſcripſerat, *Chriſtophorus Romam* delatus integritate morum, & ſanctâ ſimplicitate omnibus admirationi fuit.

18. P. Joannes Janus.

Tertium hujus anni funus in eodem *Peſtiferorum* obſequio elatum eſt *Crumlovij in Bohemia* P. *Joannis Jani Luſatij Cotpuſienſis*, qui cùm præter *Latinam, Vendicam, Germanicam, & Bohemicam lingvam* calleret, facilè à Majoribus impetravit, ut ejus ante alios ratio haberetur, eíque ardua hæc demandaretur provincia. Primis ſtatim noctibus poſteaquam à Sociorum conſvetudine in illud obſequium ſegregatus eſt, viſus eſt multâ nocte in *area Collegij* inambulare brachijs modò protenſis, modò in Crucem expanſis, vel pectori admotis, ductis ex imo corde ſuſpirijs, vultu in Cœlum erecto, DEO ſeſe viventem hoſtiam devovere, factúmque eſt, quod Vir fortis optârat. Mortuum juſſerat *Rector* noctis ſilentio ſepeliri; *Senatus Urbis* rem ſubodoratus accurrit univerſus, & veſpillonibus amotis, ſuppoſuêre humeros, alij funalibus præluxêre, *Clero* comitante, ſymphoniâ adhibitâ, quaſi parenti publico, parentârunt. Magnum hunc Virum fuiſſe, munia quæ cum laude geſſit, oſtendunt, *Miniſter Collegij, Miſſionarius, Monitor Rectoris annis pluribus, Confeſſarius noſtrorum, Magiſtri Novitiorum Socius annis quinque, Eccleſiaſtes* diu fuiſſe ſcribitur, ut vel ob hæc merita ad tam beatam ſortem à DEO lectus videatur.

A. 1630. 19. Bernardus Rott.

Annus 1630. ſonticus, & lethalis ipſi *Brunenſi Societatis Domui* fuit: neſcio quo ſidere afflati Tirones noſtri *linquebant dulces animas* ardentiſſimis febribus, quas *petezziales* appellant, correpti; plurimi extincti, quorum nomi-

Digitized by Google

nomina referre nihil ad titulum facit; at eum, qui ingenti in omnes charitate ægrotos procurabat Laicus *Bernardus Rott Bavarus Monacenſis*, & in eo obſequio peſtilentiâ afflatus, obijt, crediderim commune cum prioribus, quorum adhuc recito nomina, præmium meruiſſe, licèt extra domum in Cives ejus ſeſe charitas non extenderit, ſed in *Fratres:* Jam ſemel è morbo ſurrexerat, ſed iterum valens ijsdem *Fratrum* obſequijs ut addiceretur, precibus infimis impetravit, ac denuo malo ictus, ſuccubuit.

Annum 1633. in *Bohemiæ Provincia* plurima funera nobilitârunt eorum, qui ſeſe in obſequio peſte morientium conſecraverant: *Glacium, Niſſa, Glogovia* areæ quædam certaminis, & ſpectaculi fuêre: *Glacij* quinque in obſequio illo, de quo loquimur, extincti, Sacerdotes tres, ſocij Patrum duo: 1633.
P. *Martinus Döring Prutenus Gutſtadienſis*, in Societatem ab annis undeviginti receptus acerrimus adversùs hæreticos diſputator; priusquam in arenam deſcenderet, Exercitijs *S. P. N. Ignatij*, ac deinde *peregrinatione ad Divam Wartenſem* præmiſsâ, confirmavit animum. ſuccubuit malo 25. Auguſti; anteceſsit Patrem morte, quem habuerat ſocium *Martinus Vogt Sileſius Grotkovienſis* altero anno, & viceſimo ætatis, tertio Societatis Anno. 16. Auguſti. 20. P. Martinus Döring. 21. Martinus Vogt.

His demortuis ſtatim ſuffecti duo P. *Melchior Preiner Olomucenſis Moravus* ætatis anno quinquageſimo quarto, Societatis triceſimo quarto, in eâque anno 1620. quatuor vota profeſſus. Socius *Erhardus Zirk Alſata* annorum undetriginta; ille quartâ Septembris, iſte ſeptimâ ejuſdem Menſis ſublati. 22. P. Melchior Preiner. 23. Erhardus Zirk.

Succeſsit P. *Andreas Eberle Budvvicenſis* Bohemus, annos natus 25. duodeviginti in Societate verſatus, 14. Septembris conſumtus. ac ſinè dubio novæ victimæ ex *Collogio Glacenſi* ſuccedaneæ prodijſſent, nisì Divino beneficio peſtilentia abijſſet. 24. P. Andreas Eberle.

Hoc eodem Anno in Urbe *Glogovia Majore P. Davidem Seiffert Leovallenſem Sileſium*, cùm peſte afflatis operam impendit, mortuum charitati invenio. triginta novem vitæ annos, Religionis decimum nonum explevere. 25. 1633. P. David Seiffert.

Sed *Niſſæ Epiſcopali Urbe* frequentiſſimâ *Peſte* regnante, clariora quædam edita ſunt virtutum exempla, trium illuſtrium virorum mortibus conſignata:

Primus P. *Stephanus Fodor Pragenſis Bohemus;* reliqua ex Annuis illius Collegij exſcribam: Fuit is pro infectorum Confeſſionibus excipiendis (ipſemet officium hoc ſibi deferri à Superioribus enixiſſimè expetijt) expoſitus; quod ſanè munus tantâ diligentiâ, ſedulitate, & charitate exegit, ut non immeritò maximum ſui à morte deſiderium continuis laudum encomijs honoratum apud *Niſſenſes* reliquerit. Non ſatìs fuit Viro optimo ad ægros voca- 26. P. Stephanus Fodor.

Digitized by Google

vocatum venire, niſi & amore ſalutis eorundem, ab alijs deſertos ſuâ ſponte foris in campis decumbentes inquireret, & officia charitatis non ſpiritualia tantùm, ſed etiam corporalia, eos, qui ipſorum curam haberent, conquirendo, & cibum, potúmque ſubminiſtrando impenderet. Neque correptus jam peſte, & decumbens, ab his officijs charitatis liber eſſe voluit, ſed in ipſa ægritudine ægros alios ad ſe, confeſſionis causâ venientes, admiſit, abſolutósque ſpirituali conſolatione refectos à ſe dimiſit. Et hæc quidem ipſi amorem magnum apud *Niſſenſes* conciliârunt, ſed alia cum majore laude etiam majorem: Intellexerat in quibusdam domibus infectos tam graviter decumbere, ut ſupereſſet nemo, qui domûs ſibi januam aperire poſſet; vetus ergo *P. Dominici Valeſij* (cujus memoria hîc in benedictione eſt, & qui ante 19. circiter annos *Niſſæ*, antequam adhuc *Societas* ſedem fixam haberet, peſte laborantibus inſervijt) exemplum imitatus, ſcalis ad feneſtram admotis, domos eſt ingreſſus, & decumbentes in viam æternitatis Sacramentali expiatione, ut procederent ſecuri, ritè direxit, illo ſolo diſcrimine, quòd *P. Dominicus hæreticum* decumbentem, & obſtinatè domum, nè *Jeſuita* intraret, obſerantem, per feneſtram ad ſanitatem mentis inducere voluerit; *Stephanus* verò volentibus, & non volentibus *Medicum Spiritualem* admittete per feneſtram pluribus cœli portam aperuerit. Illud porrò *P. Stephani* eſt ſingulare: excipiebat ſæpius ex una parte fluminis, infecti cujuspiam *Confeſſionem*, dum ipſi nunciaretur, alios ex alia parte abſque expiatione agere animam, expedito ergo priore, ut adhuc adeſſet tempori, & nè interea moribundi, dum per pontem circumiret, expirarent, veſtem longam modeſtè ſuccinctus, fluvium ſæpius tranſvadavit, hominésque medicamento ſalutis, ut æternùm ſani eſſent, adjuvit. Plura haud dubiè ejuſmodi zeli adhibuit exempla, ſed quòd ſocij omnes ipſius miniſterij, mortui, hæc ipſa cum ijſdem ſepulta, in vitæ libro conſcripta patebunt ſempiternùm, ſicut & illa, quæ in *Ungaricis Miſſionibus*, in quibus annis aliquot laudabiliter laboravit; ſiquidem dum ſemel iſthic graviter ægrotaret, publica pro ipſo ſupplicatio fuit indicta. Mortuus eſt 28. Septemb: anni 1633. cùm ante viſitationem ægrotorum generali Exomologeſi pro expectato beatitudinis itinere ſe ipſum optimè diſpoſuiſſet.

27. P. Daniel Menichius. Alter itidem *Niſſæ* rebus humanis exemtus *P. Daniel Menichius Niſſenſis Sileſius*, annorum duodequadraginta, ex quibus tredecim in *Societate* laudatiſſimè peregerat. Hic cùm ſe è Collegio conferret ad *Domum*, in qua ad obſequium peſtilentium erat commoraturus, tetro conſpectu jacentium in compitis ægrorum, quos peſtilentia deformârat, averſante naturâ ſic cohorruit, ut quamvìs ſeſe quantâcunque ipſe virtute comprimeret, ſtatim virus combiberit, quo paucis diebus eſt extinctus (30. Octobris) haud expers ejus gloriæ, quam ultro contemtis omnibus periculis, quæſivit.

Ter-

Tertius obijt *P. Gedeon Judex Saxo Burgenſis* diligentiſſimus in curandis ejuſmodi ægrotis; devotiſſimus *Immaculatæ Conceptioni* aſſerendæ, ut in eam rem quàm plurima ſe moliturum *DEI Parenti* promiſerit, quod ejus *votum* in eo libello legitur, in quo ſuarum meditationum pia deſideria annotabat. 28. P. Gedeon Judex.

Caput IV.

Annus 1634. tum ſequentes aliquot anni Victimis Charitatis inſignes.

GRavi, & frequenti peſtilentiâ per hos continuos annos laborabat *Germania*, nec *Bohemiæ* ſua funera defuerunt. *Pragæ An. 1634. P. Joannes Antaly Ungarus Gajarienſis*, ætatis ſuæ anno quinquageſimo primo ineunte 25. Novembris in obſequio peſte infectorum deceſſit. Singularem animi demiſſionem & verbis ſemper declaravit, & factis; ſalutis animarum cupidiſſimus fuit, eâque in re fælix habebatur; quâ de cauſſa majorem vitæ in *Societate* actæ partem (in qua ſeptem, & viginti explevit annos) in *Miſſionibus Apoſtolicis* traduxit. Quo tempore *Pragam Peſtilentia* invaſit, precibus primùm ſæpius iteratis, deinde etiam provolutus in genua à Superiore impetravit, ſibi ut eam Provinciam ægros ſacris procurandi imponeret, impoſitam ſtrenuè geſſit, dum denique dejiceretur; Sacramentis communitus, quod ſibi non defore *patrocinio DEI Matris, & S. Barbaræ*, quarum amore tenebatur maximè, pridem obventurum prædixerat, neque ſuâ ſpe fruſtratus eſt. 1634. 29. P. Joannes Antali.

Hoc itidem anno, ſed *Commotovij* elatus eſt *Thomas Heimb Bavarus Straubingenſis*, annos natus 26. ex quibus *quinque* in *Societate* domeſtica munia procurando exegit. Hic ille eſt *Thomas*, qui tertio abhinc anno 1631. cum ſocio fratre ad tutelam *Collegij Commotovienſis* relictus, *captâ urbe Pragenſi* ab hæreticis comprehenſus, ter per ludibrium totâ Urbe circumductus, tridui inediâ cruciatus, contumelijs, & convitijs, inſuper & verberibus conciſus, ſtetit lætus, & alacer; tandem abire quò vellet, juſſus, in exilium alieniſſimo tempore pedes ſummo cum periculo per hoſtes medios diſceſſit. Pòſt paulò redux, ſubducere ſeſe hoſtibus coactus eſt. Anno ſuperiore rurſus noſtris *Collegio* digreſsis *Thomas* ultimus Collegio exceſsit, primus revertit, omnéſque hoſtium in Collegium inſultus quantum licuit moratus, quæſitus ſæpius, mutatis latebris, nunc infernè, nunc supernè oberrans, quæſitores fefellit, DEO tutante ſervatus indemnis. Hoc demùm anno, dum *P. Jacobo Hack* peſte morienti ſedulò inſervit, contracto eodem malo, decimo quarto ab obitu *Patris* die, ſacris munitus, piè placidéque vitâ exceſsit. 30. Thomas Heimb. *Annuæ Col: Commotov:*

Digitized by Google

Ad Annum 1638. veniamus, quinque victimis charitatis, ídque Pragæ in Regni luce cadentibus, conſignatum; placet ordinem temporum ſequi:

1638. 31. Melchior Hoffman. Primus *Melchior Hoffman Sileſius* Coadjutor, trigeſimo ætatis, decimo Societatis anno in *Profeſſorum Domo Pragæ* extinctus. Patri *Georgio Aquitano* (qui ſe obſequio peſtiferorum addixerat) jam ægrotanti ſerviebat *Melchior*, ſed brevì venenum hauſit, & intra horas non plures, quàm quadraginta malo victus occubuit Sacramentis rite comparatus ad mortem, 14. Septembris. Fuit Vir ad omnem probitatem, & morum Religioſorum elegantiam formatus; ſomni parciſsimus, otij maximus oſor, orationis, & laboris ſtudioſiſsimus, veras alias viri virtutes *Annales* noſtri comemorant.

32. Mathæus Schmid. Hunc ſecutus eſt *Mathæus Schmid in Marchia Brandeburgica* natus, *Melchiori* ætate, & in *Societate* annorum numero ſuppar; comitabatur *P. Aquitanum* ad ægros, pòſt verò cùm & *Pater, & Melchior* jam peſtilentiâ icti jacerent, utrique obſequium diligenter impendit, ſed eâdem lue correptus, Sacramentis Eccleſiæ expiatus, 22. Octobris ad charitatis præmia evolavit, vir, & animo, & naturæ facilitate paratus ad omnia.

33. P. Jacobus Drabetius. Duos deinde Sacerdotes *abſtulit una dies, & funere merſit acerbo*; P. *Jacobus Drabecius* Patriâ *Novodomenſis in Bohemia* in eadem *Profeſſorum Domo Pragæ* 2. Novembris vivere deſijt; ætatis quadragenos, ſeptenos denos in Societate verſatus, ex quibus pleroſque dicendo ad populum transegit. Erat præſtanti eloquentiâ, meminíque eum, & à Noſtris, & ab Externis *Bohemiæ Tullium* conſenſu appellatum. Ob eam cauſſam cùm à Noſtris tumulo clam corpus illatum eſſet, Auditores ejus in *æde* Parochiali *S. Wenceslai*, contemto mortis metu, irruêre, eúmque publicis Exequijs, & mœſtâ comploratione luxerunt. Magno vir animo jam ante annos tredecim peſtiferis ſervierat, ſed tum periculum evaſerat. Nuper, cum hoſtes hæretici *Gitzinium*, ubi P. *Drabetius* pro *Curione* ſacra curabat, occupâſſent, aliíque fugâ ſalutem altâ nocte quæſiſſent, Pater cum ſocio latebris tectus, remanſit; at ſequenti die, cùm hoſtium furor, & prima rabies nonnihil remiſiſſet, inventus, eductúsque eſt, & *Equum* juſſus conſcendere, quo duram ad ſervitutem veheretur. Tum Pater præſenti animo: *Equidem reor, à vobis me minimè abductum iri, quando baptizandis infantibus ego* Parochi *partes hîc ago*. Ea cauſſa hæreticis juſta, & legitima viſa eſt. ſic ille tum quidem relictus eſt. Cæterùm ab illuſtri Viro, cui dabat operam, malum contraxit, quod ubi ſenſit, generali ſe exomologeſi, aliíſque Eccleſiæ præſidijs inſtruxit, & inter pios cantus, ac cœlitum hymnos, extremum ſpiritum triumphabundus edidit.

34. P. Wolfgāgus Silvan⁹. Eodem die, eâdémque in domo abijt è vitâ P. *Wolfgangus Silvanus Bohemus Tinhorſſovienſis*: ex quinquaginta quatuor annis vitæ, dedicârat *Societati* annos 36. omnibus pænè miniſterijs exercitatus: nam præter ſeptem annos

annos *Miſſionibus* fructuosè impenſos, in quibus plurima animarum millia Eccleſiæ reſtituit, *Rectorem* egerat, & *Miniſtrum, & Concionatorem*, & jam univerſis *Provinciæ* negotijs procurandis præerat impigrè, & ſtrenuè, erat enim tractandarum rerum admodum peritus, cujus ſolertiæ fama fecit, ut ei nuper *Ferdinandus III.* Cæſar, controverſam cauſam comitteret inter *ſuam Majeſtatem, & Religionis cujusdam Prælatum* componendam. Neque verò ſegnem morbus, neque timidum mors deprehendit. Obibat tum munus *Miniſtri Domûs*, quæ ei occaſio fuit tum domeſticis omnibus, tum maximè ægris, charitatis officia exhibendi, quod dum gnaviter ſanè facit, ægrimoniam ipſe quoque ab ægris hauſit, pronunciatâque in ſe mortis ſententiâ, arrepto *Crucifixo, hoc*, inquit, *munitus clypeo, cum animæ meæ hoſtibus dimicabo*; atque inde uno, alteróve die ſuperſtes, non minùs fortiter quàm dixerat, vivere deſijt.

Tertium funus eadem Profeſſorum Domus extulit ad 2. Decembris P. *Georgium Aquitanum Sileſium Cozlenſem*, vixit annos quadraginta octo, in *Societate* undetriginta, Vir Xaverianæ virtutis, atque ardoris æmulator; omnia Societatis munia ſecundâ approbatione obivit: dederat ille jam pridem *Glogoviæ peſtiferis* operâ, ſed in hæc tempora ſervatus, ut ab ægris lue contractâ, ſimul calculi, colicíſq; doloribus magis probaretur coronis pluribꝰ dignus. *hæreticos, & Judæos* maximè ſibi propoſitos habebat, illos ut protraheret in lucem, & *Eccleſiæ* redderet; *Judæos*, ut ab eorum fraudibus, & artibus Chriſtianos vindicaret, uſus utrobique *Magiſtratuum* authoritate, apud quos, utì & apud *Regni Proceres* valebat plurimùm, qui ei certatim in pauperes diſtribuendam pecuniam offerebant. Per *Sileſiam, & Moraviam* multas Evangelicas expeditiones olim ſuſceperat fæliciter, etſi ab hæreticis, qui tunc prævalebant, ejus capiti multiplices ſtruerentur inſidiæ. Et quanquam erat ille nonnihil durioris ingenij, charitas tamen itá naturæ impetus cohibebat, ut ab his etiam robur acciperet. Sed paucis hiſce ante mortem annis itá naturam horridiorem correxerat, ut nihil illo blandius eſſet, nihil benignius. In morte rogatus à *Præpoſito Domûs*, utrúmne lubens vitam ſuam DEO donaret? *Quid*, inquit, *vitam unam? ſi milliones millionum ſuppeterent, univerſas, velut hanc unam pro DEO, & proximo profunderem.* Obijt Sacramentis rite expiatus, confirmatúſque; funus Viri bene de ſe meriti, veris lacrymis decorarunt *Carceres, Noſocomia, & pauperum turmæ*, quos ſuſtentare alimentis, aut ære oblato, conſueverat.

35. P. Georgius Aquitanus.

CAP:

Caput V.

Funera Charitatis An: 1639. 1640. primo, ſecundo, tertio, & quinto.

36. P. Philibertus Prez.

NOvamdomum An. 1639. non perfunctoriè peſtis aggreſſa, P. *Philibertum Prey, gente Bavarum, domo Herbachenſem* Collegio rapuit; obortâ peſtilentiâ, dum ſe fidentiùs, familiariúſque ſeu charitatis, ſeu corporis viribus fretus, ægris permiſcet (quòd ad ſe, velut ad *Concionatorem* hoc charitatis opus pertinere fortaſſis exiſtimaret) ictus eſt lethaliter, ac primùm diſſimulare malum conatus eſt, cùm aperuit, jam ſerum erat mederi, atque ità 6. Octobris nocte piè deceſſit in Domino.

1639. 37. P. Henricus Müllerus.

Pragam redeamus, ubi duo nos funera *Patrum*, qui ſe obſequijs peſtiferorum addixerunt, expectant: Prior ad ultimam Septembris occubuit P. *Henricus Müller Wratislavienſis Sileſius* in Profeſſorum Domo An. 1639. vixit annis 49. in Societate 30. cui ſolennibus quatuor votis illigabatur. Docuerat cum laude *Scholas humaniores omnes*, poſtea Cathedris Templorum admotus, in primarijs Provinciæ Urbibus cum inſigni fructu dixerat ad populum, *Sodalitates Civicas* rexerat diu, ſed prima *P. Henrico* cura Domûs DEI decor, quem miris inventis augere ſolebat. Sed mortis cauſſa charitas fuit: erant ante *Urbem Pragam Stativa Cæſareorum militum*, quos dira illuvies, faméſque, omníſque generis morbi, ac denique nata inde apud aliquos *peſtilentia ulcera* miſere divexabant. Eorum ipſe tabernacula dum opitulandi, & ad mortem præparandi ſtudio perreptat, quoſdam invenit ità ſuis natantes in ſordibus, ità ſuâ ipſorum proluvie obſitos, ut jam à cadaveribus nihil diſtare viderentur: ex hoc igitur tetro aſpectu, peſtilentíque afflatu horror primùm, deinde febris peſtilens, tandem mors ſecuta, ſed in cœlo triumphus, præmium charitatis.

Annuæ Domûs Profeſſæ Prag.

38. P. Joannes Seelbach.

In ijsdem ſtativis *Militum ad Pragam*, non ùt hoſpes, ſed velut domeſticus & *Miſſionarius Caſtrenſis* verſabatur P. *Joannes Seelbach* itidem *Wratislavienſis*, annos 32. natus, non ampliùs; ſed cùm *Pragam* ex ſuburbano *Peſtis* intrâſſet, intravit & *Pater*, multíſque precibus à Majoribus obſequium exhibendum peſtiferis impetravit, ſeparatúſque à cæteris in *Noſocomio Italico* diu noctúque aderat ægrotis; ſed hoc non diu. Duodecimo quàm ingreſſus erat die, peſte corripitur, quam cùm medicamentis opportunis profligâſſet, neque tamen conſiſtere pedibus poſſet, immemor ſui, omnes ad ſe ægrotos promiſcuè admittens, & ex lectulo confitentes audiens, inſtruens, lethali rurſus anhelitu afflatus, ad celerem ſuæ charitatis mercedem vocatus eſt 10. Octobris, poſtquam ſe ad æternitatis iter Divinis Eccleſiæ Sacramentis optimè muniviſſet.

An-

Digitized by Google

Annum 1640. qui *Societati JESU* ſæcularis fuit, una tantùm charitatis
victima, ſed triumphalis, & ut ità dicam, coronata, nobilitavit. P. *Fran-* 39.
ciſcus Oellerus Bohemus domo Budvvicenſis exacto Societatis 49. ætatis 67. an- 1540. *Ann: Colle: Crumlov.*
no, pari ſemper inter varia officia famâ probitatis, memorando planè exitu, P. Franciſc. Oellerus.
ſupráque ætatis illius morem, & vires, inſigni facinore vitæ finem impoſuit.
Nam cùm ferè ſenes nulla lucis hujus capiat ſatietas, quantúmque vita, tan-
tum in eis vitæ cupiditas ſemper creſcat, & mortis omnes vias, cauſáſque pro-
cul habeant, ipſe tamen adeò illas non declinavit, ut potiùs ſit aucupatus.
Gravè fortè tempus & peſtilens annus *Crumlovij* contagia vulgabat, pérque
obſcura, & ignota capita latè vagata non modicam lues edebat ſtragem. Hic
Pater Oellerus, capto à virtute ſua, non à viribus, aut ætate, conſilio, accura-
tè priùs per cauſam *Jubilæi* expiatis totius vitæ noxis, animo pulcherrimè
comparatus ex voluntate moderatorum 4. Octobris, quę dies *Seraphico Fran-*
ciſco clara eſt (ut nè deeſſet omen hęc à noſtro *Franciſco* lętis auſpicijs geri) ſeſe
infirmorum addicit obſequijs. Tum ergo juvenili ſtudio, & infracto robo-
re per ſe moliri omnia, adeſſe ſingulis, miſeros ſolari, aures dare moribundis.
Sed mox lue afflatus intra 22. diem extingvitur, magno ſui Civibus relicto de-
ſiderio, non minori virtutum, zeli præſertim animarum, obedientiæque
odore. Ea mors accidit ad 16. Octobr. Narrabo rem miram, quam ego
quidem à nullo hactenus literis traditam inveni, ſed fando à fide digniſſimo,
& Religioſiſſimo Viro è Societate Noſtra accepi, pauculis poſt *Patris Oelleri* P. G. S.
obitum annis, vivente adhuc P. *Caſparo Tauſs*, cui illud viſum oblatum eſt:
Obierat, ùt dixi, *Crumlovij* P. *Oellerus*, cùm ecce ſubitò pulſato leniter oſtio
cubiculum ad P. *Caſparum* notæ Sanctimoniæ Virum ingreditur, brevi pallio
ſuccinctus, cum pileo, & baculo, quaſi ex itinere veniret, aut iter pararet. P.
Caſparus viventem amicum ratus: P. *Franciſce*, inquit, *unde & quò pedes?*
hâc horâ, reſpondit P. Oellerus; *ex hac vita deceſſi, & quia me totum DEO, &*
obſequio peſtiferorum donavi, magnâque id muneris obivi charitate, pœnas mi-
hi omnes Purgatorij condonavit DEUS, adeóque in Cœlum propero; hoc gau-
dium tecum communicare volui, ùt cum vetere amico. Vale, & DEUM lau-
da in præmijs fidelem; ſimúlque ſeſe oculis momentò ſubduxit, *Caſparo* in-
genti lætitiâ perfuſo.

Annus primus poſt ſæcularem duas victimas charitatis in cœlum miſit 1641.
Glogoviâ urbe Inferioris Sileſiæ. P. *Georgius Braverus Erfurdenſis Thurin-* 40. P. Georgi. Braverus.
gus, cùm vixiſſet annos 38. in Societate decem, & novem, ægríſque ac mori-
bundis peſtilenti febre frequens adſtaret, hauſto eodem veneno 26. Martij,
ad meliorem cœli auram transmiſſus eſt. Vir animi magni, qui nihil ſibi ad
DEI gloriam cœleſti paſſu vadenti obſtare crederet, ideóque *Caſtris Cæſareis*,
& militibus ad procuranda ſacra quondam admotus, Tirocinium quoddam

poſuit

poſuit magnanimitatis, quæ, cùm alij contagionis periculum *Glogoviæ* defugerent, *Braverum ad mortem* ſubeundam magis exacuit.

41. Joannes Hancke. Ibidem *Glogoviæ* 6. Decemb. extinctus eſt *Joannes Hancke Lignicenſis Sileſius Laicus.* Hic Patriam hæreticam, Parentes & Principes hæreticos fugiens, orthodoxis primùm, deinde & *Societati* ſeſe adjunxit. In hoc ſtatu ſingulari animi demiſſione, obtemperandi, & orandi, & laborandi ſtudio, & adverſorum forti tolerantiâ, præluxit cæteris omnibus; *Glogoviæ* Patrum in adeũndis ægrotorum tugurijs indefeſſus comes, dum pro conditione ſua rerum æternarum morientes admoneret, ex ea frequenti itione, & colloquijs peſtem recepit.

42. 1642. 26. Decēb: P. Chriſto-pho: Friſch. *Iglaviæ ad Moravos* anno vertente *P. Chriſtophorus Friſch Sileſius è ſuprema Glogovia* in eodem obſequio nobis perijt, ſibi im̃ortalem gloriam comparavit quartodecimo *Societatis* anno. Votorum ejus ſũma fuit, catecheſi teneram informare ætatem, & rudem plebem, & ſervitia, quà publicè pro concione, quà privatim domeſticos inter parietes, pijs erudire documentis. Contigit *Auſtriacum Militem* dyſenterico malo in vicinia laborare, alijs, & *proprio Parocho* recuſantibus, impiger acceſſit *Noſter*, & Confeſſione expiavit, & Euchariſtiâ refecit; ab hoc initio cœpit omnibus promiſcuè ægrotis operam ferre, donec & ipſe attracto toxico concideret, ubi mente adhuc integrâ, Sacramentis munitus petijt à moderatore è lectuli ſponda in humum abjici, & pedibus omnium conculcari. Poſthæc mente excruciatâ doloribus, nihil aliud, quàm *Catechiſmi doctrinam* ſemimortuis vocibus explicabat, interim voce *Rectoris* in omnibus regebatur. A morte tantò majus deſiderium ſui reliquit apud omnes, quantò ardentiùs univerſorum cõmodis ſerviebat in vita.

43. 1643. P. Jacobus Weis. Anno 1643. ternum ex charitate obeuntium funus in *Bohemiæ Provincia* celebravimus: *P. Jacobus Weis Novodomenſis Bohemus* 24. Februarij die, triceſimo quarto ætatis, Societatis decimo, cùm ſe ingenti fortitudine, impetratâ à Majoribus gratiâ conjeciſſet in peſtem *Cremſirij* (nondum *Hradiſtium* translato Collegio) halitu ægrorum mortifero afflatus, Sacramentis ultimis inſtructus, inter ardentiſſima ad Cœlum ſuſpiria, Religioſam animam egit.

44. P. Petrus Major. *Brunæ in Moravia P. Petrus Major domo Pragenſis* ætatis anno 34. in Societatem cœleſtem, ùt piè ſperamus, ex charitatis obſequio evolavit; non erat hoc primũ (quod ultimum memoravimus) opus charitatis, cui ſe totum *ſeptemdecim annis in Societate* conſecrârat: ipſe (etſi *Conciones ad Illuſtres Perſonas* iam ſeptennio haberet) rudes, & pauperes inſtruere, Parthenios cœtus excolere, adeſſe, maximè pauperum morbis, & mortibus, levare egenorum inopiam, ut *Pater Pauperum* vulgò diceretur. Tot inter charitatis negotia à milite peſtifero, quem morientem expiaverat, contagio tranſilijt in Patrem

trem

Digitized by Google

trem, & celerem mortem attulit, cilicia, verberationes, & varia pœnarum genera ad expianda peccata poſcenti, *DEUMque ac DEIparentem* uſquè ad ultimum ingeminanti; multum ejus funeri 25. Julij à *Civibus Brunenſibus* impenſum eſſe lacrymarum *Annales Brunenſes* teſtantur.

Idem annus alium quoque *Weis* (*P. Valentinum* nomine) *Glatij* ex humanis ſuſtulit *Zvitaviæ in Moravia* natum: nihil hic vir ſpirabat aliud, quàm altiſſimam in humilitate charitatem, totus erat in tenella ætate formanda, ad ídque ſeſe voto obligârat, *pueros in ſcholis Rudimentorum Latinitatem, & in Templis, alibíque catecheſim Chriſtianam omni vitâ docendi.* Exercuit illum labor in Opere grandiore vulgari lingvâ conſcribendo *de Chriſtianæ Juventutis inſtitutione*, aliíſq; conſimilis argumenti libellis. E Noſocomio, quod frequens adibat, morbum ſibi accerſivit, & mortem, cui incenſis in DEUM affectibus, ſingulari adſtantium ſolatio ſatisfecit. A. 1643. 45. P. Valentinus Weis.

Tranſilio annum unum ſterilem, quem alterius anni 1645. fœcunditas funerum *in obſequio peſtiferorum* egregiè compenſavit. Primas in hoc obſequio, de quo loquimur, & tempore, & (quod audacter dici, & ſcribi poteſt) opinione Sanctimoniæ tenere videbatur *P. Melchior Kaukal, Bohemus natione, patriâ Policenſis*, vitæ annos habuit 40. & ex his 21. in Societate tranſegit, quatuor votorum Profeſſus, Ariſtotelis Philoſophiam triennio explicavit, & quinque annis Philoſophiam cœleſtem *Novitijs* tradidit, ac tandem per tres annos *Patris ſpiritualis in Collegio Olomucenſi* munus obivit. Vir fuit magnis talentorum, & virtutum ornamentis conſpicuus, & qui poſt eximia præclarorum exemplorum ſpecimina, majorum excitabat expectationem. DEO ità familiaris erat, ut dum ſolus eſſe videretur, ſemper cum DEO converſaretur, adeò intento animo, ut frequentiſſimè, quid circa ſe ageretur, non animadverteret. Secundùm *DEUM, Matrem* ejus ſingulari cultu obſervabat, ejúſque coronam precatoriam, Roſarium, cùm extra cubiculum ageret, nunquam non terebat: ejuſdem honori *Sabbata* incœnatus tranſigebat, feſta verò ejuſdem ineddiâ veſpertinâ præveniebat. Cùm perfectionis eſſet ſitientiſſimus, omnem etiam conatũ adhibebat, ut *Societatis* membra eâdẽ ſiti arderent. Quare quidquid vel ad *Regularũ obſervationem*, vel ad *Societatis* intaminatam gloriã conſervandam prodeſſe judicaret, nihil omnino laboris, & induſtriæ paſſus eſt in ſe deſiderari: ità tamen, ut nihil ab alijs requireret, cujus ipſe experimentum priùs non feciſſet. Nihil illi non amplum, & pretioſum fuit, cui *Superiorum* voluntas, aut nutus pretium dediſſet, unde non tantùm multa, & diverſa ipſe unus, ſed etiam vilia, & aſpera tam hilari vultu accipiebat, ut etiam in *Superiorem* non parùm jucunditatis transfundere videretur; maximè cùm primus omnium ad humillima quæque ſe offerret, atque ad ea ſingulare deſiderium declarando, in alijs idem excitaret. Hàc ratione cùm *Spiritualis Patris* munere fungeretur, non ſemel in officium *Socij Procuratoris* eſt devolutus, in quo tam diligenter, tantóque cum gaudio 1645. 46. P. Melchior Kaukal.

Digitized by Google

verſabatur, ut quodammodo ſui oblitum, *aurigam, pecorúmque cuſtodem* dicere poſſes. Cæterùm, quantò magìs *Superiorum* nutus obſervabat, tanto etiam majori honore ipſos proſequebatur, authoritatémque, ubi res ferebat, tuebatur, & ſi quæ perperam facta eſſe viderentur, magnâ cum gratia excuſabat. Commoti animi ſignum in ipſo notatum nunquam fuit, niſì cùm *vocationem ad Societatem* minoris, quàm par erat, æſtimari cognoſceret. Talentis ſuis in omni occaſione præclarè, & cum fructu utebatur, nec tamen unquam ſibi viſus eſt placere, quaſi aliquid feciſſet, cùm ipſe aliorum facta magni ſoleret æſtimare. In rebus ad uſum datis nihil elegantiæ requirebat, nec lacernam, quam ſub veſte talari ad corpus operiendum adhibebat, meliori veſte mutari cupiebat. Socios omnes æquali honore, ac charitate proſequebatur, rarâque arte pijs colloquijs recreabat. Erga proximos talem ſe exhibuit, ut nihil intermitteret eorum, quæ viderentur ſaluti ipſorum profutura: præterquam enim, quòd ſine mora ſe proriperet ad auxilium præſtandum vocatus, etiam frequentiſſimè alteri *Sacerdoti* ad infirmos vocato *Socium* ſe offerebat. Atque hanc charitatem ijs maximè præſtare nitebatur, quos aut rerum, aut doctrinæ Chriſtianæ inopia fecerat egentiores, ajebátque, nunquam plus ſolatij ſe habere, quàm cùm ruſticos pietate Chriſtianâ imbueret, aut eorum Confeſſionibus excipiendis operam daret. Cui etiam hominum generi totam vitam ſuam impendere cupiebat. Nec defuit Divina Bonitas huic tam pio deſiderio; nam cùm *Procuratori Collegij Socius* adjunctus, in obſequia animarum ruri degentium ſeſe effunderet, luéque peſtiferâ infectos à peſte animarum liberaret, hauſto ab ijs veneno intra octo dies conſumtus, eos quos ad extremam luctam Sacramentis inſtruxerat, ſecutus eſt 22. Octobris. Solatium in acutiſſimis morbi doloribus aliud non erat, quàm omnium rerum indigentia, & quædam adumbratio *paupertatis Chriſti*, quam naſcens in hunc mundum inferiorem intulit, & exemplo præmonſtravit. Nam ubi decumberet, non habebat, niſi modicum fœni, & veſtes, quibus pro ratione illius temporis utebatur: nec qui neceſſaria præberet ſervus, nec quæ præberentur, erant; non medicina, non cibus, non habitatio, niſì quam *Svecus miles* malè fædam, & ventis perviam poſt ſe reliquit. In his tamen rerum anguſtijs, quoties eum *noſter* viſeret, & in ipſa morte gaudia ſua verbis ſvaviſſimis, & hilaritate riſui modico admixta teſtabatur. Obijt 22. Octobris. Permirum illud (quod ego idoneis teſtibus probare poſſum) *Vener: Patrem Nicolaum Lancicium P. Melchiori* vaticinatum tanto antè tempore: compararet ſe ad mortem poſt aliquot annos, ſinè omni à *Noſtrorum hominum* præſentia ſolatio, *in horreo, non in Collegio* obeundam &c. cujus vaticinij ſum ipſe teſtis.

Alias duas victimas *Reginohradecium* (nota in Bohemia Civitas) cœlo tranſcripſit; primus ad 16. Septembris concidit, qui ſe ad ſerviendum peſti-

feris

Digitized by Google

ſeris obtulerat P. *Fabianus Daudlebsky Budvicenſis Bohemus*, annis decem, ac ſeptem in *Societate* fæliciter tranſactis; alter in eodem obſequio mox ſecutus P. *Joannes Widra Hulczinenſis Sileſius* ætatis anno 64. Societatis 34. uterque ad proximorum ſalutem factus, fictúſque, niſi quòd ille humilitate ſcholas literarias Abecedariorum conſectando, hic pauperum, & miſerorum tuguria quærendo, animas Chriſti ſangvine redemtas ſtudioſè venarentur.

47. P. Fab: Daudlebsky.

48. P. Joannes Widra.

Eodem anno *BrunenſeCollegium* inhumavit duos peſte in obſequio (de quo loquimur) vitâ functos. P. *Tobias Jan Novodomenſis Bohemus*, 38. ætatis ſuæ, Societatis viceſimo primo, 23. Octobris prior exceſſit, de cujus virtute luculentum teſtimonium, verbis ſimplicibus, & apertis *Brunenſes annuæ* dicunt: P. *Tobias Jan*, quatuor votorum Profeſſus, Concionator, Catechiſta Scholarum, & Seminarij Præfectus, Operarius indefeſſus, ſimplicitate, & ſinceritate, quam è Tyrocinio extulit, per totum vitæ tempus comendabilis, aliàs in ſuis occupationibus ſedulus, & laborioſus, multáque ſinè ſtrepitu, & externis apparentijs perficiebat. Ob Conciones, quibus auditorum conſcientias vellicabat, & pro eorum captu ad emendationem referebat, præ alijs apud Confeſſarios gratiam inivit. Omnium inclinationi mirè ſe accomodabat, tum morum ſvavitate, & affabilitate, tum etiam benevolentię teſtificatione ſingulari, nec ea in re ullum reſpectum habebat, aut nationis, aut morum inæqualitatis. Superiores ſuos, tanquam Chriſti Vicarios & reverebatur multùm, & exiſtimationi eorum operosè conſulebat, tum eos laudando, tum defectus prudenti dexteritate excuſando: quod quidem, ùt erat charitatis conſervandæ ſtudioſiſſimus, etiam erga alios præſtitit: nec ferebat alium, ſe cauſſam, aut occaſionem dante animo turbari, quin priùs, quàm in neceſſarium declinaret lumina ſomnum, favorem priſtinum redintegraret. Ità pauperes amabat, ut eorum P*ater* vocari mereretur, maximè Scholarium, quos raris induſtrijs, & ordine miro per corrogatas eleemoſynas ſuſtentabat: inter quę raritatem habet, quòd poſt priorem *Brunæ* obſidionem, in deſerta *Svecorum* caſtra egreſſus, calamos ſingulari curâ collegit, pauperibus diſtribuendos. Verùm non ſola hæc de rebus temporalibus circa pauperes cura detinuit, etiam eorundem, ac ſurdorum, aliorúmque, quos diebus Dominicis, Feſtíſque à reliquo populo horror ſeparabat, Confeſſionibus ſe impendebat ijs diebus, quibus paucitas confitentium cuivis facilem præbet acceſſum. Odeum noſtri *Templi Brunenſis* ità adornare nitebatur, ut in eo nihil ad animandam populi pietatem deeſſet, ídque magnâ ex parte perfecit, cum inſigni Divinæ gloriæ incremento, & guſtu devotorum. Aliquot diebus ante eam, quæ ipſi fatalis fuit, ægritudinem, petijt ſibi ad culparum ſuarum vindictam à *Confeſſario* foricarum *Collegij* emundationem demandari, addidítque, ſe hac ratione plus ſolatij, fructúſque ſpiritualis inde perceptu-rum. Morbi lethalis initia ſenſit, poſtquam ultro à Superioribus petitâ, &

49. P. Tobias Jan.

 obten-

Digitized by Google

obtentâ licentiâ, laboranti perſonæ cuipiam peſte, ſpirituali ſolatio fuiſſet, & confitenti generosâ charitate aures præbuiſſet. Domum reverſus, dixit ſe hauſtæ contagioni ſuperandæ parem non fore, qua de cauſa petijt ad eum locum, qui infirmis deputatus erat, quamprimùm deferri, ubi nullius obſequia admittere voluit, nè mali vis à ſe derivata in aliorum valetudinem noxiam exerceret tyrannidem. Cúmque aliàs à natura ob ſangvinis exuberantiam, eſſet ſenſitivus, conſtanter tamen, & ſinè querelis morbi violentiam tulit uſque ad diem octavum, quoad præmium laborum ab optimo Patreſamilias, omnibus Sacramentis inſtructus, eſt evocatus. Hæç Annales Brunenſes.

50. Rupertus Leuchner. Ad diem Sextum Novembris *Brunæ* itidem, An. 1645. Laicus adjutor *Rupertus Lauchner Domo Salisburgenſis* in eodem obſequio concidit: ætatem (nam non ampliùs 29. annos, ſed in Societate quinos tantùm expleverat) longè ſuperabat virtute; multum ille verſari cum DEO, ſemper cum vacaret, orare, aut ſancta legere ſolitus, Majores DEI locum habere; in *Janitoris* officio omnia diligentiſſimè, quæ ſui muneris erant, exequi, Patribus ultro ſocios per domum quærere, *Pauperum* ad januam rationem maximam habere, iíſque hoc anno difficili turmatim accurrentibus, quæcunque in culina, aut penu velut derelicta inveniret, conſcijs Superioribus colligere, tum condire, coquere, tum ſuis manibus inter Pauperes dividere. Sed vitæ finis heroicè impoſitus majorem his omnibus laudem ſinè dubio meretur: graſſabatur per urbem graviſſima Peſtilentia, neque jam profanis contenta funeribus ſacros etiam homines invaſit, *Domúmque Noſtram Brunenſem* ingreſſa, paucis diebus aliquot Sociorum capita corripuit. Ibi tum *Rupertus* genibus ante *Rectorem* flexis impetravit, ut illorum ſervitijs addiceretur; addictus fuit, præſtitóque ſervitio aliò miſſus ut luſtraretur, rurſus ad *Collegium* luſtrationis exacto tempore, inter ſanos receptus eſt. Brevì pòſt novi ex Socijs peſte corripiuntur; *Rupertus* iteratò demandari ſibi ſervitium poſtulat, diu, noctúque in omnes ægrorum nutus intentus, obſequitur, omnibus, quibus miniſtrabat vitâ functis, ipſe omnium ultimus, contracto ab ijs veneno dejicitur. Expiatus generali confeſſione, in Triclinio per interpretem, erratorum ſuorum veniam poſtulavit, deniq; inter dulces lacrymas plenus gaudij, quòd tam bonam cauſſam mortis haberet, in obſequio videlicet peſtiferorum, quibus, ſi plures vitas haberet, omnes ſe donaturum promittebat, expiravit.

CAPUT VI.

Poſtremæ ad vicina nobis tempora victimæ Charitatis in Provincia Bohemiæ Societ: JESU ab An. 1648.

QVatuor funera noſtrorum, eorum ſcilicet, qui ſe, vitámque ſuam DEO, & proximo devoverunt, Annus 1648. extulit, *Brunæ* duos,

Pragæ

Digitized by Google

Pragæ, & Egræ ſingulos. *Stephanus Menzelius gente Sileſius Laicus Brunæ* ad 28. Auguſti cùm Pharmacopæi munus in Domo gereret, obſequio ſe cujuſdam è Noſtris peſte correpti ultro dedidit, eíque ad mortem uſquè conſtantiſſimè, & ſedulò miniſtravit, eandem brevì contagionem in ſe tranſilientem ſentiens, præparatâ ritè conſcientiâ, migravit ad Dominum; *Annales Brunenſes* virtutem viri multis deprædicant. 51. Stephanus Menzelius.

Ad 22. Octobris *P. Samuel Richter Moravus* ibidem extinctus eſt, de quo omnia ſumma, qui egregium illum Virum novimus, ſperabamus. Poſtquam noſtros in *Domo Brunenſi* peſte morientes ſacris procurâſſet, veniâ à Majoribus impetratâ, tranſtulit in Urbem totam ſolicitudinem charitatis, omnéſque *Peſtiferos* promiſcuè invaſit, & ad æternitatem comparavit; contactus & ipſe 26. Auguſti innumeris ſuſpirijs ad *JESUM Crucifixum, & MARIAM* (in quibus amandis, eorúmque geſtis recolendis totus erat) verbáque illa plusquam centies ante mortem iterando: *Domine fiat voluntas tua!* exſpiravit. Vide, quæ de eo in *Annalibus noſtris* leguntur. 52. P. Samuel Richter.

Egrenſe Collegium primus obſequio hujus in *peſtiferos charitatis* conſecravit eodem anno *P. Joannes Conradus Dornſperger natione Svevus*, octodecim annis in Societate transactis; habebat is (rem mihi compertam ſcribo) valetudinem pridem oblæſam, ac *Medici* ſpem vitę longam non dabant; ſed *P. Joannes* prævenire maluit, quàm præveniri, & vitam ſuam, quam brevem erat alioqui habiturus, huic caritatis obſequio devovens in im̄enſum charitate extendit, & compendifecit. Fuit vir, paucis eloquar, religioſiſſimus. 53. P. Joannes Dornſperger.

Pragæ eodem quoque anno 1648. in *Profeſſorum Domo* ſublatus eſt ætatis 49. Societatis 28. *P. Auguſtinus Kerberus Luſatius*, doctus ſermonis utriuſque lingvæ, adeóque populo vel ob hoc (ſi abfuiſſent cætera) gratioſus. Unius hujus Patris operâ (ùt tum Societatis res *Pragæ* erant) inter Cives peragebantur omnia, nemo ægrotabat in *Minore Pragâ*, quin accerſeretur *Auguſtinus*, nemo carceribus includebatur, nemo emittebatur, nemo in *Noſocomium* admittebatur ſinè illo; hæretici occultiores, aut qui adveniſſent, indicabantur protinus: eadem tum erat in *Urbe antiqua P. Bernardo Oppel, & Mathæo Sculteto* in vulgus, & in *Nova urbe Wenceslao Halecio* Patribus noſtris authoritas; ſed hæc alio tempore, ac loco. *Auguſtinus Kerberus*, quem dixi, jam quartùm ſeſe peſtiferorum obſequio devoverat, quintùm hoc anno exponens ſeſe periculo ſuccubuit, longámq; ſui non tam in terris, quæ mutantur, quàm in hiſtoria, quæ perennat, memoriam reliquit, at in Cælo brevi morte immortalitatem comparavit. 54. P. Auguſtinus Kerberus.

Hæc mors una præludium quoddam fuit: nam Annus ſequens 1649. 55. ibidem *Pragæ* plures noſtros in hoc obſequio charitatis exercuit; octo inſerviêre ægrotis, non tamen eâ peſte, niſi quatuor (quos jam nominabo) ſunt extin-

P. Martinus Benedicti. extincti: Memorabilis mors fuit *P. Martini Benedicti* ad 25. Julij: erat *Brumoviæ in Moravia* editus in lucem, 53. vitæ annos, Societatis 30. impleverat, magnis in rebus verſatus, præter quod *Philoſophiam* bis glorioſè docuit, *Noſtros in Collegio Novæ Civitatis Pragæ* cum charitate prudentiſſima rexit; cæteras viri virtutes maximas & *Annuæ Societatis*, & Patris *Nadaſi* Liber (*Victimæ Charitatis* inſcriptus) latè deprædicant. A. 1646. 16. Decembris votum conceperat peſtiferis ſerviendi, A. 1648. 20. Novembris inſervire cæpit, qua de re ſunt ad *R. P. Domûs* Profeſſæ *Præpoſitum* 22. Novembris 1648. geminæ literæ tenerrimo affectu ſcriptæ, quas recitat *Nadaſi*. Cùm verò A. 1649. in *Junio* malum recruduiſſet, rurſus ardore priſtino charitatis periculo ſe accinxit, & uno propè menſe totus obſequijs peſtiferorum immerſus, perſtitit innoxius, dum deniq; cuidam peſtifero in mortis ſolatium *Extremam Unctionem* ritu Eccleſiæ multis precibus flagitanti conferret, in eo miniſterio lue ipſe correptus, ſeptimo morbi die (25. Julij) omnibus Sacramentis munitus deceſſit.

56. P. Chriſtianus Blumſchein. Auguſti dies viceſima A. 1649. P. *Chriſtianum Blumſchein* extinxit, amabiliſſimis moribus virum, quem & ante *Societatem*, & pòſt in ipſa jam *Societate* (quam unà inivimus) *Condiſcipulum* habui *Pragæ* Patriæ ſuæ conſecravit vitam florentem adhuc (non enim trigeſimum ætatis annum exceſſerat) continuis capitis doloribus cruciabatur, hilari ſemper patientiâ; quæ cauſſa fuit, ut à *Theologia Scholaſtica* peteret amoveri. Gradus unius virtutis alterius eſſe ſolet initium: remotum (cùm hoc maximè ſi gloriæ paululum eſſet ſtudioſior, cavere oporteret) in ea ipſa *Urbe* ubi *Theologiam* reliquit, notus omnibus, contemtu quæſito, *Rudimenta Latinitatis Pueris Abecedariolis* tradere cœpit. Anni Scholaſtici fine *Lues Peſtilens Pragam* invadit, offert ſe Pater ſervitijs infectorum, non impetrat; rurſus machinas precum admovet, reijcitur, tertio inſultu, cùm omnes obteſtationes *per JESUM, per ejus Matrem*, aliáſq; ſimiles iterâſſet, neq; abire cum repulſa ex *Rectoris* cubiculo vellet, & differret *Rector*, tandem quod petebat, obtinuit. Memini me, antequam hæc agerentur, P. *Chriſtiano*, pro amicitia, quæ inter nos coaluerat, dixiſſe: *eos, qui ſe peſtiferorum obſequio manciparent, Martyrum gloriâ non indignos putari.* Ubi impetravit obſequium P. *Chriſtianus*, ſui me gaudij properè participem fecit, & *peto*, inquit, *probari hanc mihi, quam nuper attuliſti ſententiam;* adduxi omnia, quæ ſcire potui, atq; in rem erant, ut id ſibi probatum eſſe fateretur, exclamavítq; continuò: *Martyr ero! Martyr ero!* & dato ultimo amplexu, me deducente in eam Domum, quæ poſt *S. Clementis Eccleſiam* ſita, uſibus Patrum ei obſequio addictorum deſtinabatur, conceſſit. Duas propè hebdomadas die & nocte peſtiferos totâ urbe mirâ induſtriâ quærentem, & ſacris procurantem, cum ſocio *Melchiore* (de quo brevì) peſtis corripuit, & paucos intra dies Sacramentis, quæ tempus illud poſcit, munitum confecit.

Mel-

Digitized by Google

Melchior Reich gente Sileſius Inferioris Glogoviæ, Laicus adjutor diutiùs in hoc obſequio perſtitit, & ſex propè hebdomadas complevit, 22. Augusti duobus poſt P. *Chriſtianum* diebus ſublatus. Jam olim *Brunæ Noſtris* peſte infectis ſuam ſerviendo operam impenderat, ut in ejus charitate ægroti acquieſcerent, ob eámque cauſſam huic obſequio, quod efflictim petebat, aptior credebatur. Veneni, quo correptus eſt, tanta, & tam fæcunda vis fuit, ut propè mediam hominis partem occupârit, fibris veneni per totum corpus filatim euntibus; mirum illud eſt, quòd paulò ante mortem *Melchior Sacerdoti noſtro* narravit, ídque eo ipſo tempore, nobis omnibus in *Collegio* notiſſimum omnium celebrabatur ſermonibus: cùm ſomnus *Melchiori* obrepſiſſet, vidiſſe per quietem ſe mori, & in P*urgatorias flammas* abjici. Sed ecce protinus adſtitiſſe ſibi ſomniabat *Vener*: Patrem *Martinum Stredonium inclytæ Sanctimoniæ Virum* (cui *Melchior* erat addictiſſimus) ac dixiſſe: *quid in* P*urgatorio hoc loco otioſus ageret? iret porrò ſecum, ſe enim jam in Cœlum aſcendere;* in illa bonæ ſpei voluntate exiſſe ſe, ac ſimul evigilâſſe. hæc ille moriens; at nos ſomnium cœleſte fuiſſe brevì didicimus: ſiquidem poſt hebdomadem literæ *Brunenſes* attulerunt; *Vener:* Patrem *Stredonium* Pro*vincialem Noſtrum* 26. Auguſti è vivis exceſſiſſe *Brunæ*, cùm antè de ejus invaletudine nihil audiſſemus. Porrò cæteræ Virtutes *Melchioris*, tum omnium eo anno peſte extinctorum ex Noſtris, in *Annuis Collegij* P*ragenſis*, (quas ego, dum res gererentur, præſens id temporis, juſſu Majorum concinnavi) latiùs explicantur. 57. Melchior Reich.

His duobus peſte ſublatis magna cum comendatione Nominis noſtri è veſtigio P. *Jacobus Lippar Vitgenavienſis Luſatius* ætatis 32. Societatis 13. proceſſit in medium certus mori. Nulla in *Majore Praga*, nulla in M*inore* Domus de malo ſuſpecta, quam non adierit, ſolicitè curans, nè quis *Sacramento* P*œnitentiæ* non expiatus decederet; eâ curâ, & curſandi labore ità premebatur P*ater*, ut neque die, vix etiam nocte conquieſceret; addebat difficultatem, quòd ſubclaudicaret, & alterum ex caſu ab aliquot annis, breviorem pedem haberet, adeò aliquorum ex noſtris ſenſus tum fuit: etſi P. *Jacobus* peſtilentiâ non tangeretur, tamen laboribus frangendum, & non duraturum; hæc cùm illi ſæpius objicerentur à diverſis, familiari verbo refellebat omnia, iterando: *fidelis eſt DEUS! fidelis eſt DEUS!* Illud quoque ad *Socium* inter prodeundum è tugurio ſuo dictitans: *Eamus & nos, frater, & moriamur cum proximo, nullum periculum pro animarum periculo recuſantes.* Inde illum euntem quaquà ſe ferret, Cives lætiſſimis vocibus proſequebantur, imò & *Sveci*, qui *Minorem Urbem* occupatam abs ſe, præſidio tenebant, honorabant advenientem, cùm dicerent ſuos Popas uxorijs amoribus impeditos, nihil de ægrotis cogitare. 58. P. Jacobus Lippar.

Contigit non ſemel, ut P. *Jacobus* peſtilentiâ ictos, & domo ejectos de-

Digitized by Google

deprehenderet, ſupponebat ſtatim humeros, & ad deſtinata loca deferebat, attonitâ ſpectaculo Civitate; lectulos etiam ægrorum ſtraviſſe, & malè jacentes, ut comodiùs jacerent compoſuiſſe conſpectus eſt; tandem hauſto ab ægris veneno 19. Septembris, heroicam animam exhalavit. *Patres reliqui quatuor* in eodem obſequio diviſêre urbem ſibi, & quæ DEI in ſuos benignitas fuit, omnes ſervati, præter quos dixi quatuor (etſi non ſemel tentari tamen & illos malo contigerit) demum eventilati, Anni ſequentis 1650. initio ad nos redierunt; deſiderati ſunt plures è Socijs eâ tempeſtate, ſed extra infectorum obſequium; quæ omnia alio in loco à me latè fuêre deſcripta.

In An. Coll.

59. P. Mathias Kalaus.

Pragâ in alias quoque *Bohemiæ* urbes peregrinata Peſtis eſt, *Noſtris* ubicunque domicilium fixit *Societas*, nullâ periculi ratione habitâ ſeſe obſequio peſtiferorum addicentibus; ſed ultra periculum res non proceſſit; uno tantùm ex omnibus *Litomericij P. Mathiâ Kalaus* in obſequio extincto. Fuit is *Cuttemberga in Bohemia* natus, qui vitam omnem *Grammaticæ* tradendæ devoverat, & jam quinquennio docuerat, cùm peſtis, quæ *Litomericij* graſſabatur, ad mortis ludum evocavit, in quo tot diſcipulos videlicet, quot ægrotos, & Urbem ipſam haberet pro *Schola*. Et re vera *P. Mathias* non modò animas, ſed etiam corpora medicinis curabat, donec correptus ad 24. Octobris concidit, vir rebus cæleſtibus deditiſſimus, annis 34. ætatis, in *Societate* quindenis exactis. Ejus funus, nec quicquam contrà nitentibus Noſtris, in Templo Civitatis primario injectâ in Tumulum vivâ calce *Senatus* illius urbis honorificè tumulavit.

1655. 60. Melchior Robelius.

Annis poſthæc quinque nullam Provinciarum noſtrarum *peſtis* afflixit, Anno 1655. *Olomucium* invaſit tantâ ſævitiâ, ut majorem Civium partem, Noſtros quoque in *Collegio* duodecim extinxerit; ex ijs *quatuor* tantùm in Cenſum meum veniunt, *tres* nimirum, qui ſocijs peſte correptis, & *quartus*, qui Civitati lue illâ proſtratæ obſequium præſtiterunt. *Primus* ſeptimâ Septembris ad Charitatis præmia evolavit *Melchior Robelius Groſvvicenſis Luſatius*, Laicus, pharmacopeo præfectus, unica calamitoſa illo tempore *Collegij* ſpes, & ægrorum ſolatium, ex quibus *duos*, jam peſte ad extrema deductos, diligentiâ, & medicinæ arte ſervavit in vita. Vix explicari ſatìs poteſt hujus Laici in ægrotos à pluribus annis (nam vicenos annos in *Societate* expleverat) imenſa quodamodo charitas, ut à ſocijs comuni titulo *Aureus frater* diceretur. Anno 1645. cùm lues contagioſa *Collegium Brunenſe* (ùt nuper innueram) graviſſimè vexaret, *Melchior Cuttenbergâ*, ubi tum degebat, literas ad *Provincialem* dedit in hæc verba: *Reverende Pater, rebus omnibus conſideratis ante multos annos ſtatui vitam meam, imò multas ſi haberem vitas, pro DEI gloria ponere. Proinde pro mea tenuitate, vires, labores, & meipſum totum offero ad ſerviendum infirmis, quacunque lue contactis.* Impetrato illo obſequio *Brunam* protinus advolavit *Melchior*, ac ingenti charitate

Digitized by Google

tate ægrotis ſeſe totum impendit; ſed Divinæ Bonitati placuit eum id temporis incolumem, ad annos decem, *Olomucenſibus* omni humano auxilio deſtitutis reſervare: quaternis Noſtris *Peſtilentiâ* laborantibus *Olomucij* diu, noctúque conſtanter adſtitit, & ſuis ipſe manibus, quidquid erat agendum, miniſtravit. Ab ultimo, quem inſtar pueruli venenato calore æſtuantem tractabat, afflatus, emergente lethali carbunculo, ſeptimo morbi die conſumtus eſt.

Inter hæc ipſum *Collegij Olomucenſis Rectorem* Peſtis extinxit, Virum, etſi vel heroica mors abeſſet, memorandum in paucis. Is erat *P. Euſtachius* 61. P. Euſtachius Remigij. *Remigij Leodienſis*, qui cùm quotidie (quod erat illi, dum *Rectoris* munus ageret, perpetuum) *Noſtros lue peſtilenti* correptos inviſeret, ſolaretur, & allatis, quæcunque placere pôterant, recrearet, à *Melchiore* potiſſimùm ſic ut virus perſentiſceret, malum hauſit: altero die ad *Eccleſiam Collegij* noſtri acceſſit *peſtifer ægrotus*, & totius vitæ ſuæ rationes in Sacro Tribunali explicuit coram *Patre*, die *Virgini Matri Naſcenti* ſacro; unde iterum virus ſibi iteratò afflatum ſentiens, cùm nullâ vi medicinæ poſſet excutere, quinto pòſt die optimè ad mortem Sacramentis comparatus, inter Sacra *JESU, & MARIÆ* nomina, familiaria ſibi pridem verba: *Fiat DEI voluntas!* iterando, expiravit. Vixerat 35. annis in *Societate;* rexerat *Collegia quatuor* ſumâ humilitate, & charitate, hoſtis erat perpetuus vitæ, quam Religioſi Scriptores *ſingularitatem* appellant, laudator contrà ſumus virtutis, quâ rebus in vita comuni uſitatis contenti, alia rejicimus omnia. Elogium ejus vitæ inſigne ad memoriam habent *Olomucenſes Annuæ*, quod exſcribere hoc loco ſupervacaneum foret. Jam abhinc Menſe uno comparâſſe illum ad hoc mortis genus videbatur DEUS; nam in arcano libello ad 15. Auguſti hæc inventa ſunt: *Si DEUS videt aliquem lue corripiendum, qui plus me ejus gloriam, & cultum promoturus eſt, aut bonum commune Ordinis mei aucturus, offero me ſyncerè, & verè pro eodem ad mortem. Exaudiat DEUS, qui cor ſcrutatur, deſiderium meum!* Satìs de *P. Evſtachio.*

Tertius in hoc obſequio *Andreas Albrecht* exſpiravit *Braunſeiffenſis* 62. Andreas Albrecht. *Moravus* Adjutor Laicus; is quàm primùm lues contagioſa ſeſe in *Collegium* inſinuavit, ardentiſſimis precibus apud *Rectorem*, penè dixerim, extorſit, ut ſocijs laborantibus ſerviret; nihil ampliùs in mancipio quocunque deſideràſſes: indicia contagionis explorabat, arteriæ pulſus tentabat, medicamenta miſcebat, & infundebat ægrotis; dum ſuculæ, & tubera lethalia naſcerentur, applicabat emplaſtra, & mutabat; ſolabatur, animabat, mortuos quin etiam inferebat ſepulchris, dum denique corriperetur; quod ubi perſenſit, ad *Patrem*, cujus ad Confeſſionem operâ utebatur acceſſit, humíque ſe proſternens cum lacrymis vitæ ſuæ prioris labes omnes aperuit. Vixerat in *Societate* annis ſex, plerumque curâ Penûs diſtentus; manè cùm So-

Digitized by Google

cios excitaret è ſomno, ſecundâ, aut tertiâ poſt mediam noctem horâ priùs ſurgebat ipſe, & cœleſtia meditando ad uſquè tempus ſolitum perdurabat; deceſſit ætatis anno 44. 18. Octobris, ſacro Viatico comunitus.

63. Jam *Quartum*, cúmque multarum in hoc opere charitatis palmarum adducemus; cujus Viri heroicas virtutes miror tam leviter perſtrictas in *Victimis Charitatis*, ut vix duas lineolas impleverint, quò magis mihi enitendũ reor, nè tantus Vir debito præconio defraudetur; omnia verò, quæ ſubjiciam religioſâ fide, & oculatorum teſtium authoritate comprobata ex *Annalibus Olomucenſis Collegij* deſcribam:

64. P. Caſpar Hillebrand *P. Caſparus Hillebrandt Sileſius Camencenſis Societatem Noſtram* Anno 1625. 22. Auguſti 19. ætatis ingreſſus, poſt navatam infectis per tres menſes & ampliùs tam conſtantem, quàm perutilem operam, tandem ſuccubuit factus *Victima Charitatis*, & viſus eſt ſecum peſtem omnem ex Urbe tota in *Sepulchrum* intuliſſe: quæ ulterius exinde progreſſa non eſt, & revaluerunt nonnulli, qui eo vivente ex ea decumbebant. Amiſimus porrò in *P. Caſparo Virum* quoad labores, & indefeſſos proximi ſalutem procurandi conatus, planè *Apoſtolicum*, qui per annos 29. quibus in *Societate* vixit, egit ferè ſemper *Concionatorem*, zelo DEI plenum, nec minùs affectuoſum, quàm eloquentem. In rudibus Cathecheſi Chriſtianâ erudiendis, & alliciendis auditoribus fuit admodum ſolers, ad viſitandos infirmos diu noctúque ſemper promtus, & paratus, in adeundis carceribus, & Noſocomijs impiger, in audiendis Confeſsionibus aſſiduus, in pauperibus, & plebeijs hominibus, quibuſcunque poterat auxilijs, & conſilijs adjuvandis, ac præcipuè in procurandis eleemoſynis ad egenorum penuriam, & inediam ſublevandam valde induſtrius. Fuit denique Vir omnibus boni, & ferventis *operarij* dotibus, & ornamentis egregiè inſtructus, & ubique ac ſemper publico bono promovendo, privatíſque miſerorum neceſſitatibus ſublevandis intentus; multa ſanè ille in pluribus Provinciæ noſtræ Collegijs præclara egit cum laude, ac potiſſimùm in arduis, & periculoſis *Miſſionibus*, in convertendis magno planè numero hæreticis, in firmandis de fide dubitantibus, in peccatoribus ad meliorem frugem per ſeriam pœnitudinem revocandis. Quæ tametſi omnia ſuis digniſſima ſint amplioribus elogijs, prolixiùs tamen his ènarrandis ſuperſedere nos cogit ubertas, & copia eorum, quæ tribus vitæ ſuæ poſtremis temporibus *Olomucij* egit; ex quibus licebit de cæteris facilem facere conjecturam. Cùm porrò declinante ad finem *Auguſto* ſenſim per Urbem ſerperet contagio, & juſſi eſſent *Sacerdotes Noſtri* ſcripto declarare, velléntne *abire Olomucio, an manere in Collegio?* & quinam velint exponi publicè ad ſerviendum infectis? ſcripto teſtati ſunt eorum aliquot, ſe perdurare paratos, & ad obedientiæ nutum etiam infectis adfuturos; inter hos cùm *P. Caſparus* generosè, & abſque limitatione ad ſuſcipiendum tam laudatum charitatis miniſteri-

ſteri-

Digitized by Google

ſterium ſe obtuliſſet, ardentibus ejus votis annuens *Superior*, providit, ut in *Urbe Domus* una aptè ad ejus habitationem accomōdáretur, ad quam omnibus neceſſarijs inſtructam migravit è Collegio die 27. Auguſti, Socius illi datus erat ex Alumnatu Ferdinandeo *Societatis Candidatus*, quem placuit DEO inter manifeſta, & quotidiana pericula incolumem hucuſque ſervare, à quo pleraque, quæ hîc adſcribam, tanquam ab oculato teſte accepimus. Habitârunt hi duo in domo quadam Templo *S. Blaſij* vicinâ, cujus inferiore parte plebeo homini relictâ, ſuperiorem tenuerunt, appensâ ad feneſtram campanulâ, per quam die noctéque poſſent ad infirmos evocari. Toto illo tempore, quo fuit expoſitus Pater, in *Templo S. Blaſij* quotidie *Miſſam* fecit, Feſtis, & Dominicis ad populum frequentem dixit, excepit *Confeſſiones, ſacrámque Synaxin* diſtribuit; quin & quotidie finito Sacro dixit ad populum breviſſimè, & ſubjunxit *Litanias* pro mitiganda peſte, ac ſemel in menſe defunctorum memoriam inſtituit. Non defuêre oblocutores, qui hanc devotionem, ſeu potiùs populi ad eum affluxum, improbarent; ſolebat tamen *Socio* dictitare: *Diabolum* non ferre eam pietatem, illo tamen vel invito continuandam. Multos enim numerare erat, qui quotidie in illo templo illi confiterentur, & ab eo ſacrâ Synaxi reficerentur. Quam infectorum curam ſuſceptam ità diſpoſuit, ut primò quidem *Chirurgum à Senatu* pretio conductum ad ſerviendum peſtiferis moneret, nè unquam, quoties eum ad infirmum vocari contingeret, idem ſibi quoque indicare negligeret, néve bajuli, & veſpillones ullum, à quocunque vocarentur, niſì ſe præmonito adirent. Conſtituit etiam per famoſiores urbis plateas pios, & fideles *Vigiles*, ut diligenter attenderent, an quiſpiam, & ubi ægrotaret? quo nimirum certior factus ab ijs mox advolaret: unde factum, ut leviſſimo undecunque de cujuſpiam infirmitate accepto indicio, ſtatim ad illum ſe conferret. Quin imò ipſe *ſpeculatorem* agebat hac in re ſancta curioſiſſimum, qui totis penè diebus per Urbem circumiens, & infirmos viſitans, appensâ de collo *Crucifixi Imagine*, ut facilè dignoſceretur, neque promiſcuè in illum homines incurrerent, paſſim *de valetudinarijs* accuratè inquirebat. Quos verò malè affectos compererat, abſque mora adibat ſolicitè, & ſi non dabatur *per portam* aſcenſus, *per feneſtras* identidem, non ſinè incomōdo, & interdum periculo intro ſcandebat, admonebat confeſſionis, nec priùs recedebat, quā confeſſione exceptâ, & ſacrâ *Synaxi* (quam ſemper in ſinu ſecum geſtabat) porrectâ, ad ſecurè moriendum eos diſpoſuiſſet. Incidit quandoque in quoſdam rudiores, & magìs obſtinatos, qui ſua confiteri aut nollent, aut mallent differre, quos ille nunc blandis, nunc durioribus verbis tam diu urgebat, donec acquieſcerent. Et profuit nonnullis, ùt ipſe perſvâſum habuit, ad beatam æternitatem, pia hæc ejus importunitas, quando & molliores poſtea ad pias lacrymas, quàm priùs ad ſacram Pœnitentiam obſtinatiores, & lætiores ad mortem, quàm in P. A. Z.

 mor-

Digitized by Google

morbo triſtiores eos experiebatur. Nec contentus uni ſoli profuiſſe, ſed illo mortuo, monebat domeſticos omnes, ut piaculari peccatorum confeſſione ſe contra ejusmodi malum munirent, aut ad ſimilem mortem de manu DEI acceptandam præpararent. Quamcunque *domum infectam* ingrediebatur, *Socio ante fores relicto, infirmum* accedens eum eminus alloquens, confeſsionem ejus excipiebat, *móxq; ſocio ad feneſtram, vel ad portam dicente Confiteor,* ſacram hoſtiam porrigebat, *vultu nonnihil ab infirmo averſo*, nè halitum ejus exciperet. Non raró etiam moribundorum de tota vita confeſsiones ſæpius iteratas, conſtanter, & patienter admodum audiebat; & quamvis ùt plurimùm *non diu apud infirmos hæreret*, ſi tamen eorum neceſsitas poſtulabat, etiam ad horam quandoque ipſis aſsiſtebat. Per diem obibat urbem totam, nec ullius infirmi *domum* prætcribat, quin interrogaret de ejus ſtatu, cúmque accederet, & ſolaretur. Incluſos quoque in ſuis domibus frequenter adibat, multũ ſollicitus, nè ad victum neceſſaria illis deeſſent, habebátq; ſingularem pauperum, & afflictorum curam, quibus præter corrogatas frequenter Eleemoſynas, etiam ea, quæ ipſi vel à pijs, & honeſtis perſonis, vel certè à *Collegio* ad victum ſubmittebantur, diſpenſabat, & præſertim quibus utpote melioribus, genium ſuum deſraudabat, cõmuni ipſe interea frugalitate contentus, eò quòd in tyrocinio, ùt ſuo referebat Socio, aliquando didíciſſet *bolos palato arridentes JESULO relinquendos eſſe.* Inter hæc tamen pericula, & continuos labores maximè curabat, nè quidpiam à ſe fieret, vel ab alijs verè objici poſſet, quod *bono nomini Societatis Noſtræ* derogaret. Hinc Socio ſæpius dixit, ſe contra calumnias *Societati* objectas debere virum oſtendere, & malle vitam perdere, quàm permittere, ut vel in minimo bonum nomen ejus labefactaretur; quod verò privatam ſuam perſonam concerneret, facilè diſſimulabat contradictiones æmulorum, & obtrectatorum calumnias. Nihil agebat alicujus momenti, nisì *conſulto* priùs *per preces DEO*, cui etiam minima quæque cõmendabat. Domi nunquam otioſus, modò ligna ſurſum comportabat, modò labore manuali tenebatur, modò accendebat focum, & cibos calefaciebat, magíſque erat ſollicitus, nè ſuperflua ſibi mitterentur, quàm nè deeſſent neceſſaria. Attentè ſemper invigilabat, nè ſocio aliquid ſiniſtri accideret; hinc nunquam permiſit illum propiùs ad infirmos accedere, vetuítque, nè ullum infectum, aut moribundum aſpiceret, nè ex horrore veneni per ſaciem eorum perſuſi, contagionem contraheret. Acer erat in vitijs redarguendis, nec verebatur ullius offenſam, cùm non perſonas, ſed peccata invectivis zelo plenis damnaret; Nec rarò dictitabat, ſe non poſſe ulli vitioſo homini adulari, licèt *aurum potabile* ſibi propinaret. *Arguam* (inquiebat) *malos omnes, & fortiter eos premiam, donec convertantur. Hoc me docuit* Chriſtus, *qui noluit eſſe amicus* Phariſæorum: *hoc me docuerunt SS. Patres, qui veriti non ſunt, etiam* Principibus *malè agentibus in faciem reſiſtere.*

Et

Et verò ſi hominibus tantùm placerem, quomodo ſervus Chriſti verus dici mererer? aut quid illi in Judicio reſponderem! Demum toto illo trium menſium, & ultrà tempore, quo publicè infectis ſervivit, tam circumſpectè ſe geſſit, tam laborioſè miniſterium ſuum implevit, tantâ cum charitate infirmis quibusque ſeſe impendit, ut nemo juſtè de illo queri, aut verbum malum dicere potuerit, ſed omnes indefatigabilem ejus charitatem ſumis laudibus comendârint. A die 27. Auguſti uſquè ad undecimam Decembris, accuratiſsimè annotaverat, quidquid egiſſet toto illo tempore per ſingulos dies, quot, & quorum Confeſsiones excepiſſet, & comunicâſſet, à quibus eleemoſynas accepiſſet, & quibus diſtribuiſſet, & quot in alteram vitam comigrâſſent. Demum, cùm *ſupra quadringentas peſtiferorum Confeſſiones* excepiſſet, & *morientibus ducentis*, & ampliùs, opem attuliſſet extremam, jámque per urbem contagio miteſceret, tandem & ipſe ab infecto afflatus, incurabile malum contraxit, id quod ipſe futurum prædixerat *Socio* ſuô ſub initia contagionis, aſſeverando: *ſatis multos hâc occaſione ſepeliam, ſed tandem & ego illos ſequar, & alij me ſepelient.* Die igitur 6. Decembris vocatus ad quendam peſte afflatum, diu cum eo laboraverat, ut ſe diſponeret ad confitendum, qui dilationem petens, & fortè rarò confiteri aſſvetus (audiebat enim paſsim *frigidus Catholicus*) cùm *Pater* nollet cedere, & identidem urgeret jam maniç proximum, ut ad mortem ſe more, ritúque catholico diſponeret, ille ſua, ſub quibus æſtuabat, excuſsit pulvinaria, & venenati ſudoris nidore, halitúque peſtilenti locum totum, in quo jacebat, implevit, Patrémque adſtantem incurabiliter affecit. Domum itaque redux ſubitò ſenſit venenum, ídque adeò, ut foras per ardens, cordíque ipſi imminens ulcus, à quo acriter urebatur, eruperit. Conſtituerat antea in omnem eventum medicinam, ſed quç imparata præſto non erat, cúmque in vicem illius interim alteram *Chirurgus* porrigeret, ea ipſa fatali caſu quodam, è manibus in terram decidit, reddita inutilis: cui etiamnum cùm aliæ, & aliæ ſubſtituerentur, nullum tamen ſortitæ ſunt effectum, & nec ſudoris guttulam exprimere potuerunt; inde factum ut ipſe ſibi vates extiterit, diémque ſibi extremum, qui *S. Luciæ* ſacer erat, deſignârit. Interim verò, ut ſe ad mortem rite compararet, *Collegium* ſubintrans, uni ex noſtris confeſſus eſt, & omnium precibus ſe comendavit, hoc unum inſuper à *Concionatore* expoſcens, ut proximè de ſuggeſtu omnibus ſuo nomine offenſas omnes, & defectus à ſe comiſſos deprecaretur, eorúmque pro ſe preces expeteret. Viſitabat tum adhuc ſic malè affectus decumbentes ex peſte, nec ſe lecto affixit, niſì moriturus, multis etiam hoc ultimo tempore eleemoſynas diſtribuens, virulento ulcere ſcatentibus emplaſtra ſubmittens, & more ſolito ſua peragens, donec die 12. Menſis Decembris, naturâ ſuccumbente domo ampliùs exire non potuit. Sub noctem cœpit ſentire ultimos morbi aculeos, & graves pati mortis nuncias punctiones, inter

 ter

ter quas *Breviarij penſum* (quod hactenus nunquam omiſerat) magnâ cum difficultate perſolvit. *Socium* ad ſe ſæpius accedentem ſemper repulit, nè fortè inficeretur. *Serva te*, inquiens, *& te conſervet DEUS, curſum ego meum conſummavi, conſenui, jam mea peregi, libenter moriar.* Demum die 13. Decembris in feſto S. *Luciæ* ſurrexit è loco, feneſtras, & portam cubiculi aperuit, ſéque rurſum ſuper ſtrato componens, & *Socium* ad ſe rurſum accedentem abire jubens, nè morientis halitum exciperet, ſvaviſſimè tam precioſam animam, quam pro aliorum ſalute, ut charitatem ſuam erga DEUM teſtaretur, poſuerat, Creatori reddidit. Sparſo mox rumore de morte ejus, ingens populi multitudo confluxit ad domum, nulli tamen ad eum videndũ datus eſt acceſſus. Dolebant omnes tam charum *Patrem*, totíque urbi tam pretioſum *operarium* ereptum eſſe, præcipuè verò *pauperes*, & infimæ ſortis plebeij, tantum Benefactorem, & Patronum ſe amiſiſſe lamentabantur. Flebant plurimi, nemo non illi bene precabatur, omnes de illo, tanquam de Martyre, qui *poſuiſſet animam pro amicis ſuis*, optimè loquebantur. Sepultus fuit à meridie in templo *S. Blaſij*, præſente frequentiſſimo populo, qui à loco non poterat avelli. *Reverendiſſimus Dominus Adamus Mauritius à Sternfels, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, & Parochus ad S. Mauritium* publicas fecit illi exequias, ad quas tota penè Civitas cõfluxit, & quia intereſſe ob impedimenta publica non licuerat Civico Magiſtratui; is alteras illi *Exequias* in diem octavam indixit, quæ habitæ ſunt in eodem templo ſolenniter.

1655. Hæc ad verbum ex *Collegij Annalibus* pro coronide tractationis hujus deſcripſi; quam etſi prolixam, nihil dubitem profuturám ijs, qui ſeſe ſanctę hujus *charitatis obſequio* devoverint, ut Ideam quandam, & œconomiam totius negotij animo comprehendant; ubique enim neceſſarius eſt rerum ordo, & quamvìs vitam inter, & mortem luctentur ægroti, & perturbentur omnia, quódq; magnus ille *Dux Græciæ* dixit: *In bello bis peccare non liceat*, id longè veriùs in mortem transferri poſſit, quam nonniſi *ſemel* obire poſſumus; eſt tamen aliquis arti locus, ut ordine, & ratione eam provinciam adminiſtremus, nè temere irruamus in periculum, nè ſimul omnia perturbatè agamus, nè quis malè latendo ſinè pœnitentia moriatur &c. Scio præcepta plurima ab ijs tradita, qui ter, quatérve peſtilentiæ expoſiti, periculum vitârunt; ſed his recenſendis alius aptior apud me ſervatur locus. Quod *Peſtilentiam communem* attinet, poſtrema hæc fuit ad Annum uſquè 1679. quo hæc ſcripſimus; utinam (cùm in vicinis *Provincijs* latè graſſatur, totáque *Vienna* ardeat) *Catalogum* hunc *novorum Nominum* acceſſione augere nondebeamus!

Lamach: apud Plutar. in Apopht: ad Trajan.

CAPUT VII.

Peſtilentia Anni 1680. quot & quantos Viros in obſequio Peſtiferorũ ex Societ: noſtra extinxerit.

AC profectò, ut timebatur, evênit: nam An: mox ſequenti 1680. in *Bohemiam*, cæteráſque Regni Provincias ſeſe infudit contagio, atque ut

Digitized by Google

plurimorum ſenſus fuit, in *Bohemia* ſola plura quàm *octoginta*, *Pragæ* ampliùs quàm 25. millia mortalium abſumſit; quo calamitoſiſſimo tempore, *Patrum Noſtrorum Charitas* toti Regno, ac *Pragæ* præcipuè (quod *Senatûs teſtimonio* liquidiſſimè probari à nobis poteſt) eluxit; perinde ut in acie, *Legionem* aliquam fortiter pugnaſſe, vel inde conjicimus: ſi ex ea legione plurimos in loco prælij cecidiſſe, & adverſo pectore exceptis vulneribus, eum quem ceperant locum, corporibus tegere videamus; reliqua, nè odium incurram, prætereo. Illud *unum Lectorem* moneo: nullum me nominatum hoc loco, qui in Collegij umbra, hauſtâ fortuito aliquo eventu, vel occurſu peſtilentiâ ſit extinctus; eos ſolos nominabo, qui exoratâ multis precibus à Majoribus ſuis, vitam prodigendi licentiâ, à cæteris ſeparati, *Senatu Civitatis* ſalutato, domicilium aliquod, & victum ex publico (quanquam multis in locis, nè id Civitati grave foret, de Collegij demenſo *Patres* vixerunt) habuerunt, & in luce totius Civitatis (ut omnibus conſtaret vocatos die noctúque adfore) huic ſeſe ægrorum obſequio devovêrunt, ac laboribus hiſce, in ſpeciem mœſtiſſimis, ſed in cœlo glorioſis ſponte im̃ori voluerunt. *Pragam* priùs expediam: *Lazaretum* novâ voce, & novo apud Bohemos exemplo vocabant *Domum* in quam peſte contactos evehebant ex Urbe tanto numero, ut perſæpe 700. 800. 900. cenſerentur, neque locus eſſet, quo ponerentur, cùm velut manipuli, aut faſces ſegetum in agris, miſere jacerent. Hanc *Domum* ab initio uſquè ad finem, id eſt ab *Octobri* anni ſuperioris uſq; ad Anni 1680. *Novembrem* ſine intermiſſione cum Medicis & Chirurgis delectis, *Patres noſtri* procuravêre ſacris, atque uno aliquo ex Noſtris extincto, alius ſemper & alius Sacerdos noſter advolavit ſuccedaneus in obſequium Charitatis. *Idem præſtitum in Antiqua Urbe Pragenſi* in *Domo Collegij Clementini* è regione Eccleſiæ S Ægidij, non procul à *Bethlehem*, unde in totam Urbem evocabantur. *Tertia ſtatio*, & quidam Cœleſtium Vigiliarum locus, in *Vineis* ad *Pragam* conſtitutus erat, & ſervabatur à Noſtris, ubi omnibus humanis perinde, ac divinis ſolatijs deſtituti Mortales, pauperes pleriq; & egentiſſimi, niſi auxilia tã è penu, quàm è Pharmacopeo *Collegij* ſępe ſubminiſtrata fuiſſent, jam perierant. *Quartam ſtationem* fixerant Noſtri apud *Milites*, qui extra Urbem in *majore Inſula*, quam *Muldava fluvius* efficit, tuguriolis exſtructis degebant. *Quinta ſtatio* in Minore Urbe Pragenſi in *Scholarum* (quæ clauſæ jam erant) *Domo*; ubi duo in victimam Charitatis glorioſè cecidêre, novis ſemper in eorum locum ſuffectis; tertius (XI. Auguſti) eodem malo afflatus, & tertiùm erumpentibus bubonibus proſtratus, vix tandem in *Februario* anni 1681. convaluit. quid omnibus his præſtitum ſit à *Noſtris*, qui revaluêre ſuperſtites loquantur; at ægri viciſſim, quantumcunque nollent, peſtem ſuis Patribus inhalabant. *Primus*, qui in hac arena Lazaretana cecidit (licet primus non deſcenderit) fuit *P. Chriſtophorus Heisler* Vir ardentiſſime

mæ in animarum obſequium charitatis 3. *Martij* Menſis A. 1680. extinctus;
mira quædam in ejus morte eveniſſe ſcio, ſed vulgare tam arcana non expedit.
Hunc ex *Bethleemitica Domo* (ſic in poſterum appellabo *Domum*, quam in ſe-
2. cunda ſtatione poſueram) ſecutus eſt 14. Aprilis *P. Joannes Jordan* ſtrenuus
in ægris ad mortem comparandis Sacerdos. At in *Lazareto* rurſus ad 10. *A-*
3. *prilis, mortem* apud ægrotos invênit *P. Michaël Pohl* Vir egregiè cordatus, qui
(perinde ut *P. Jordan*) ob animi omnia vitæ pericula contemnentis excelſi-
tatem compluribus annis in Exercitu Cæſareo Militibus operam in ſacris
4. commodârat ſuam. Brevì pòſt 21. Aprilis *P. Adamus Richtig* in *Lazareti* ob-
ſequio vitam poſuit; ſed vix bene aggeſto ejus Tumulo in eadem *Lazareta-*
5. *na Domo* peſte contractâ elatus eſt 29. *Aprilis Adamus Scultetus* Laicus fra-
ter, quòd pharmaca peritè miſcere noſſet, nuper ad eam operam præſtandam
à *Lazaretanis Præfectis* peculiariter à Collegij Clementini Rectore impetra-
6. tus. Jam *peſtis* quæ ut ignis alimentum poſcit, *P. Mathæum Bohdalovsky* na-
viter in *Domo ad Bethleem* laborantem crudelem in modum aggreſſa ad 22.
Maij confecit, & deturbavit de vita. Non multo interjecto tempore *P. Si-*
7. *meon Spanberger* ad 9. Junij ſuccedanea hoſtia in *Lazareto* procubuit, qui ex
Univerſitatis Carolo-Ferdinandææ Profeſſore, & Theologiæ Doctore, hanc
ſibi cœlo gratiorem Spartam à Majoribus noſtris impetraverat; prætereo Vi-
ri magni Encomia, quæ paginas implerent. Mortem *P. Simonis* excepit ter-
8. tio pòſt die mors æquè glorioſa *P. Joannis Weleba* 9. Junij, qui labores ſuos
itidem in *Lazaretana Domo* finivit. Jam in *Nova Civitate Pragenſi* etſi pu-
blicè *Noſtri* expoſiti ad peſtiferorum obſequium non erant (propterea quòd
alius *Ordo Religioſiſſimus* eam ſibi demandari Provinciam à Senatu petijſſet)
Sociorum tamen charitas unius Collegij anguſtijs contineri non poterat in
communi Civitatis periculo, quin foras ad ægrotos erumperent, præſertim cùm
diebus, & noctibus evocarentur, adeò ut totum *Novæ Civitatis Collegium*,
ad obſequia peſtiferorum apertum ſtaret, ac perpetim pro morientibus vigi-
9. laret. Ex hoc numero *P. Martinus Chitrecius* jam pridem circumcurſans, &
domatim, non modò oſtiatim quærens ægrotantes, tandem & ipſe veneno
afflatus 19. Junij vivere deſijt. *Scholas* quoq; in *Minore Urbe Pragenſi* (quas
quintam ſtationem Noſtrorum fuiſſe dixeram) funeſtavit Libitina, 22. Junij
10. ſublato peſte P. *Chriſtiano Ottone*, qui ſtrenuam operam ægrotis navaverat.
11. En novum iterum in *Bethleemitica Domo* funus, P. *Joannes Spanberger* (no-
tum totâ Urbe Pragenſi nomen) multis jam annis nocturnus & diurnus per
tuguria Pauperum circumcurſator, qui ab initio hujus calamitatis jam octo
menſibus indefeſſo ſtudio ſacris procurabat morientes; concidit 26. Junij pe-
ſtilentiâ ictus, maximo ſui deſiderio apud omnes relicto. Parem Victimam
12. ex *Lazaretana Domo* 8. Julij mors exuit vitâ, P. *Antonium Hoffman*, qui pri-
mus *Lazaretum* ſubierat, eámque *domum ab Octobri* anni ſuperioris ad hoc
tem-

Digitized by Google

tempus diligentiſſimè procurârat, ut in hoc uno Patre & promumcondum, & Præfectum, & OEconomum, & Sacerdotem, *Domus illa* ægrorum pleniſſima amiſerit. Regnabant in P*atris Antonij* miſero corpore jàm pridem varij morbi, quibus inter ſe, & adverſus *peſtem* pugnantibus, factum videtur, nè tam citò, ac decimo primùm obſequij ſui menſe ſterneretur. *Quinta in*
ſtatione P. *Joannem Rungen* ad XI. Julij extinctum minor P*raga* luxit, cui nè 13
Socius, qui comes ante periculum fuerat, deeſſet, idem comes mortis fuit
Fridericus Peil Coadjutor Laicus contractâ apud morientes peſte eodem die 14.
vitâ defunctus. *Quartam* quoque *Stationem in Inſula Muldavæ* peſtis invaſit, multóſque ibi egregios bello Milites, ac noviſſimè Noſtrum quoque P.
Joannem Victorinum veteranum illius Legionis in ſacris rebus C*uratorem* pe- 15.
remit, quem inter ſcloporum plauſus cum lacrymis Milites humaverunt.
13. Auguſti dies funeſto obitu P. *Rudolfi Koſſtial* conſignatur; is non exiguo 16.
tempore ad *Tuchomericium, & Okorz*, atque in ipſo *Pragæ* aſpectu peſte morientibus ſerviens, ingenti ex animis proximorum reportato cœleſti fructu, tandem Urbicis accedens laboribus, P*ragæ* idem *præmium* diu exoptatæ mortis invênit. *Vineas* (quæ *tertia ſtatio* Noſtrorum hominum fuit) poſt exanthlatos labores plurimos, poſtquàm pondus diei, noctes, & æſtus ægrotan-
tium ſuperaſſet, morte charitatis conſecravit ad 15. Auguſti diem P. *Adamus* 17.
Gayer, qui Patriæ ſuæ (utpote domo Pragenſis) quam acceperat, vitam rependit. Per id tempus quoque (25. Auguſti) abijt, quò ſua illum merita
vocabant in cœlum P. *Mathias Vierius*, qui in *Nova Civitate* P*ragenſi* peſte 18.
proſtratis pridem ſeſe devoverat. Nimis prolixum foret Viri ſanctimoniã, quę alio deſcribitur loco, hîc intempeſtivè oggerere. Ante annos aliquot edito ad *S. Franciſcum Xaverium Indiarum Apoſtolum Voto*, cùm ſanitatem recepiſſet, alio ſtatim ſeſe illigavit voto, *peſtiferis ſerviendi*, quod P*ragæ* moriens explevit; longum O*ppaviâ* uſquè P*ragam* iter pedibus emenſus. P*ragenſibus* accenſeri poteſt, qui in P*ragenſis* C*ollegij ditione Libieſſicij* ad *pagum Koblitz* in tuguriolo quodam (quod ipſe ſibi conſtruxerat) totam illam *viciniam* percurrens ad ſacra ægrotis miniſtranda, 27. Julij deceſſit P*ater Martinus*
Langer, omni præter id quod è cœlo venit, ſolatio deſtitutus. 19.

Jam ad eos aliquando veniamus, qui errante per omnes Regni Provincias peſtilentiâ, extra *Pragam* in Urbibus ubi domicilium Societas fixit, *publicè & ſpontè* (ut Urbi toti & ægrotis omnibus conſtaret) in miniſterium peſtiferorum obtulêre ſe morti: *Glacium* populo frequentiſſimam Urbem
horrida peſtis invaſit, primus P. *Godefridus Neinachbar*, poſtquam ægroto- 20.
rum plurium animas miſiſſet ad cœlum, 22. Maij 1680. ſuccubuit peſte cor-
reptus; ejus ſucceſſor ibidem ad 20. Junij P. *Joannes Krebs*, & rurſus paucu- 21.
lis interjectis diebus (27. Jun:) P. *Ignatius Kunech*, & poſt eum Coadjutor no- 22.
ſter Laicus, qui ſe Patribus ex Majorum voluntate Socium addebat, *Henricus* 23.

Digitized by Google

Erb (24. Julij) ſunt extincti. Diem 7. Auguſti fatalem habuit Vir maximæ
24. Charitatis P. *Martinus Greüſing*, cujus memoria hodiéque (ut olim Brunæ)
in benedictione eſt. Recrudeſcente iterum malo *Glacij*, uno eodémque
25. die 20. Auguſti *duo* Viri magnanimi P. *Andreas Khuen*, & P. *Andreas Fiſch-*
26. *bach* in eodem obſequio conciderunt; his ſucceſsêre alij Patres, at peſte pau-
latim miteſcente in vita ſunt ſervati.

Reſidentia Beatiſſimæ DEI Matris in Monte Sancto, tres induſtrios, &
ampliſsimæ charitatis Sacerdotes, qui ſeſe peſtiferorum obſequijs per totam
27. illam *Regionem* latè devoverant amiſit: primus P. *Chriſtophorus Lupius* peri-
28. culorum omnium jam pridem contemtor 9. Julij, alter P. *Martinus Tonner*
29. 13. Menſis ejuſdem, tertius ipſe loci Superior, ut vocamus, P. *Melchior Mau-*
ritz conciderunt. *Hradiſſtium* Moraviæ Civitas inter munitiores
ſemper habita peſti hoc anno patuit 13. Auguſti, qui ſe obtulerat Morti ſuccu-
30. buit P. *Fridericus Baltzar*, P. *Friderico* peſte, quod conſtabat inter omnes
31. ægrotanti, ſummâ charitate deſerviens *Nicolaus Nigrinus Soc: noſtræ Coadjutor*
32. eandem peſtem in ſe quoque tranſtulit; hos tardè ſecutus P. *Michaël Kame-*
niczky multorum ſalute procuratâ 18. Septembris diem clauſit extremum.
Kuttenberga in Bohemia Urbs notiſsima aliquot noſtros Patres hoc ipſo anno
confecit, quos ſcilicet comune periculum comoverat, ut caput ſuum pro ſa-
lute proximi devoverent: agmen laborantium, & poſtea morientium duxit
33. P. *Wenceslaus Tatyrek* 10. Septembris immortuus Charitati; ſuccedaneus P. *Ge-*
34. *orgius Czapek* 18. Menſis ejuſdem laborum ſuorum curſum conſumavit; ter-
35. tius nihil priorum morte exterritus in arenam deſcendit P. *Joannes Perger*,
multiſq; periculis ſuperatis ad extremum impar luctæ, quam tot Mortes offe-
rebant, ſuperatus die 2. Menſis Octobr. diſceſsit è vita. *Quartus* Apoſtolicis
36. Miſsionibus totâ illâ Bohemiæ parte notiſsimus ſenex P. *Fridericus Bridelius*
præclarâ morientibus operâ navatâ & ipſe malo contactus ſuccubuit ad 15.
Menſis Octobris. *Znoyma* duos ex Patribus noſtris ad cœlum, ut piè
ſperamus, miſit, ęgrotorum ſaluti proſpicientes, venenum in audiendis Con-
37. feſsionibus hauſit P. *Joannes Fridel*, diéque ſexto extinctus eſt; at P. *Adamus*
38. *Klos* ibidem Znoymæ cùm ſe obſequio peſte infectorum devoviſſet, vel eo
nomine comemorandus videtur, quod ex univerſa Provincia Bohemiæ pri-
mus vitam pro animabus DEO in morte lucrandis poſuerit, cùm nullum an-
te ſe, niſi ſuperioribus annis, haberet exemplum, mortuus die incerto Men-
ſis, cum maxima in ea Urbe Societatis noſtræ comendatione. Peculiarem
39. ſibi vendicat locum P. *Carolus Goliaß*, qui *Gimramovij* apud Moravos in Miſ-
ſione diverſans, ut hæreticos (quorum ibi nidus eſt) Eccleſię, quâ poſſet ope
reſtitueret, ſubitò peſte ingruente, quanquam remanendi nullam neceſsita-
tem haberet, conſtitit in gradu, ac nè ex *Paſtore* temporaneo, *Mercenarium*
ſe faceret, qui viſo lupo fugit, omnibus peſte contactis copiam ſui fecit, ęgro-

tos

Digitized by Google

tos ultro adivit, plurimos in morte DEO & Eccleſiæ adjunxit, ac tandem & ipſe hauſtâ peſte oviculas ſuas morientes, moriens eſt ſecutus. *P. Joannem* 40.
Worziſſek Diſcipulum quondam in Rhetoricis meum præterire ſilentio non poſſum: *Gitczinij* cùm ſe illius loci Decano *D. Wenceslao Czervenka* Viro patriæ & omnis ęvi hiſtorię ſcientiſsimo (qui ab initio peſtilentię ad finem uſquè Civitati ægrotæ impendit ſeſe) adjutorem de Superiorum licentia ſe addidiſſet, pauciſsimis diebus abſumtus eſt.

Hactenus Nomina eorum, qui *publicè* ad obſequium peſtiferorum expoſiti, velut ultroneæ *Victimæ Charitatis* ceciderunt hoc Anno. Augeri poteſt hic numerus, ſi eos addamus, qui non quidem ad id delecti, neque ab alijs ſeparati, ęgros ſacris procurabant, ſed vel in audiendis Confeſsionibus (quod munus eo tempore hominem repoſcebat intrepidum, & pro animarum ſalute mori paratum) contraxêre Peſtilentiam, vel cùm Noſtris in Collegio ex peſte ægrotantibus, miniſtrarent, malum ſibi & mortem arceſsiverunt, quos præconio charitatis fraudare, eíſque præmia in cœlo denegare, prorſus foret indignum. *Ex primo genere* habemus *P. Wenceslaum Czeliczky* qui poſt- 41.
quam toto contagionis tempore in *Eccleſia Collegij Clementini Pragæ* promiſcuè omnis ætatis, & conditionis hominibus, ſanis æquè & ægrotis, & peſte affectis, confitentibus aures dediſſet, 30. Junij ſimili quoque morbo conflictatus occubuit; talis etiam in *minore Praga Profeſſorum in Domo P. Tobias Kol-* 42.
czava, qui impetratâ à Majoribus, ſerviendi peſtiferis facultate, mortem aliorum operiens, ut ſuccedere poſſet, atque interim in *Eccleſia domus Profeſſæ* nullo diſcrimine Confeſſiones excipiens afflatus, 18. Julij elatus eſt; ſimili in cauſſa Confeſſionum, occumbentes habemus *Znoymæ P. Henricum Pentz*, 43.
(xi. Septemb:) *Chomotovij P. Chriſtophorum Tſchappe* ad 13. Septembris; qui 44.
poſtremus deliberante Collegij Rectore, quem ad *Domum infectam* peſtilentiâ mitteret, obtulit ſeſe, ac mox ab alijs ex Collegio ſeparatus, tertiâ pòſt die ex peſtilenti ulcere deceſsit; talem Hradiſſtienſe *Collegium* habet *P. Zachariam Strniſſtie* 25. Septembris defunctum. Ex illo ſecundo genere, qui ſe Noſtrorum peſte ægrotantium ſervitijs addixerunt, habet *Collegium Clementi-* 45.
num Balthaſarem Clement Laicum, Valetudinarij Domeſtici *Præfectum* (*In-* 46.
firmarium vocamus) qui pro ſuo munere, Patribus peſte contactis diligentiſſimè & religioſiſſimè ſervivit, ac 16. Julij obſequium ſuum morte concluſit, alio rurſus Laico ſuccedente, cui *Joanni Planka* nomen, qui 1. Auguſti peſte 47.
contactus expiravit. Quid ſi jam eos adducere velim, qui poſtquam ſeſe *publicè*, ut nemini non conſtaret, aut in *Lazaretana Domo*, aut alibi in *ſtationibus* publicis obſequio peſtiferorum devoverunt, tamen ſingulari DEI beneficio in vita ſervari, hodiéque perſiſtunt? aut Carbunculis & Bufonibus, vel quocunq; alio nomine appelles, exciſis, glorioſas cicatrices oſtentare poſſunt, aut etiam nullo hujuſmodi vulnere conſignati hodiéq; perdurant? tales olim

Digitized by Google

ante hanc proximam peſtem fuêre *P. Mathæus Scultetus*, *P. Hubatius*, *P. Halecius*, *P. Tercotius*, *P. Breitenberger*, *P. Krnovsky*, aliíque plurimi: ex quibus nonnulli ſemel, alij iterum ac tertiò peſtilentiâ contactis ſervientes malo correpti non ſunt; at in proxima Peſtilitate, qui ſervati ſint, eorum non parvus eſt inter Patres numerus; *Pragæ octoni*, alijs in Collegijs propè totidem numerantur; ſed nominari ſe, & in lucem nomina ſua protrahi pro modeſtia ſua nunquam patientur. Concidat igitur aliquando vaniſſima illa hominum malevolorum, qui rebus non adfuêre, calumnia, quę *Peſte Pragæ* regnante, Noſtríſq; Patribus tum maximè comorientibus proximo, ſparſa fuit: *noſtros Patres Collegium vacuum reliquiſſe, atq; ad tutiora profugiſſe?* quid enim magis faciendum erat, quàm non neceſſarios, præſertim Juventutem religioſam periculo eximere, qui *præſentes* nihil publicè prodeſſent, *abſentes* ſervarentur? at interim in Collegio retinere, qui in procinctu ſtarent in horas parati, ut vel uno, ex ſocijs *in Lazareto* alibíq; cadente, protinus ſuccederent, onúſq; in ſe reciperent, quod ſemper factum meminimus nullo unquã admiſſo hiatu; adeò neq; ob multitudinẽ adhiberi potuerunt obſequijs, qui ſeſe devoverant; ſed nimirum, ut ait Syrus, *pejorem in partem ſtrenua ſemper ſuſpicio* eſt; porrò quid *Calumnia* magno illo ſuo & ſcabioſo ore loquatur, minimè curandum; maledicta benefactis optimè ſuperantur: quid atrocius ſpargi in populũ potuit, quàm quod de *Collegio noſtro Pragenſi*, ante annos non ampliùs viginti & quatuor, publicis libellis, & Novorum Chartis, Typis expreſſis vulgatum legebamus: *magnam Collegij Pragenſis partem* (pręcipui Patres nomine quiſq; ſuo appellabantur) *Dreſdam ad hæreticos profugiſſe, plateas ibi otiosè inambulare, Conſiſtoriales illic loci valde ſolicitos eſſe, an credi hominibus iſtiuſmodi poſſit, & ubi tanta turba fugitivorum Jeſuitarum accomodari? præſertim cùm plures adhuc Pragâ fugientes expectentur;* hoc tamen injurioſum mendaciũ vel tacentibus Nobis, ſponte, & Tempore ipſo (cujus apud Gręcos *filia Veritas* eſt) expiravit; quamvis calumniam hanc poſtea, teſtimonio *Pragenſis Civitatis, ac Senatûs Cruſius* noſter in Apolog: ſuis adverſus *F. Romanum* jugulârit. Sed illuc, unde diſceſſi revertor, Sum̃a eorum omnium qui in obſequio Charitatis ceciderunt mortui, omnibus peſtilentiæ *in Bohemia, Moravia, & Sileſia* annis, conficit numerum centeſimum duodecimum. Quærent alij, cur *tantis Heroibus*, qui ſe in Victimas Charitatis obtulerunt, *Elogia vitæ* non addiderim, & laudationes meritas omiſerim? reſpondeo: ſuis temporibus ac locis hæc non defutura; divinius Elogium nullum eſſe poteſt, quàm quòd divino Chriſti D. ore prolatum in Evangelio habemus: *Majorem hâc Charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro Amicis ſuis.*

Joan. 14. v. 13.

A M E N.